

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/philosophiaschol0001pmbr

100 B63

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PHILOSOPHIA SCHOLASTICA

RT. REV. EUGENE O'CONNELL,
LOS ANGELES,
CAL.

BAR-LE-DUC

IMPRIMERIE CONTANT-LAGUERRE

PHILOSOPHIA SCHOLASTICA

in quâ

THEORIA VETERUM, PRÆCIPUÈ SANCTI THOMÆ, EXPERIENTIIS RECENTIORUM ACCOMMODATUR

Approbante Ill. ac RR. D.D. Germain

AUCTORE

P.-M. BRIN

Presbytero Sancti Sulpitii

EDITIO SECUNDA

IN UNUM AUT ALTERUM ANNUM APTATA AD USUM SCHOLARUM

TOMUS PRIMUS

LOGICA — ONTOLOGIA

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PARISIIS

APUD BERCHE ET TRALIN

VIA DICTA DE RENNES, 69

1879

100
B63
v.1

APPROBATIO

ILLi AC RRi DDi GERMAIN.

Dilectissime Fili,

Saluberrimum quippe omnique laude dignum iniisti consilium, cum inter deliramenta pseudophilosophorum qui nostris præsertim luctuosis temporibus falsi nominis scientiam extollunt, fidei morumque integritati infensam, pro tua virili parte veræ philosophiæ jura vindicare decreveris. Neminem enim fugit quantum detrimenti afferant leviores haustus in hac disciplinâ quæ ceteris viam sternit omniumque fundamenta firmat, quantum vero publicæ utilitati consulant et bene mereantur ii qui indefesso labore philosophicæ scientiæ instaurationem promovere satagunt.

Cum autem apprime nosti novellas opiniones, quæ grassantur undique, nil aliud præ se ferre nisi vanam fucatamque veritatis speciem minimeque consistere, multo satius duxisti ac tibi semper in animo fuit veterum tenere vestigia ipsisque eorum armis falsa recentiorum dogmata debellare. Jure etiam existimasti revelationem divinam præsidio simul et auxilio esse doctrinæ philosophicæ, ideoque semper præ oculis et manibus habens sive Sacrorum Librorum sive ipsius Ecclesiæ documenta, tutam emensus es viam et denuo aperuisti miram hanc harmoniam quâ fides ratioque consociantur; et ita Eccle-

siæ doctrinam veluti indeflexam veritatis regulam et normam accipiens, vere Christianam tradidisti Philosophiam, vere utique præambulam ad altiora Sacræ Theologiæ mysteria exploranda, quod eo facilius et certius es adeptus, quo pressius Angelici Doctoris luculentissimam doctrinam secutus es.

Utinam omnes, tuis præceptis imbuti et initiationibus inducti, hunc præstantissimum ducem amplectantur, et, te invitante, scholam ejus ingrediantur et frequentent; nullus est enim, ut ex hac ipsâ tuâ Philosophiâ aperte constat, qui melius de Deo unquam scripserit, nullus etiam qui ardua Metaphysicæ fastigia acutius perspecta habuerit. Et tu quidem, dilectissime Fili, in hac potissimum difficili tractatione Thomisticæ theoriæ tenacissimus, omnium captui accommodatam tradidisti synthesim, et eorum omnium quæ de Deo cognoscimus ordinatam concatenationem exhibuisti, existentiam Ejus primo comprobans, naturam dein investigans, vitæque tandem inexhaustæ, actu quidem purissimo completæ, divitias larga explanatione aperiens.

Ideo nobis valde exoptandum videtur ut apud omnes, præcipue clericali militiæ addictos, hujus magistri veritatis sententiæ ut tutissimæ habeantur, et ità juniores alumni, te curante, proficiant in dies, moxque sacrorum dogmatum strenui propugnatores accrescant. Quapropter tuum eximium opus, multoties jam laudatum, utilitate fructuque comprobatum libenter accipimus, enixeque commendamus utpote sanæ philosophiæ promovendæ aptissimum.

Datum Constantiis, quarto Nonas Maii anno M DCCC LXXVI.

† ABEL, *Episcopus Constantiensis et Abrincencis.*

AD DISCIPULUM.

His infaustis diebus, ut apprime noscis, amantissime discipule, Summus Pontifex, Ecclesiæ *doctor infallibilis*, damnavit errores philosophicos, præcipuè rationalismum, positivismum et novam criticen; et verò, quantâ pastorali vigilantiâ « horribilem procellam tot pravis opinionibus excitatam » dispergere, « monstrosa opinionum portenta, quæ hac potissimum ætate, cum maximo animarum damno » grassantur, deturbare, « impium absurdumque naturalismi principium, » quod Gregorius XVI « deliramentum » vocabat, evertere curavit. Sacrosanctum concilium, nostris diebus habitum, ejusdem impietatis ubique pullulantis miserum exitium ostendit dicens : « Nata est et latè per orbem vagata illa *rationalismi* seu *naturalismi* doctrina... Relictâ autem rejectâque christianâ religione, negato vero Deo et Christo ejus, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut jam *ipsam rationalem naturam*, omnemque justi rectique normam negantes, ima humanæ societatis fundamenta diruere connitantur (1). »

(1) Cf. Epist. encycl. 8 decembris 1864 — Epist. encycl. 9 novembris

Multi etiam, aut erroris fallaciâ et sophismatibus captiosis decepti, aut scientiis naturalibus potissimum addicti, philosophiam inutilem esse putant; ideòque fundamenta scientiarum et dialecticæ regulas ignorantes, verum a falso secernere non possunt, moxque jura ipsius rationis abnegantes in scepticismum prolabuntur. Quibus perspectis, valdè optandum est ad errorem debellandum, ut unusquisque, invitante Ecclesiâ, studium Philosophiæ promoveat.

Sed, ut historia testatur, Philosophia veterum, præcipuè Sancti Thomæ, non solum Theologiæ viam pandit; verum etiam, a sensualismo et idealismo simul declinans, sana tutaque principia complectitur; cavendum est tamen ne persuasum habeas recentiorum inventa nullam opem junioribus alumnis afferre et esse prorsùs inutilia. Eapropter in hoc opere, *Philosophia scholastica* seu Theoria veterum, præsertim Angelici Doctoris, recentiorum experientiis accommodatur, necnon in unum alterumve annum aptatur ad usum scholarum (1).

1846. — Allocut. 9 decembris 1854 et 9 junii 1862. — Encycl., 15 aug. 1832. — Epist. ad archiep. Frising., 11 dec. 1862 et 21 dec. 1863. — Litt. apost., 10 junii 1851. — Syllab. 1864, etc., etc. — Vatic. concil., 24 aprilis 1870. — Eo quidem anno 1870, unus e celeberrimis *naturalista* scripsit : « Que l'opération s'appelle perception extérieure, acte de conscience, souvenir, induction, conception pure, toujours notre opération est un bloc dont les molécules sont des sensations et des images jointes à des images, agglutinées en groupes partiels qui s'évoquent mutuellement. » H. Taine, *De l'intelligence*, t. II, p. 217.

(1) Parenthesi et asterisco notantur ea quæ minus utilia sunt et omitti debent, saltem in scholis ubi Philosophiæ studium breviori tempore absolvitur.

PROŒMIUM.

DE PHILOSOPHIÆ NATURA ET DIVISIONE.

I.

DE PHILOSOPHIÆ NATURA.

I. Quid est philosophia quoad nomen?

1. Philosophia spectari potest secundum *nomen* et secundum *rem*. Quoad nomen, Philosophia eruitur e vocabulis græcis φίλος (amicus) σοφία (sapientia), et significat amorem sapientiæ; undè, qui studiosus est sapientiæ, philosophus appellari solet. Nomen illud tribuitur Pythagoræ; nam, ut fertur, omnes qui antè eum in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes habebantur; ipse verò se philosophum tantummodo, seu sapientiæ amicum dicere maluit (1).

(1) Cf. Cicer. *Tuscul.* l. V, n. III. — Non solum amor sapientiæ, sed etiam cordis mundities requiritur in iis qui Philosophiæ studere præsumunt : « Insensé, ait Epictetus, que veux-tu faire? Il faut que ton vase soit pur avant que d'y rien verser, autrement tout ce que tu y mettras se corrompra. » *Manuel*, p. XXII.

II. Quomodo philosophia definitur quoad rem?

2. Quoad rem Philosophia definiri potest : *Scientia de supremis omnium principiis, rationis lumine comparata.* — Est *scientia*, seu series cognitionum quæ, tutis fundamentis innixæ et arctis nexibus inter se copulatæ, eâdem methodo comparantur et ad unum finem conspirant; Philosophia igitur non habenda est ut cognitionum congeries, nec etiam ut scientiarum complexio. Disserit *de supremis omnium principiis*, id est de legibus universalibus rationis humanæ et de causis rerum ultimis; sapientia enim, ut ait Tullius (*De Officiis*, l. II, c. II), est « rerum divinarum et humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia; » undè Philosophus differt a cæteris scientiarum naturalium cultoribus qui generalissima et communissima rerum principia, utputà corporum essentiam, mentem humanam, Deum seu altissimam omnium causam non adipiscuntur.

Philosophia rationis lumine comparatur; *ratio* scilicet est facultas quæ ad notitiam veritatis se erigit et *lumine* naturali ultima rerum principia certò cognoscere potest; ideòque Philosophia secerni debet a Theologiâ, quæ revelationis lumine nititur; sed, etiamsi jure dicenda est scientia rationis, non est tamen ingenita, nec nisi studiis attentis et invicto labore *comparatur* (1).

III. Quomodo allata definitio exprimit objectum et subjectum Philosophiæ?

3. Una pars hujus definitionis *objectum* Philosophiæ

(1) Eodem sensu Scholastici ferè omnes Philosophiam definiunt. « (Philosophia,) inquit R. P. Liberatore, est scientia rerum per ultimas causas naturali lumine comparata. » — « (Philosophia,) ait Sanseverino, est scientia supremorum principiorum, seu supremarum rationum cum cognitionis, tum rerum, quæ ratione humanâ cognosci possunt. »

designat, suprema scilicet rerum principia, pars autem altera refertur ad *subjectum*, videlicet ad rationem humanam; hæc enim scientia versatur circà ultimas omnium rationes et in intellectu nostro perficitur. Unde Philosophia definiri nequit « Scientia de Deo, homine et mundo, » nam in ista definitione objectum tantummodò exprimitur; nec a fortiori definiri potest « scientia ex ratione, » si quidem in hac ultimâ definitione subjectum solummodò designatur.

IV. Quomodo ex eadem definitione innotescit Philosophiæ excellentia?

4. Ex eadem definitione innotescit Philosophiæ excellentia : nempe, Philosophia excellentior est cæteris scientiis naturalibus; Theologia verò Philosophiam antecellit.

Circà præsentem quæstionem duplex error ætate nostrâ grassatur : alii enim scientias physicas et mathematicas Philosophiæ anteponendas esse docent; alii verò Philosophiam Theologiæ æmulam et æqualem esse putant (1).

Sed contra : scientiæ sunt *speculativæ* vel *practicæ;* atqui Philosophia, in quantum est speculativa, scientiis naturalibus præesse debet, propter dignitatem objecti; nam investigat suprema et altissima rerum principia quæ homo naturaliter scire desiderat, ut ait sanctus Thomas (*Contra Gent.*, c. xxv); aliæ vero scientiæ naturales, physicæ scilicet et mathematicæ, ad cognitionem horum principiorum ex se et immediate pertingere nequeunt. Verumtamen Philosophia considerat ea tantum quæ rationi subduntur, Theologia autem est principaliter de iis

(1) Cf. *Syllab.*, an. 1864, VIII prop. damn. : « Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur, iccirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt. » Vide Alloc. *Singulari quodam perfusi*, 9 decembris 1854

quæ dignitate et altitudine suâ rationem transcendunt, ut refert sanctus Thomas (*Sum. Theol.*, p. I, q. 1, a. 5); unde Theologia Philosophiam antecellit.

Quoad praxim, scientiæ physicæ et mathematicæ proximè tendunt ad bonum quoddam temporale et finitum; sed Philosophia Dei existentiam et mentis immortalitatem comprobans, incitat ad virtutem colendam et ad vitia compescenda, sicque hominem dirigit ad finem ultimum in ordine naturali; scopus verò Theologiæ, ut dicit iterum sanctus Thomas (*Sum. Theol.*, p. I. q. 1, a. 5), est animam ducere ad beatitudinem æternam et supernaturalem. Ideoque Philosophia, tum propter dignitatem objecti, tum propter finis excellentiam, præest omnibus scientiis naturalibus, Theologiæ verò æqualis esse non potest.

V. Quomodo etiam ex proposita definitione Philosophiæ utilitas eruitur?

5. Philosophiæ utilitas plus æquo laudata est a veteribus græcis et latinis, qui revelationem ignorabant; necnon hodierni rationalistæ philosophiam habent ut unicam morum regulam supremamque vitæ magistram, ut refertur in *Syllabo* (prop. III et IV). Ab his sanè laudibus abstinere oportet; longè tamen absit a nobis error eorum qui Philosophiæ utilitatem deprimunt.

Sapientia quidem seu scientia rerum per ultimas causas utilis est propter tria: primo, nobilissimas animæ facultates, rationem scilicet ac voluntatem perficit; illis enim suppeditat regulas ad rectè judicandum et benè agendum: « La Philosophie, ait Royer-Collard, apprend à savoir ce qu'on dit quand on parle, et ce qu'on fait quand on agit. » Secundo, tradit principia universalia et fundamentalia quibus omnes scientiæ nituntur et inter se coadunari possunt; nam, juxta sanctum Doctorem (*In* I

Post. lect. xx), « omnes scientiæ communicant in principiis communibus, hoc modo quod omnes utuntur eis. » Tertio tandem, introducit in Theologiam; nemo enim, ut ait Suarez (*In Metaphys.*), theologus evadere potest, « nisi firma prius metaphysicæ jecerit fundamenta (1); » et verò, non solum methodus scholastica, sed etiam veritates philosophicæ maximam opem afferunt eis qui theologiæ studere præsumunt.

Tullius, revelationis beneficium ignorans, hæc pene divina de philosophiæ munere scripsit (*In Tuscul.*, l. v) : « O vitæ Philosophia dux! ô virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum!..... Tu urbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti; tu eos inter se primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum et vocum communione junxisti; tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinæ fuisti. Ad te confugimus; a te opem petimus; tibi nos, ut anteà magnâ ex parte, sic nunc penitùs, totosque tradimus. »

II.

DE PHILOSOPHIÆ DIVISIONE.

I. Quid dicendum de Philosophiæ historia?

6. Quum Philosophia sit amor sapientiæ, omnis homo sapientiâ præditus, lato sensu philosophus appellari po-

(1) De utilitate Philosophiæ apposite scripsit D. Renaudet, in opere cui titulus, *Præludium philosophicum* : « Sans la philosophie, on peut être un chrétien très-instruit, sans elle on ne sera jamais un théologien. »

test; strictè vero, philosophus est ille qui speciali modo in admiratione et contemplatione rerum studia ponit. Philosophi autem hujusmodi ad triplicem classem reducuntur : multi enim, saltem apud antiquos, nomine Philosophiæ designarunt omnem complexionem scientiarum, seu omnium veritatum quæ certò cognosci possunt ab humano intellectu; alii vero, præsertim ætate mediâ (1), postquam Theologia methodicè tractata est in scholis, scientias diviserunt in humanas et divinas, scilicet in scientias ex lumine rationis vel ex revelatione; plerique tandem apud recentiores, potissimum a tempore Baconis et Cartesii, scientias experimentales a Philosophiâ distinxerunt propter earum extensionem et progressum.

II. Quomodo Philosophia proprie dicta dividitur?

7. Philosophia proprie dicta, in quantum differt a scientiis theologicis, physicis et mathematicis (2), jure dividi solet in « rationalem, realem et moralem, » seu in *Logicam, Metaphysicam et Ethicam :* prima pars tradit regulas quibus intellectus noster ad verum dirigitur; secunda pars disserit de entibus in se et objectivè sumptis;

(1) Juxtà quosdam recentiores, Philosophia complectitur omnes scientias naturales et definiri potest ad mentem veterum : « Scientia ex mero lumine naturali, mediisque mere naturalibus, veritatum, quæ per illa sunt scientifice cognoscibiles ab humano intellectu. » R. P. Tedeschi, *Instit. dialect.*, an. 1870-1871.

(2) De ambitu Philosophiæ scripsit de Gérando : « La philosophie en fixant le spectacle de l'univers, ne s'arrête point à l'énumération des parties qui le composent; elle laisse ce soin au naturaliste. Elle veut découvrir dans chaque phénomène la cause qui le produit, dans chaque loi la fin à laquelle elle tend. Elle cherche donc à reporter la pensée humaine par delà ce monde sensible qu'on pourrait appeler l'avant-scène de la nature. » *Histoire comparée des systèmes*, t. II, c. 4.

et tertia pars docet præcepta quibus actiones voluntatis ad honestatem naturalem ordinantur.

Sanctus Thomas, post Aristotelem et divum Augustinum (*De civitate Dei*, l. XI, c. XXV), præfatam divisionem admittit et probat (*In Ethic.*, lect. 1) : nempe, juxta eum, vel intellectus operationes suas inter se disponit secundum Dialecticæ regulas, quod « pertinet ad *rationalem* philosophiam; » vel considerat ordinem rerum quatenus in se sunt, et hoc dicitur munus « philosophiæ *naturalis* » seu « metaphysicæ; » vel dirigit actus voluntatis ad finem debitum, quod est officium « philosophiæ *moralis*. »

Metaphysica autem disserit de ente universè sumpto, et speciatim de mundo, animâ et Deo; proindeque subdividi solet in *Ontologiam*, *Cosmologiam*, *Psychologiam* et *Theodiceam*.

III. Quonam ordine magister in docendo procedit?

8. Magister qui philosophiam docet alumnos, hoc ordine procedere debet : incipiet a Logicâ, nam, ut ait sanctus Thomas (*In Metaphys.*, l. II, lect. v), homo « debet prius addiscere logicam quam alias scientias, quia Logica tradit communem modum procedendi in omnibus aliis scientiis, » et tradit regulas quibus ratio humana veritatem agnoscere, comprobare et vindicare potest; deinde, quum intellectus noster prius universalia percipiat quam singularia, magister docebit Ontologiam quæ complectitur notiones universalissimas et maxime necessarias; postea, gradatim et secundum ordinem rationi humanæ proprium, tractabit de mundo, animâ et Deo; tandemque, si tempus vacat, nonnullas Ethicæ quæstiones de quibus Theologi vix disserunt, delibare poterit.

Alumnus autem qui Philosophiæ studet omnia præjudicia debet exuere, mentem attentam et reflexam sive

lectioni discendæ, sive magistro docenti præbere, acumine rationis potius quam memoriâ laborare, singulas definitiones, propositiones et argumenta sejunctim perpendere, deinque partes diversas inter se conferre ac ordinare, ita ut cognitiones suæ non sint tantum quasi acervus, sed scientiam proprie dictam efficiant.

IV. Quid sentiendum de nonnullis Philosophiæ divisionibus?

9. Ex dictis, Philosophia dividi nequit in Logicam, Dynamilogiam, Anthropologiam, Ontologiam, Cosmologiam, Theologiam naturalem et Ethicam; intellectus enim nec in discendo nec in docendo talem ordinem sequitur. A fortiori, divisio in Psychologiam, Logicam, Theodiceam et Moralem admitti non potest; nam, ex unâ parte, non est completa, et ex alterâ parte, Psychologiam ante Logicam absolvit (1).

V. Expone synopsim totius Philosophiæ.

10. Ad juvandam totius operis intelligentiam, Philosophiæ divisionem fusius evolvere et per modum synopsis exponere libet.

Philosophia, seu scientia de supremis omnium principiis, dividitur in tres partes, videlicet in *Logicam*, *Metaphysicam* et *Moralem;* Metaphysica autem subdividitur in *Ontologiam*, *Cosmologiam*, *Psychologiam* et *Theodiceam*.

Logica quæ tradit regulas quibus intellectus dirigitur ad verum, tres partes complectitur, *Dialecticam*, *Dogmaticam* et *Criticam* : in primâ parte, ars rectè judicandi docetur, adversus *sophistas;* in secundâ parte, principia quæ habenda sunt ut

(1) Una ex his divisionibus est quorumdam philosophorum qui Cajetani Sanseverino vestigia sequuntur; altera vero in gymnasiis hodiernis propugnari solet.

dogmata fundamentalia omnium scientiarum exponuntur contra *subjectivistas;* et in tertiâ parte, certitudo cognitionum nostrarum vindicatur, adversus *scepticos.*

In Ontologia quæ disserit de ente in se et universè sumpto speculamur *ens* in genere, *proprietates* entis universalissimas et *categorias* seu suprema entis genera; prima pars de ente in genere, dirigitur præsertim adversus *idealistas* et *lockianos;* in secundâ parte, de entis proprietatibus, exploduntur falsæ recentiorum theoriæ de *vero, pulchro* et *bono;* in tertiâ parte, de entis generibus seu categoriis, *positivistas* et *cartesianos* præ cæteris impugnamus.

Cosmologia, seu pars metaphysicæ quæ versatur circà suprema orbis physici principia, disserit de *naturâ, proprietatibus* et *legibus* corporum : in primâ parte, varia systemata de *elementis* corporum *primigeniis* exponuntur; in secundâ parte, errorem materialismi de principio *vitæ* confutamus; et in tertiâ parte, statuitur miraculi possibilitas adversus *rationalismum* ævi præsentis.

Psychologia, quæ tractat de ultimis principiis operationum nostrarum, dividitur in tres partes : prima pars de *potentiis* seu facultatibus animæ, est potissimum adversus *idealismi* fautores; *positivistæ* et *materialistæ* impugnantur in secundâ parte de animæ *essentiâ;* et tertia pars, de *unione* mentis et corporis, adversus *Cartesianos* præcipuè dirigitur.

Theodicea, seu pars metaphysicæ disserens de altissimo supremoque omnium principio, tres quoque partes complectitur : in primâ parte, *existentia* Dei demonstratur, adversus *atheos;* in secundâ parte, ineffabilem inquirimus Dei *naturam*, de quâ *pantheistæ* falsa docuerunt; in tertiâ parte, de *vitâ* Dei excellentissimâ loquimur, contra *deistas* hodiernos.

In Ethicâ, quæ tradit regulas quibus actiones hominis voluntariæ ad bonum honestum ordinantur, tres etiam partes habemus : in primâ parte, stabilitur moralitatis *fundamentum*, adversus *moralem*, uti dicunt, « *independentem;* » secunda pars tractat de *subjecto* moralitatis, adversus errores de « *libertate*

conscientiæ; » in tertiâ tandem et ultimâ parte, *sociologia* recentiorum de *fine* moralitatis excutitur.

Philosophia igitur rectè definiri potest : *scientia de supremis omnium principiis, rationis lumine comparata.**)

LOGICA

SEU

PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ.

DE LOGICÆ NATURA ET DIVISIONE.

I. Quid est Logica quoad nomen?

11. Si vim *nominis* tantummodò perpendimus, Logica, e vocabulo λόγος, scientiam *rationalem* designat, non solum ex eo quod est rationi conformis; hoc enim omnibus scientiis convenit; sed præsertim ex eo quod actum rationis dirigit, ità ut homo « faciliter et ordinate » procedere possit in cognoscendâ veritate, ut ait divus Thomas (*In I Post. Anal.*, lect. I). Dicitur quoque scientia *ratiocinii;* quippe, juxtà sanctum Doctorem, hominis proprium est « discurrere ab uno in aliud; ut per id quod est notum deveniat in cognitionem ignoti. »

II. Quomodo Logica definitur quoad rem?

12. Quoad *rem,* Logica definiri potest : *scientia de regulis generalibus supremisve principiis, quibus ratio humana*

dirigitur ad verum. — Est *scientia* specialis, nempe series cognitionum quæ ab iisdem principiis eruuntur, arctissimo nexu inter se colligantur et ad eumdem finem conspirant, id est, rationem ad verum faciliùs et tutiùs inveniendum ac demonstrandum dirigunt; unde, differt a logicâ *naturali* quæ nihil est nisi dispositio quædam hominibus insita, cujus ope multas veritates certò cognoscunt et facultatibus suis rectè utuntur. Est scientia *de regulis generalibus supremisve principiis* quibus omnes scientiæ speculativæ nituntur, et in hoc sensu meritò dici potest « scientia scientiarum (1); » nam, aiente sancto Thomâ (*In lib. Boet. De Trinit.*, q. 5, a. 1, ad 2^{um}), rationi ministrat « sua instrumenta, scilicet syllogismos, definitiones et alia hujusmodi; quibus in speculativis scientiis indigemus. »

Logica tradit regulas et principia *quibus ratio humana dirigitur ad verum*, et proinde a cæteris scientiis et ab arte secerni debet : primò, differt à Metaphysicâ, hæc enim tractat de veritate quatenus in se est objectivè sumpta, dum Logicæ munus est disponere ac perficere subjectum seu instrumentum cujuslibet scientiæ; unde vocari solet a quibusdam philosophis « scientia instrumenti scientiarum, » (Sanseverino, *Logic.*, n. 5). Secundò, distinguitur ab Ethicâ et ab arte, quia dirigit actum rationis in cognoscendâ veritate; Ethica verò actum voluntatis ordinat ad bonum honestum, et ars, juxta sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, 2^{a} 2^{æ}, q. 47, a. 5), non versatur circà veritatem universalem et necessariam, sed habet objectum quoddam particulare et materiale, ut est « domus, cultellus, » docetque modum agendi in

(1) « La logique, ait H. Taine, est la science des sciences. » *Etude sur Stuart-Mill*, p. 16.

operibus externis, « sicut ædificare, secare et hujusmodi. » Affabre tamen disponuntur et ordinantur termini, propositiones et argumenta; aliunde, Logica dirigit rationem ex quâ omnes artes procedunt : eapropter ipse sanctus Thomas (*In lib. Boet.*, q. 5, a. 1, ad 2^um^), scientiam illam appellat « artem artium. »

III. Quomodo logicæ utilitas ex ipsius definitione eruitur?

13. Ex allatâ definitione duo concludere fas est : primò, Logica in se non est excellentior aliis Philosophiæ partibus; nam id quod propter seipsum quæritur est magis excellens quam illud quod propter aliud quæritur; porrò, juxta sanctum Thomam (*In lib. Boet., De Trinit.*, q. 5, a. 1, ad 2^um^), « res de quibus est Logica, non quæruntur propter seipsas, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias. » Secundò, Logica, quum sit disciplina rationis, est utilissima, imò absolute necessaria iis omnibus qui « non perfunctorie scientiis acquirendis operam navare intendunt, » ut dicit R. P. Zigliara (*Logic.*, Proleg. VIII); quippe, in scientiis inveniendis, demonstrandis, vindicandis et docendis, quatuor sunt necessaria, ingenii acumen, rectum judicium, methodus facilis et tuta, ordo in argumentorum dispositione. Sed Logicæ munus est quatuor ista conferre, quum sit disciplina rationis et ars directiva operationum nostrarum in cognoscendâ veritate. Ad rem iterùm appositè scripsit Sanctus Thomas (*In I Post. Anal.*, lect. 1) : « sicut igitur..... adinventa est ars ædificatoria vel fabrilis, » ut homo « faciliter et ordinate » opera manualia conficere possit; « eadem ratione ars quædam necessaria est quæ sit directiva ipsius actûs rationis; per quam scilicet homo in ipso actu rationis *ordinate* et *faciliter* et *sine errore*

procedat. Et hæc est ars Logica, id est rationalis scientia. »

IV. Quid dicendum de Logicæ historiâ?

14. Logica vulgaris, inclinatio scilicet ad recte judicandum, insita est hominibus a naturâ; sed Logica in quantum est *artificialis*, ut aiunt, seu scientia proprie dicta et perpolita, parentem habuit Aristotelem; hic enim philosophus Dialecticæ regulas, ex quibus multæ passim inveniebantur apud Zenonem et Platonem, collegit et explanavit accuratè, potissimum in opere cui titulus, *Organum* (1).

Ævo medio, celeberrimi doctores, præsertim sanctus Thomas, Logicam Aristotelis in scholis pervulgatam, exposuerunt et commentariis exornaverunt; sed, recentioribus sæculis, Dialecticæ utilitas et præsertim syllogismi excellentia plus minusve a non paucis philosophis depressæ sunt; exindeque multi contempserunt disciplinam rationis a veteribus traditam et in cognoscendâ veritate methodos Baconis, Cartesii et Leibnitzii anteponendas esse duxerunt; alii tandem, non solummodò rejectis syllogismi regulis, sed etiam principiis omnium scientiarum negatis aut saltem in dubium revocatis, prolapsi

(1) « On voit que la *Logique* possède le caractère d'une science exacte depuis fort longtemps, puisqu'elle ne s'est pas trouvée dans la nécessité de reculer d'un pas depuis *Aristote*... Ce qu'il y a de remarquable encore dans la Logique, c'est qu'elle n'a pu faire jusqu'ici un pas de plus, et qu'elle semble, suivant toute apparence, avoir été complétement achevée à sa naissance. » Kant, *Critique de la raison pure*, traduction Tissot, 1864, t. I, p. 4 et 5. An vox Organum sit Aristotelis aut Andronici Rhodii, multum dissertant auctores; sed ad rem parvi refert.

sunt in errores pessimos circa judiciorum nostrorum certitudinem (1).

V. Quomodo Logica dividi potest?

15. Operæ pretium est ut Logica dividatur in tres partes, videlicet in *Dialecticam*, *Dogmaticam* et *Criticam;* etenim, quum veritas sit « *adæquatio rei et intellectûs*, » scientia quæ dirigit hominem in cognoscendâ veritate, tradere debet regulas requisitas et ex parte intellectûs, id est *subjecti* cogitantis, et ex parte rei, seu *objecti* cogitationis, et ex parte adæquationis, aut potius *relationis* et *adhæsionis* intellectûs cum veritate cognitâ. Sed Dialectica tractat de regulis et ordine servandis in operationibus intellectûs, Dogmatica complectitur principia fundamentalia quæ sunt quasi dogmata omnium cognitionum omniumque scientiarum, et Critica disserit de legibus certitudinis, id est adhæsionis intellectûs veritati clarè et evidenter perceptæ; ideoque legitima dici potest allata divisio.

Aliunde utilis est ad confutandos errores præcipuos qui circà Logicam prodierunt, *Sophisticam*, *Subjectivismum* et *Scepticismum :* Sophistas, qui argumentis captiosis utuntur ut falsum sub specie veri doceant, impugnamus in Dialecticâ; Dogmatica dirigitur adversus eos qui notiones universales, veritates necessarias ipsaque principia scientiarum fundamentalia nihil esse putant nisi « flatus vocis, » aut formas intellectûs mere arbitrarias, relativas et subjectivas; Critica tandem est contrà scep-

(1) De Logicâ quorumdam recentiorum scripsit D. Guthlin : « Une Logique nouvelle, assez téméraire pour proclamer que la contradiction était la suprême loi de la pensée, a pris la place de la vieille Logique de l'évidence...., fatiguée de l'importune lumière de la vérité, la pensée en révolte l'a repoussée comme non avenue. » *Les Doctrines positivistes en France*, 1873.

ticos qui certitudinem judiciorum nostrorum vel apertè rejiciunt, vel in dubium revocant.

VI. Expone synopsim totius Logicæ.

(* 16. Illam divisionem per modum synopsis exponere juvat, ut Logica faciliùs intelligi et memoriæ mandari queat.

Logica, seu scientia quæ rationem dirigit in inquirendâ veritate, dividitur in tres partes, videlicet in *Dialecticam*, *Dogmaticam* et *Criticam*.

Dialectica tractat de regulis quæ requiruntur ex parte *intellectûs* in inquirendâ veritate; scilicet: mens humana prædita est facultate, seu *intellectu*, cujus ope veritatem *universalem* agnoscere potest; intellectus autem cognoscit veritatem tribus actibus, *apprehensione*, *judicio* et *ratiocinio*; — apprehensione comparamus ideas, seu notiones rerum simplices, quæ exprimuntur *termino*; — judicium vero de convenientiâ aut discrepantiâ idearum pronuntiat, et *propositione* exprimitur; — ratiocinium tandem ex duobus pluribusve judiciis aliud infert judicium et exprimitur *argumento*; — posteaque ex argumentis fit veritatis *demonstratio*. Undè prima pars subdividitur in quatuor capita:

Caput primum, *De ideâ* et *termino*;
Caput secundum, *De judicio* et *propositione*;
Caput tertium, *De ratiocinio* et *argumento*;
Caput quartum, *De demonstratione*.

Dogmatica disserit de principiis quæ requiruntur ex parte objecti; nempe: notiones universales concipiuntur intellectûs virtute, sed *fundamentum* habent in rebus; — ex notionibus universalissimis formantur *principia* quæ spectanda sunt ut omnium cognitionum fundamenta; — iis vero principiis nititur *methodus* philosophica; — et ope methodi *scientiæ* comparantur. Ideircò secunda pars in quatuor capita subdividi potest:

Caput primum, *De universalibus*;
Caput secundum, *De principiis logicis*;

Caput tertium, *De methodo;*
Caput quartum, *De scientiâ.*

Critica tractat de legibus *certitudinis,* seu de iis quæ requiruntur ex parte *relationis* inter subjectum et objectum; videlicet : intellectus *adhæret* sine ullâ errandi formidine veritati clarè et evidenter perceptæ; — motivum ultimum propter quod adhæremus veritati est *criterium* certitudinis *universale;* — alia autem motiva dici solent *criteria particularia;* — tandemque unum ex his motivis particularibus potest esse *revelatio divina,* proindeque mira est fidei et rationis *analogia.* Eapropter ultima pars Logicæ subdividi quoque debet in quatuor capita :

Caput primum, *De certitudine;*
Caput secundum, *De criterio* certitudinis *universali;*
Caput tertium, *De criteriis* certitudinis *particularibus;*
Caput quartum, *De analogiâ* fidei et rationis.

Logica igitur rectè definiri potest : *Scientia de regulis generalibus supremisve principiis, quibus ratio humana dirigitur ad verum.**)

PRIMA PARS LOGICÆ

SEU

DIALECTICA.

I. Quomodo Dialectica dividi potest?

17. *Dialectica*, e vocabulo διαλέγομαι, id est dissero, artem suadendi probabilia solummodò designat, secundum Aristotelem (*Topic.* I); vel, juxtà Platonem (*De republ.* VII), exprimit scientiam de internâ idearum generatione; communiter autem usurpari solet pro hàc parte speciali Logicæ, quæ disserit de ratiocinii structurâ et demonstrationis legibus (1). Sed demonstratio fit ex argumentis; argumenta verò ex judiciis, et judicia ex ideis conflantur; undè Dialectica dividi potest in quatuor capita : I, de ideâ et termino; II, de judicio et propositione; III, de ratiocinio et argumento; IV, de demonstratione.

(1) A. Gratry, in opere cui titulus, *De la connaissance de Dieu*, de Dialectică Platonis et Aristotelis minùs accuratè scripsit, c. II, 1 et 2. — Dialectica definitur a R. P. Palmieri : « Complexio scientifice proposita regularum, quibus dirigitur intellectus, ut in suis operationibus rectum ordinem ponat. » *Logic.*, sect. 1ª, v.

CAPUT PRIMUM.

DE IDEA ET TERMINO.

II. Quomodo dividitur caput primum, de ideâ et termino?

18. In hoc capite tria inquirere debemus : primò, quid sit idea in se sumpta, quatenùs est verbum internum seu terminus mentalis ; secundò, quomodò idea signis externis seu terminis oralibus exprimi possit ; tertiò, quænam sint idearum et terminorum species. Unde tres erunt articuli : 1^us^, de ideâ ; 2^us^ de termino ; 3^us^ de idearum et terminorum speciebus.

ARTICULUS PRIMUS.

De ideâ.

I. Quotuplici modo idea considerari potest?

19. Idea triplici modo considerari potest ; relativè ad *subjectum* quo concipitur ; relativè ad *objectum* quod repræsentat ; et relativè ad *scientiam* cujus est elementum.

II. Quid est idea subjectivè sumpta?

20. Idea relativè ad subjectum quo concipitur, seu *subjectivè* sumpta, ut aiunt, est : *conceptus simplicis apprehensionis seu perceptionis intellectûs.* Intellectus scilicet est facultas quæ virtute propriâ et lumine naturali

notiones rerum universales assequitur (1); virtus autem illa variis actibus exerceri solet; ut sunt : apprehensio, attentio, reflexio, analysis, abstractio, comparatio, synthesis, generalisatio, judicium et ratiocinium, de quibus in operis decursu dicendum est. Sed operationes istæ ad tres præcipuas, videlicet ad *apprehensionem, judicium* et *ratiocinium*, facilè revocari possunt; nam, ut ait sanctus Thomas (*In I Periherm.* lect. 1, et *In I Poster. Anal.* lect. 1), una est operatio per quam « intellectus apprehendit essentiam (seu notitiam) uniuscujusque rei in se ipsâ; » alia autem est operatio per quam intellectus duas notitias inter se confert et de earum convenientiâ vel discrepantiâ judicat; additur tandem « et tertia operatio, » scilicet ratiocinium, « secundùm quod ratio procedit à notis ad inquisitionem ignotorum (2). »

Sit exemplum : intellectus simplici apprehensione comparat ideas *corporis*, *lapidis*, *gravitatis;* deindè, notiones istas inter se conferens, asserit *omne corpus esse grave*, *omnem lapidem esse corpus;* tandemque per ratiocinium ex his duobus judiciis aliud infert judicium, id est :

Omne corpus est grave;
Atqui, lapis est corpus;
Ergo, lapis est gravis.

(1) « Sensus est *singularium*, inquit sanctus Thomas, intellectus autem *universalium*. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 3, et *Qq. disp. De Veritate*, q. 1, a. 11, *Opusc.* 38, etc.

(2) Addit sanctus Thomas (*In I Periherm.* lect. 1) : « Harum autem operationum prima ordinatur ad secundam; quià non potest esse compositio et divisio, nisi simplicium apprehensorum. Secunda vero ordinatur ad tertiam; quià videlicet oportet quod ex aliquo vero cognito, cui intellectus assentiat, procedat ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis. » — Ad rem appositè scripsit Bossuetius (*Logique*, l. I, c. IV) : « Voilà donc trois opérations de l'esprit manifestement

Ex dictis, ideæ seu notiones rerum apprehensione simplici comparantur; undè idea subjectivè sumpta et relativè ad operationes animæ, jurè dicitur : *conceptus simplicis apprehensionis intellectûs.*

III. Quid est idea objectivè sumpta?

21. *Objectivè* sumpta, seu relativè ad objectum quod repræsentat, idea, εἶδος, imago, visio, est : *similitudo alicujus rei in mente expressa. — Similitudo;* videlicet, non est objectum cognitionis, sed mera hujus objecti repræsentatio, imago seu « forma, » ut aiunt scholastici : « ἰδέα græcè, latinè forma dicitur, inquit sanctus Thomas (*Sum. Theol.* p. I, q. 15, a 1); undè per ideam intelligitur forma rerum « præter ipsas res » existens. Est *in mente expressa* modo intelligibili; scilicet, illa repræsentatio non fit in sensu, sed in parte superiori animæ (gallicè, dans l'entendement) (1). Idea igitur non est ea repræsentatio sensibilis quæ fit in imaginatione ope rerum materialium; aliundè, ut vidimus, non est operatio intellectûs, sed conceptus hujus operationis; pariterque non est objectum cognitionis, sed medium et quasi speculum in quo objectum percipimus.

IV. Quid dicendum de ideis relativè ad scientiam?

22. Relativè ad *scientiam*, ideæ sunt : *simplicissima*

distinguées : une qui conçoit simplement les idées; une qui les assemble et les désunit, en affirmant ou niant l'une de l'autre; une qui ne voyant pas d'abord un fondement suffisant pour affirmer ou nier, examine s'il se peut trouver en raisonnant. »

(1) In eodem sensu Bossuetius ideam vocat intellectualem « intellectuelle, » eamque definit, « ce qui représente à l'entendement la vérité de l'objet entendu. » *Logique*, l. I, c. II.

primaque elementa ex quibus scientiæ coalescunt. Videlicet, idea sola non constituit alicujus rei scientiam proprie dictam et completam ; nam idea dicitur id quod primùm apprehendit intellectus de rebus, nihil adhùc de earum veritate affirmans aut negans ; posteà verò ideas inter se conferens, de earum convenientiâ vel discrepantiâ pronuntiat ; et ideò, juxtà sanctum Thomam, (*In I Poster. Anal.* lect. 1), in judicio « est jam *verum* vel *falsum.* » Ex judiciis autem componitur argumentum, et ope argumenti fit veritatis demonstratio clara et evidens, sicque deinceps scientia comparatur ; ergò, ideæ ex quibus judicia conflari debent, jurè dicendæ sunt prima scientiarum elementa (1).

Breviùs : idea, relativè ad intellectum, est simplicis apprehensionis conceptus ; relativè ad objectum, definitur similitudo seu mera repræsentatio alicujus rei in mente existens ; et relativè ad scientiam, habetur ut primum cujuslibet scientiæ elementum.

V. Quid est idearum comprehensio et extensio?

23. Idearum *comprehensio* et *extensio*, (quæ vocantur a scholasticis complexus et ambitus,) facilè concipi possunt ex dictis de idearum naturâ ; scilicet, idea est rei seu objecti repræsentatio ; sed objectum repræsentari nequit in animâ sine proprietatibus seu notis, quibus ab aliis rebus secernitur ; atqui, *complexio* harum proprietatum constituit ideæ comprehensionem ; ex gr. idea hominis complectitur ut notas *esse substantiam vitâ*, *sensu* et *ratione* præditam, id est *animal rationale.* Ex-

(1) In eo sensu idea definitur à quibusdam philosophis : « La connaissance sous sa forme la plus simple, ou mieux encore l'élément de la connaissance. »

tensio autem est *collectio* individuorum quibus istæ proprietates conveniunt; sic, *omnes* homines sunt animalia rationalia.

Exindè tria colligere est : primò, comprehensio et extensio sunt *in ratione inversâ;* videlicet, quo major est idearum comprehensio eo minor est earum extensio, et quo major est extensio eo minor est comprehensio; v. gr. *homo* majorem habet comprehensionem et minorem extensionem quam *animal;* homo enim præditus est ratione, quæ non invenitur in cæteris animalibus; sed numerus hominum minor est quam numerus animalium. Secundò, quum augetur idearum comprehensio minuitur earum extensio, et quum augetur extensio minuitur comprehensio; ex gr. si *ratio* additur notioni *animalis*, habemus conceptum *hominis* cujus comprehensio major est et extensio minor. Tertiò, idea quæ unam notam seu proprietatem comprehendit, est *simplex*, ex. gr. *ens*, *unitas;* idea verò quæ plures notas vel entitates comprehendit, *complexa* seu *composita* vocatur; ut sunt *homo*, *medicus*, *artifex*.

VI. Quid sentiendum de idearum connexione?

24. Ex dictis de comprehensione et extensione, nonnulla maximi momenti concludere possumus de connexione idearum. Nempe : omnes ideæ quarum eadem est comprehensio, dicuntur *identicæ;* ut sunt *homo* et *animal rationale;* sed ideæ quæ non habent eamdem comprehensionem, ut *lapis* et *substantia*, vocantur *diversæ*. Itemque maxima est colligatio inter multas ideas, sive propter earum amplexum et ambitum, sive propter circumstantias, v. gr. locorum et temporum, ità ut una in mente excitata aliam illicò revocet in memoriam; ideæ hujusmodi nuncupari solent *associatæ;* ex. gr. idea hominis

revocare potest ideam patris et fratris; qui cogitat de loco suo natali, ordinariè cogitat et de his omnibus quæ sunt in domo paternâ.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Termino.

I. Quid est terminus oralis?

25. Idea, quæ dicitur etiam terminus mentalis et verbum internum, externè proferri solet mediantibus vocibus, et signo sensibili seu termino orali exprimitur; undè terminus oralis est : *Signum sensibile conceptûs interni;* aut etiàm : *ipsa idea signo sensibili expressa.* Dicitur *signum* ideæ; idea autem est repræsentatio rei; proindèque, juxtà sanctum Thomam (*I Periherm.* lect. II; *Sum. Theol.*, p. I, q. 13, a. 1 et 4, *Qq. Disp. De veritate*, et *Contra Gent.*, l. IV, c. XI), terminus « significat immediatè conceptum intellectûs, » et mediante conceptu « significat rem » ipsam.

Terminus oralis dicitur signum *sensibile*, id est medium quod adhibemus ut ideas nostras aliis hominibus manifestare possimus; signum autem hujusmodi est naturale, vel arbitrarium : signum naturale illud est quod ex dote sibi propriâ rem quamdam exprimit; ex. gr. *ploratus* tristitiam et *risus* lætitiam ordinariè designant. Signum verò arbitrarium pendet ex hominum placito et instituto; sic *laurus* victoriam et *vexillum album* pacem significant, ex merâ hominum conventione.

Vocabulum seu sonus articulatus est signum quo sæpiùs utuntur homines; in se dici potest naturale, nam, ut ait sanctus Thomas (*In I Poster.* lect. III), quum homo sit « animal sociale, » ideas suas aliis hominibus natura-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

liter communicat ope sermonis; attamen vocabulorum determinatio est conventionalis, nempe voces *animal*, *planta*, *lapis* et similes, pendent ab hominum placito (1).

Apud logicos, vocabulum appellatur *terminus*, quia propositionem terminat; in omnibus enim propositionibus requiruntur subjectum et attributum; ut : *Deus* est *sanctus*, *anima* est *simplex*, *corpus* est *compositum*. Hinc Aristotelis celeberrima definitio : terminus est id in quod resolvitur propositio, tanquam in subjectum et prædicatum. « Ὅρον δέ καλῶ, εἰς ον διαλυέται ἡ πρότασις. » (*Anal. Prior.* c. I.)

Terminus tandem dicitur signum *conceptùs interni;* undè idea prior est termino; necesse est enim ideam priùs in mente concipi, quam externè signis sensibilibus exprimi. Maxima tamen est connexio inter ideam et terminum; id est, terminus mentalis et terminus oralis ità ex habitudine uniuntur, ut unus excitatus in mente alterum sæpiùs in memoriam revocet; ex gr. quum mens cogitat de figurâ trium angulorum, aut de animali ratione prædito, vocabula triangulus et homo revocantur in memoriam, ut ait Bossuetius (*Logique*, l. I, c. III).

II. **Quænam sunt præcipua vocabula?**

26. Præcipua vocabula quibus utuntur logici sunt *nomen* et *verbum* : nomen significat rem in se sumptam, sine adjunctione temporis aut circumstantiæ ; ut sunt nomina *Deus*, *homo*, *virtus*. Verbum autem exprimit tem-

(1) Ad rem scripsit Bossuetius : « L'idée représente naturellement son objet; et le terme, seulement par institution, c'est-à-dire parce que les hommes en sont convenus : par exemple ces mots *triangle* et *cheval* n'ont aucune conformité naturelle avec ce qu'ils signifient; et si les hommes avoient voulu, ils auroient pu rappeler à l'esprit toute autre chose. » *Logique,* l. I, c. III.

pus quo res existit vel operatur ; talia sunt verba *spero*, *adsum*, *lego*. Tempus vero proprie dictum et apud logicos maximè usitatum est *præsens indicativum;* tempus enim præsens designat id quod est aut fit realiter ; dum alia tempora exprimunt id quod fuit, futurum est aut fieri potest.

III. **Quid dicendum de usu terminorum?**

27. Nemo est qui jam non videat quanta sit difficultas in recto usu terminorum, quantâque curâ secerni debeant vocabula quorum significatio est dubia, obscura, æquivoca vel inadæquata ; eapropter utile est ut quædam regulæ statuantur, « ne verborum licentia, ut ait sanctus Augustinus (*De Civitate Dei*, l. X, c. XXIII), etiam de rebus, quæ (verbis) significantur, impiam (aut falsam) gignat opinionem. »

Primò, terminus in Logicâ sumi debet quoad *sensum*, et non quoad *sonum;* proindè voces inanes et vacuæ, nullam ideam exprimentes ad Logicam non spectant. Aliundè vocabula non pauca nihil significant si singillatim accipiuntur, ut *nullus*, *omnis*, *nemo*, *aliquis;* sed si aliis vocibus junguntur, jam significationem determinatam obtinent, ut *aliquis homo*, *nullum animal*. Unde vocabula hujusmodi, videlicet *aliquis homo*, *nullum animal*, sunt quoad sonum *composita ;* sed quoad sensum unam ideam exprimunt, et dicuntur *complexa* (1).

(1) (* Nota : juxtà morem loquendi scholasticorum, terminus in quantum habetur ut sonat, seu in quantum est syllabis compositus, v. gr. Ci-ce-ro, dicitur terminus *materialis ;* quatenùs est ideæ cujusdam expressio, vocatur terminus *formalis*. Terminus autem qui singillatim sumptus completam significationem habet, ut *homo*, *Petrus*, vocari solet *categorematicus*, κατηγορέω, significo ; et terminus qui non habet significationem completam, nisi cum alio termino conjungatur, dici solet *syncategorematicus*, σύν cum, et κατηγορέω, signifieo. *)

Secundò, cavendum est ab omni terminorum *ambiguitate;* sæpè enim idem terminus convenit pluribus entibus, quæ habent naturam communem; propterea terminus hujusmodi vocatur *univocus;* ex. gr. voces *homo*, *animal*, *planta*, *lapis* et similes, univocè prædicantur de omnibus hominibus, animalibus, plantis et lapidibus. Quædam autem nomina tribuuntur pluribus subjectis quæ non habent eamdem naturam; undè dici solent *æquivoci;* v. gr. vox *canis* designat animal aut constellationem. Quandoque terminis exprimitur aliquid commune pluribus subjectis, non propter unitatem naturæ, sed propter quamdam relationem aut similitudinem; terminus hujusmodi est quasi medius inter univocum et æquivocum, dicique solet *analogus;* sic, *misericordia* et *justitia* de Deo et homine, non propter æqualitatem, sed propter aliquam similitudinem, prædicari possunt; pariter *sanum* dicitur de medicinâ, de aere, de cibo, in ordine ad animal in quo verè ac propriè sanitas est ut in subjecto.

Tertiò, terminorum *extensioni* attendere oportet; id est, terminorum sensus modò extendi seu *ampliari*, modò *restringi* debet; ex. gr. quum dicimus : « mansueti *hæreditabunt* terram, » verbum hæreditabunt non solùm extenditur ad futurum, sed etiam ad præsens et præteritum; econtrariò, quum dicitur : « Eva est mater cunctorum *viventium*, » terminus viventium ad solos homines restringitur. Illæ terminorum proprietates vocantur à scholasticis *ampliatio* et *restrictio*. Quidam verò termini metaphoricè tantummodò sumi debent, ut sequentes : Christus est *agnus* Dei, *vitis* vera, *sol* justitiæ (1).

(1) (* Nota : scholastici secernunt quinque terminorum proprietates,

ARTICULUS TERTIUS.

De idearum et terminorum speciebus.

I. Quomodo articulus tertius, de idearum et terminorum speciebus, subdividi potest?

28. Articulus tertius subdividi potest in duos paragraphos : 1° de præcipuis idearum et terminorum speciebus ; 2° de universali reali et logico.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De præcipuis idearum et terminorum speciebus.

II. Quænam sunt præcipuæ terminorum species?

29. Termini mentales et orales, ideæ scilicet et vocabula in classes penè innumeras dividi possunt; ad nonnullas verò species *generales*, *speciales* et *communes*, ceteris omissis, facilè revocantur; nempè :

Primò, ex dictis, omnes termini rectè dividuntur in duas classes *generales*, videlicet in terminos *mentales* et *orales* : terminus mentalis est ipsamet idea, conceptus simplicis apprehensionis et verbum internum ; terminus autem oralis est ideæ signum et expressio, seu verbum externum.

suppositionem, *appellationem*, *ampliationem*, *restrictionem*, et *alienationem* : suppositio est acceptio seu usus termini pro re aliquâ, sic duæ syllabæ *ho-mo* designant animal rationale; appellatio est applicatio unius termini ad alium, ut *bonus* philosophus; ampliatio est extensio significationis terminorum; ampliationi opponitur restrictio; alienatio est acceptio termini secundum sensum metaphoricum. Cf. Tongiorgi, Zigliara et Tedeschi. *)

Secundò, termini sive mentales sive orales subdividi possunt in classes quasdam *speciales;* quæ scilicet ideis tantùm, vel solùm terminis oralibus conveniunt. — Imprimis, *ideæ* in ordine ad mentem et ratione originis sunt *intuitivæ* vel *discursivæ, directæ* vel *reflexæ;* ratione perfectionis secundùm quam objectum repræsentant, vocari solent *claræ* vel *obscuræ, distinctæ* vel *confusæ, adæquatæ* vel *inadæquatæ.*

Idea intuitiva ea est quæ immediatè concipitur ex præsentiâ rei cognitæ, ut idea solis; ea verò quæ mediatè tantum accipitur, est discursiva seu « *abstractiva,* » ut aiunt scholastici; ex. gr. ignem ex fumo, causam ex effectu cognoscimus, aut etiàm, juxtà sanctum Doctorem, « videmus hominem in speculo. » (*Sum. Theol.*, p. I, q. 56, a. 3, et *In Lib. Boet. de Trinit.*, q. 1, a. 2).

Idea directa ea est cujus objectum, extrà nos positum, menti nostræ præsens esse potest ope sensuum externorum, quin intellectus suprà seipsum reflectatur, ut actuum suorum conscientiam habeat, tales sunt ideæ coloris, soni et corporis; idea verò reflexa est ea quæ concipitur per conversionem mentis in actus proprios, sic conscii sumus nos intelligere et velle, experiri gaudium aut mœstitiam.

Idea clara, juxtà scholasticos, est illa cujus objectum *à quolibet alio* secernimus; idea autem cujus objectum non satis discerni potest, vocari solet obscura.

Idea distincta exhibet *quasdam saltem* notas quibus res *in se* constituitur; idea verò quæ notas hujusmodi non exhibet, dicitur confusa (1).

(1) Quidam recentiores intelligunt per ideam *claram* et *obscuram*, id quod ferè omnes scholastici intelligunt per ideam *distinctam* et *confusam;* et vice versâ.

Idea tandem adæquata illa est quæ *omnes* notas seu proprietates objecti complectitur; idea verò inadæquata partem tantùm objecti repræsentat; ex. gr. idea hominis dici potest adæquata, sed idea Infiniti relativè ad nos est inadæquata.

Termini autem *orales*, ut dictum est suprà (n. 27), possunt esse *inanes* aut *reales* seu *significantes*, *simplices*, *complexi* aut *compositi*, *univoci*, *æquivoci* vel *analogi*.

Terminus quoque est *fixus* aut *vagus*, prout habet vel non habet sensum præcisum et determinatum; ità vox *homo* significat animal rationale, sed vocabulum *natura* essentiam rerum, orbem universum, vel ipsum Conditorem exprimere potest.

Tertiò, terminos mentales simul et orales dividere licet in quatuor classes *communes* quæ ideis simul et terminis oralibus conveniunt; id est : in *positivos* et *negativos; concretos* et *abstractos; subjectivos* et *adjectivos; singulares*, *particulares* et *universales*. Aliæ terminorum species omitti possunt ut minùs utiles.

III. Quid est terminus positivus et negativus?

30. Terminus *positivus* ille est qui exprimit aliquam realitatem, ut sunt termini *Deus*, *homo*, *sapientia;* terminus verò *negativus* significat absentiam seu carentiam alicujus realitatis, ex. gr. *nihilum*, *cæcitas*, *vitium*. Terminus negativus qui designat carentiam perfectionis cuidam subjecto debitæ, ut est, ex. gr. *claudicatio*, vocari solet in scholâ terminus *privativus*.

(* Adnotandum est cum Bossuetio (*Logique*, l. I, c. xvi), et R. P. Zigliara (*Logic.* p. I, l. 1, c. 1, a. 2), terminos nonnullos esse *voce* positivos, *sensu* verò negativos, quia carentiam alicujus perfectionis designant; tales sunt termini *mortalis*, *finitus*. Alii autem termini sunt *voce* negativi, sed *sensu* positivi, quia

entitatem et perfectionem quamdam exprimunt; utputà, *immortalis* (1), *infinitus*. Multi tandem sunt *voce* simul et *sensu* positivi aut negativi; tales sunt termini *virtus* et *scientia*, *injustus* et *impius*. Aliundè, ut iterùm notabis, omnis negatio supponit affirmationem et terminus negativus aliquid positivum menti exhibet; ex. gr. *visio* est entitas realis, hujus autem entitatis carentia cæcitatem constituit; eapropter idea cæcitatis non concipitur nisi per ideam visionis; itemque malum intelligitur ut mera boni privatio : « L'idée du mal, ait Bossuetius loco citato, n'est que l'éloignement de l'idée du bien. »*)

IV. Quid est terminus concretus et abstractus?

31. Terminus *concretus* designat proprietatem cuidam subjecto inhærentem, dum terminus *abstractus* significat proprietatem a quolibet subjecto præcisam et separatam; seu etiàm, ut loquamur cum veteribus, terminus concretus exprimit formam cum subjecto, et terminus abstractus repræsentat formam sine subjecto. Id est, objectum aliquod representari nequit in animâ sine proprietatibus seu notis, quibus determinatur et ab aliis rebus secernitur, ut dictum est suprà (n. 23); sed terminus potest exprimere notas et proprietates hujusmodi cum subjecto quodam reali unitas, vel ab omni subjecto mentis operatione separatas : si priùs, terminus dicitur concretus; si posteriùs, vocatur abstractus. Sint exempla : termini *homo ille*, *hic medicus*, *ille sapiens*, sunt concreti; termini verò *humanitas* in genere, *sapientia*, *sanitas*, sunt abstracti (2).

(1) Ad rem appositè scripsit Bossuetius : « Ainsi quand on parle d'un être immortel, on y suppose tant d'être et tant de vie, que le non-être n'y a point de place. Ce qu'on exprime par ce terme est très-positif, puisque c'est une plénitude d'être et de vie, ou, si l'on veut, une force du principe qui fait vivre; mais le terme négatif le fait bien entendre. » *Logique*, l. I, c. XVI.

(2) (* Nota : De terminis concretis et abstractis egregiè scripsit Bos-

(* Notandum est triplex esse concreti genus, *metaphysicum physicum* et *logicum* : concretum metaphysicum designat proprietatem quæ intrinsecè simul ac essentialiter inhæret subjecto, ut est *rationalitas* in Platone; concretum physicum exprimit proprietatem quæ accidentaliter tantùm adhæret subjecto, qualis est *albedo* in pariete; concretum logicum significat proprietatem quæ subjecto tribuitur ab hominibus, ità *laus* militi post victoriam tribui solet.*)

V. Quid est terminus substantivus et adjectivus?

32. Apud logicos, terminus *substantivus*, qui dicitur à nonnullis « absolutus » exprimit substantiam, seu rem quæ per se subsistit, ut *homo*, aut saltem concipitur ut per se subsistens, v. gr. *humanitas;* terminus autem *adjectivus*, seu « connotativus, » ut aiunt, significat aliquam proprietatem quæ substantiæ inhæret, vel exprimit modum quo afficitur substantia, ex. gr. *doctus*, *sapiens*, *pius*, *fortis*, sunt termini adjectivi.

(* Hic duo notanda sunt : primò, terminus adjectivus majorem extensionem habet apud logicos quam apud grammaticos; sæpè enim nomina substantiva grammaticorum sunt tantùm adjectiva in sensu logicorum; ex. gr. *medicus*, *pictor*, *musicus* et termini similes designant hominem peritum arte sanandi, pingendi vel cantandi; undè, relativè ad hominem voces hujusmodi sunt tantùm adjectivæ. Secundò, in argumentatione sedulò cavendum est ab ambiguitate quæ nonnunquam oritur ex unione, seu, juxtà morem loquendi scholasticorum, ex « *appel-*

suetius : « Ce qu'il y a de plus remarquable dans les termes *abstraits* et *concrets*, c'est que tous les termes abstraits s'excluent nécessairement l'un l'autre, au lieu que les termes concrets peuvent convenir ensemble... Pour cela nous disons que Dieu est mort pour nous, et que l'homme qui nous a rachetés est tout-puissant; mais c'est un blasphème de dire que la divinité soit morte ou que l'humanité soit toute-puissante. » *Logique*, l. I, c. 43.

latione » termini substantivi et termini adjectivi; quippè, fieri potest ut quædam proprietas conveniat subjecto sub omni respectu, vel tantummodò sub tali talive respectu; ut si dicas : homo *intelligit*, homo *sentit*, aut etiàm : medicus *sanat*, medicus *cantat*, vox *intelligit* dicitur de homine in quantum est homo seu rationalis, et vox *sentit* dicitur de homine in quantum est animal; pariterque vox *sanat* dicitur de medico in quantum est medicus, et vox *cantat* dicitur de medico in quantum est homo (1*).

VI. Quid est terminus singularis, particularis et universalis?

33. Terminus singularis ille est cujus objectum est individuum unum et determinatum; ex. gr. *Petrus*, *Roma*, *hic homo* (2). Terminus particularis dicitur cujus extensio aut saltem applicatio est indeterminata : ut *quidam homines*, *aliquis philosophus*. Terminus generalis seu universalis sumitur secundùm totam extensionem suam, nempè complectitur omnia individua ejusdem naturæ, vel ejusdem collectionis; ex. gr. termini *omnis homo*, *nullum animal*, *civitas*, *exercitus*, sunt *universales*.

Universale autem duplici modo accipitur, *collectivè* aut *distributivè* : terminus universalis collectivus exprimit aliquid commune pluribus, non singulatim, sed simul et conjunctè sumptis, ut termini *civitas* et *exercitus*; et verò, quilibet civis aut miles non est tota civitas nec exercitus; sed omnes cives aut milites collectivè consti-

(1) (* Nota : in argumentatione, scholastici hoc modo terminorum appellationem exprimere solent : medicus cantat, *distinguo : materialiter*, scilicet quatenùs est homo, *concedo; formaliter*, seu *reduplicative*, videlicet *in quantum* est medicus, *nego*.*)

(2) Notæ quibus individua secernuntur his versiculis exprimi solent in scholâ :

« *Forma*, *figura*, *locus*, *tempus*, *stirps*, *patria*, *nomen* :
» Hæc ea sunt septem, quæ non habet unus et alter. »

tuunt civitatem vel exercitum. Terminus autem universalis distributivè designat aliquid commune pluribus, tum sigillatìm tum conjunctè sumptis; ità vox homo est distributiva, nam Petrus est homo, Paulus est homo, et sic de cæteris hominibus, sive separatìm, sive collectivè habeantur. Hæc sedulò notanda sunt in argumentatione; nam in descensu ab universali ad singulare, seu « in suppositione universali, » ut loquamur cum veteribus, terminus singularis substitui potest universali distributivo, quod fieri nequit de universali collectivo; v. gr. eò quod omnes homines sunt *mortales*, dicere possumus quemlibet hominem esse mortalem; sed eò quod omnes milites componunt *exercitum*, non possumus inferre unum militem componere exercitum.

(* Ut notandum est, terminus *oralis* nonnunquam dicitur *indefinitus*, nempè, quum extensio illius ità est indefinita ut possit esse universalis aut particularis; ex. gr. terminus *homo* est indefinitus, quià *omnem* hominem vel *quosdam* tantùm homines designare potest (cf. n. 47). Terminus verò mentalis nunquam est indefinitus. *)

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De universali reali et logico.

VII. **Quid intelligendum per universale reale et logicum?**

34. Ex dictis, facilè concipi potest quid intelligere debemus per universale *reale* et *logicum;* videlicet, universale distributivum duplici modo spectatur, vel *directè*, quatenùs exprimit aliquid *existens* in rebus ipsis singularibus seu in individuis, et *reflexè*, quatenùs ab intellectu nostro concipitur, sine realitate propriè dictâ in

rebus individuis, etsi tamen quoddam fundamentum in eis habeat; ex. gr. terminus *homo* repræsentat objectum reale, Petrus enim et Paulus sunt verè homines; termini autem *genus* et *species* non designant ens quoddam existens extrà mentem nostram, quia nullum ens vocari potest genus aut species. Undè, terminus qui directè designat objectum reale, meritò dicitur *realis;* ille verò qui exprimit aliquid existens solùm reflexè in animâ, jurè appellatur *logicus* (1).

VIII. Quomodo universalia realia reduci possunt ad decem categorias?

35. Quidquid intellectus directè conspicit in rebus vel est *in se* vel in *alio* tanquam in subjecto, seu etiam vel est *substantia*, vel *accidens;* novem autem sunt accidentium species; idcòque, secundum Aristotelem (*De Categ.*), universalia realia reduci possunt ad *decem categorias* seu suprema genera, quæ dici solent decem *prædicamenta*, eò quod exhibent attributa omnia quæ de subjecto quodam reali *prædicari* aut enuntiari possunt; hæc sunt : *substantia*, *quantitas*, *qualitas*, *relatio*, *actio*, *passio*, *ubi*, *quandò*, *situs* et *habitus*, de quibus iterùm in Ontologiâ dicendum est.

Substantia est res cui convenit esse *in se* et non in alio tanquam in subjecto; « velut homo, equus, » ut ait Aristoteles (*De Categ.*).

(1) Universale reale dicitur etiam in scholâ universale *primæ intentionis*, et universale logicum appellatur universale *secundæ intentionis* : « Aliter hi termini appellari solent etiam *primæ intentionis* et *secundæ intentionis*, quatenùs exprimunt objectum sub respectu quo mens *primò* fertur in ipsum, nempe per actum directum et quoad prædicata realia; vel exprimunt objectum sub respectu quo mens *secundo* fertur in ipsum, nempè per actum reflexum et quoad prædicata logica. » R. P Liberatore, *Logic.*, p. I, c. 1, a. 5.

Quantitas est accidens seu proprietas per quam corpus habet partes extrà partes positas, et ità cohærentes ut unum efficiant compositum; v. gr. « esse duorum aut trium cubitorum. »

Qualitas est accidens per quod substantia est talis aut talis, seu etiàm est dispositio vel aptitudo quæ substantiam perficit et determinat ad aliquid agendum aut recipiendum; ut sunt scientia, virtus, sanitas.

Relatio est accidens quod exprimit ordinem seu respectum unius entis ad aliud; v. gr. paternitas, filiatio, fraternitas.

Actio est actualis determinatio substantiæ ad effectum quemdam producendum; « ut secare, urere. »

Passio autem est accidens quo substantia in seipsam accipit effectum aut mutationem; ut moveri, secari.

Ubi est locus in quo substantia corporea circumscribitur, ità ut sit ibi et non alibi; v. gr. esse « in foro. »

Quandò significat tempus quo res fit aut evenit; ut herì, hodiè, anno proximè elapso.

Situs designat ordinationem partium corporis ad locum; ex. gr. Petrus jacet, sedet, ambulat.

Habitus tandem exprimit accidens quod rei corporeæ adjicitur per modum ornamenti; ex. gr. « calceatum esse, armatum esse, » ut iterùm cum Aristotele loquamur (1).

(* Decem categorias, seu suprema rerum genera disticho sequenti post veteres exprimere juvat :

« Arbor - sex - servos - ardore - refrigerat - ustos; »
(Substantia - quantitas - relatio - qualitas - actio - passio;)

(1) Secundum Aristotelem (*De Categoriis*), prædicamenta non possunt esse plura nec pauciora quam decem : « Eorum quæ sinè omni conjunctione dicuntur, ait, unumquodque aut *substantiam* significat, aut *quantum*, aut *quale*, aut *ad aliquid*, aut *ubi*, aut *quandò*, aut *situm esse*, aut *habere*, aut *agere*, aut *pati*.

« Ruri - cras - stabo - sed tunicatus ero. »
(Ubi - quando - situs - habitus.*)

IX. Quomodo universalia logica in quinque classes dividi possunt?

36. Intellectus, notiones generales inter se conferens ope reflexionis, ut illas definire et earum scientiam adipisci valeat, quinque signis seu notis maxime communibus utitur, quibus res diversas secernit, dividit, componit et disponit secundùm ordinem logicum, id est, secundùm ordinem quem ipsa ratio concipit; undè, juxtà philosophos, quinque sunt universalia logica, nempè : *Genus*, *species*, *differentia*, *proprium* et *accidens*, quæ vocari solent *universalia Porphyrii* (Cf. *Isagoge*), aut etiam *prædicabilia*, eò quod de pluribus dici possunt, etsi non sint realiter in rebus.

Ecce quomodò universalia logica concipiuntur ab intellectu : notio universalis ea est quæ pluribus convenit; sed aliquid pluribus convenire potest duplici modo : vel exprimit rerum *essentiam*, vel *proprietatem* essentiæ adjunctam. Id quod est essentiale, vel designat *totam* rei essentiam, ut esse *animal rationale*, relativè ad Petrum, « et sic est *species*, » ut ait Goudin (In *Logic.* p. I, q. 1, a. 4); vel significat *partem* essentiæ duabus pluribusve speciebus *communem*, ut esse *animal* respectu hominis et equi, et hoc est *genus;* vel exprimit *partem* essentiæ per quam species inter se *differunt*, ut esse *rationale* relativè ad hominem, et sic concipitur *differentia*. Id quod essentiæ adjunctum est, vel ei additur *necessariò*, ut *facultas* « *ridendi* » in homine, et hoc est *proprium;* « vel ei contingenter inest, » ut morbus aut sanitas inesse possunt homini, « et sic est *accidens*. »

Ex dictis, quinque universalia hoc modo definiri pos-

sunt : *Genus* est, pars essentiæ *communior*, quæ scilicet convenit pluribus individuis specie distinctis ; *differentia* autem, est pars essentiæ particularis et *propria*, per quam individua ejusdem generis *specificè* distinguntur ; *species* verò est, *tota essentia* in quantum convenit pluribus individuis qui *numero* tantùm et *accidentibus* inter se differunt.

Ea *proprietas* quæ *necessariò* essentiæ adjicitur, est ejusdem essentiæ *proprium ;* illa verò sine quâ rei essentiam concipere possumus, est *accidens*. Jamque res individua seu *individuum* quod istas proprietates possidet est ens *in se unum* et *indivisum*, sed à quolibet *alio distinctum*.

Ex. gr. relativè ad Petrum, vox *animal* est genus ; *rationale* est differentia ; *animal rationale* est species ; *facultas « ridendi »* est proprium ; *morbus* est accidens ; ipse Petrus est *individuum* (1).

(* Hic duo notanda sunt : primò scilicet, præter universalia logica quæ, propter aliquam naturæ similitudinem, *univocè* de rebus finitis prædicantur, sunt alii termini maximè communes et generales qui de omnibus entibus, jam non univocè, sed tantum *analogicè* dicuntur ; universalia hujusmodi *transcendentalia* vocari solent, quia transcendunt omnes species omniaque genera. Sunt numero quinque, juxtà veteres philosophos : *ens, unum, aliquid, verum* et *bonum*.

Secundò, genera, species et differentiæ inter se conferri possunt et ordinari ; nempè, genus est *supremum, infimum* aut *subalternum :* genus supremum non habet suprà se genus aliud ; genus autem infimum non habet infrà se genus aliud ; genus vero subalternum tum suprà se tum infrà se habet alia genera.

(1) Sæpè apud scholasticos, genus dicitur *quid incompletum ;* species, *quid completum ;* differentia, *quale quid ;* proprium, *quale necessariò ;* et accidens, *quale contingenter*.

Eodem modo, species dicitur *suprema*, *infima* vel *subalterna*; item differentia est *suprema*, *infima* aut *subalterna*. Jamque suprà genus supremum sunt transcendentalia tantùm, et infrà speciem infimam sunt solùm individua; genera autem, species et differentiæ alternè disponuntur, ità ut genus supremum, nempe *substantia*, per differentiam dividatur in duas species supremas; et sic deinceps de aliis generibus usque ad *animal* quod partitur in duas species infimas, id est, in irrationale et rationale. Hanc ordinationem exprimit celeberrima *tabula*, quæ dicitur *arbor Porphyrii* (Cf. *Isagoge*).

Substantia	incorporea; corporea.
Corpus	inorganicum; organicum.
Vivens	insensibile; sensibile.
Animal	irrationale; rationale.
Homo	individua; Cicero, etc. (1) *)

(1) Juxtà quosdam philosophos recentiores, universalium tabula hoc modo confici potest :

Individua	Socrates; Plato, etc.
Individuorum proprietates	accidentales; necessariæ;
Proprietates necessariæ	specificæ; communes;
Proprietates communes	analogicæ; genericæ;
Proprietates genericæ	proximæ; remotæ.

CAPUT SECUNDUM.

DE JUDICIO ET PROPOSITIONE.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de judicio et propositione?

37. Idea concipitur apprehensione simplici, ut dictum est suprà; deindè verò intellectus, ope *judicii*, de idearum convenientiâ aut repugnantiâ pronuntiat; sicut autem idea terminis oralibus exprimitur, ità et judicium *propositionibus* enuntiari solet; sed judicium et propositio, ut terminus mentalis et oralis, in varias *species* dividuntur; aliundè, qui peritus in arte argumentandi evadere præsumit, *proprietates* nonnullas propositionum inquirere debet. Undè, caput secundum dividi potest in tres articulos : 1^us^ erit de *naturâ* judicii et propositionis; 2^us^ de *divisione* judicii et propositionis; 3^us^ de propositionum *proprietatibus*, præsertim de *oppositione* et *conversione*.

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ judicii et propositionis.

II. Quomodo definitur judicium?

38. Quoad nomen, *judicium*, è verbo judicare (κρίνειν), designat sententiam quæ fertur à judice in lite dirimendâ (S. Thomas, *Sum. Theol.* 2ª 2æ, q. 60, a. 1, ad 1^um^); communiter autem usurpari solet pro actu, quo mens affirmat aut negat rem esse vel non esse, in eoque sensu definitur : *Actus intellectûs de duarum idearum convenientiâ aut repugnantiâ pronuntiantis.*

Judicium est *actus intellectûs;* judicare enim, ut dicendum est in Psychologiâ, non pertinet ad sensum, nec ad voluntatem, sed ad solam rationem (1). Ope judicii, *pronuntiamus* rem esse aut non esse; undè judicium differt à simplici apprehensione, in quâ nondùm est veritatis affirmatio vel negatio. Judicium tandem est actus, quo mens pronuntiat *de duarum idearum convenientiâ aut repugnantiâ;* videlicet, intellectus ideas primùm concipit, posteaque illas « componit et dividit, affirmando et negando, » ut ait sanctus Thomas (*Qq. Disp. De Veritate,* q. XIV, a. 1); hoc est, intellectus duas ideas inter se conferens, eas conjungit aut separat, illarum convenientiam aut repugnantiam affirmans; ex gr. *Deus est sapiens, homo non est æternus.*

III. Quid intelligitur apud philosophos per materiam et formam judicii?

39. Duæ ideæ quæ inter se comparantur, nempè, subjectum et attributum dici solent apud philosophos *materia* judicii; actus verò intellectûs qui subjectum et attributum conjungit aut separat, seu actus quo judicium perficitur, est quasi *forma* judicii seu *nexus* inter subjectum et attributum.

Primò quidem, in omni judicio tria *elementa* semper inveniuntur : *subjectum, attributum* et *copula.* Subjectum est id de quo aliquid affirmatur aut negatur; illud verò quod affirmatur vel negatur de subjecto, vocari solet attributum seu *prædicatum;* et verbum *est* aut *non est,* quod subjectum et attributum conjungit vel separat,

(1) Juxtà sensistas absolutos, judicium est actus sensationis : « Juger, ait de Tracy (*Éléments d'idéologie*), c'est *sentir* des rapports entre nos perceptions. » Nonnulli verò Cartesiani judicium ad voluntatem referendum esse putant.

dicitur *copula*. In exemplo, *Deus est æternus*, vox *Deus* exprimit subjectum de quo æternitas affirmatur; *æternitas* designat attributum quod de subjecto prædicatur; et verbum *est* Deum et æternitatem, ut ità dicam, inter se copulat.

Illud autem judicium in quo subjectum et attributum componuntur per copulam *est*, dici debet *affirmativum;* judicium verò in quo subjectum et attributum dividuntur per copulam *non est*, *negativum* appellatur (1).

Secundò, mens quasi triplici operatione judicium concipit et perficit : nempè, duas ideas separatim inspicit; illas inter se comparat; et tandem eas copulat aut dividit. Ità, faber lignarius duo ligna eligit, ea perpolit et commensurat, posteaque in unum opus illa colligit. Actus verò intellectûs qui duas ideas affirmatione vel negatione componit aut dividit, seu etiàm *affirmatio* vel *negatio* convenientiæ idearum, *essentia* seu *forma* judicii meritò dicitur (S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 27, a 1 et q. 85, a. 5).

Ex dictis, tria colligere fas est : primò, quoad elementa, nempè « *materialiter*, » judicium est compositum, tribus enim elementis conflari debet, subjecto, attributo et copulâ; sed quoàd formam, seu « *formaliter*, » est unum et simplex, quià nulla est compositio in

(1) (* Nota : quandoque apud scholasticos, hæc aut alia similia reperies : attributa prædicantur de subjectis in sensu *recto* et *obliquo;* quod sic intelligere debes : si prædicatum tribuitur subjecto in *nominativo*, ex. gr. Deus est *sanctus*, vel etiam in *accusativo*, juxtà quosdam philosophos, « *prædicatio* est in sensu *recto;* » si verò prædicatum dicitur de subjecto in *genitivo, dativo, ablativo,* et etiàm *accusativo,* juxtà nonnullos auctores, « *prædicatio* est in sensu *obliquo;* » ut in his exemplis : creaturæ sunt *Dei, Deo, à Deo, ad Deum.* (Cf. Zigliara, *Logic.*, p. 1, l. I, c. 1, a. 1. *)

adhæsione mentis, per quam idearum convenientia negatur vel affirmatur. Secundò, judicium est *prudens* vel *temerarium*, in quantum formatur post diligentem aut levem tantùm comparationem attributi cum subjecto. Tertiò tandem, in formatione judicii, convenientia aut repugnantia subjecti et attributi vel illicò patet, vel ope discursùs innotescit; undè, judicium est *immediatum* aut *mediatum*. Si autem intellectus nec immediatè nec mediatè idearum convenientiam vel repugnantiam percipit, nullum judicium proferre potest.

IV. Quid intelligitur per judicium analyticum et syntheticum?

40. Ex dictis etiàm concipi potest quid intelligitur per judicium *analyticum* et *syntheticum;* videlicet, in formatione judicii, vel intellectus percipit attributum ut aliquid subjecto *essentiale* aut proprium, v. gr. *totum est majus suâ parte;* vel concipit attributum ut aliquid subjecto *accidentale* aut additum, ex. gr. *ille homo est senex.*

Jamque, judicium in quo nexus seu convenientia subjecti et attributi fundatur in ipsâ rerum essentiâ, dicitur *analyticum*, e voce *analysis* (ἀνάλυσις), quià prædicatum in subjecto deprehendi potest per simplicem analysim ipsius subjecti; vocatur etiàm *à priori, necessarium, absolutum, rationale, metaphysicum.*

Judicium autem in quo nexus seu convenientia subjecti et attributi non nititur in ipsâ rei essentiâ, sed pendet a facto quodam accidentali, est *syntheticum*, e voce *synthesis* (συντίθημι), quià prædicatum additur subjecto ut aliquid extrinsecum et contingens; dicitur quoque *à posteriori, contingens, hypotheticum, empiricum, physicum* (1).

(1) (* Nota : Juxtà Kantium (*Critique de la raison pure*), præter

V. Quid est propositio logica?

41. Sicut terminus est signum ideæ, ità propositio logica judicium exprimit, et idcircò definiri potest : judicium oratione breviter enuntiatum; seu etiàm : *oratio judicium breviter enuntians;* ex. gr. *homo est mortalis, anima est simplex.*

Propositio dicitur *oratio;* id est, in omni propositione, non unus tantùm, sed plures inveniuntur termini, *saltem implicitè.* Propositio *judicium breviter* exprimit; undè, quum in judicio tria sint elementa, necesse est ut propositio tres etiàm terminos habeat, *subjectum, attributum* et *copulam;* subjectum est terminus ad quem attributum refertur; attributum designat terminum qui prædicatur de subjecto; et copula dicitur quasi nexus inter subjectum et attributum. Eà de re, subjectum et attributum haberi solent ut *materia* et termini propriè dicti; copula autem exprimit *formam* propositionis.

Propositio logica judicium *enuntiat;* nempè, secundùm Aristotelem (Περὶ ἑρμηνείας, v) et sanctum Thomam (*In* I *Periherm.* lect. 7), quinque sunt orationum seu propositionum species, « *enuntiativa, deprecativa, imperativa, interrogativa* et *vocativa;* » sint exempla : propositio, *juvenis est studiosus*, dicitur enuntiativa seu indicativa; *rogo vos ut Logicæ studeatis*, est propositio deprecativa; hæc verò est imperativa : *attende lectioni;* sequens dicitur interrogativa : *Quid cogitatis?* Et tandem propositio vocativa his terminis aliisve similibus exprimitur : *O ju-*

judicia analytica et synthetica, sunt et alia judicia nec absolutè analytica, nec absolutè synthetica, sed *synthetica-à-priori;* ut sequens : *omnis effectus habet causam.* Quod falsum est; nam, in omni judicio, vel attributum exprimit aliquid subjecto essentiale, vel non; si priùs, judicium dicitur analyticum; si posteriùs, judicium vocatur syntheticum; eapropter, omne judicium est analyticum, vel syntheticum. *)

venes studiosi! sed sola propositio enuntiativa « verum » aut « falsum » exprimit ; id est, sola significat rem esse, vel non esse, et affirmat aut negat subjectum et attributum inter se convenire ; undè, sola propositio enuntiativa seu « *enuntiatio*, » ut aiunt, pertinet ad Logicam. Aliæ autem orationum species designant actum et desiderium voluntatis, potiùs quam veritatem propositionis ; ex. gr. eò quòd magister dicit, *attendite lectioni*, non indè sequitur alumnos esse lectioni attentos.

Ut sedulò notabis, tempus præsens verbi *sum*, *es*, *est*, *non sum*, *non es*, *non est*, affirmat vel negat convenientiam subjecti et attributi, ac ideò exprimit rem esse veram aut falsam ; eapropter, omnis propositio, in quâ verbum hujusmodi saltem implicitè reperitur, habenda est ut propositio logica.

VI. Quid dicendum de expressione et dispositione terminorum in propositione logicâ ?

42. Primò, relativè ad *expressionem*, in omni propositione, ut dictum est suprà (n. 41), plures termini, nempè subjectum, attributum et copula, necessariò inveniuntur *saltem implicitè ;* videlicet, in propositione logicâ, oportet ut tres sint termini quoàd *sensum*, sed non exprimuntur semper *explicitè* quoàd *sonum ;* sint exempla : *Homo est mortalis ; Deus est*, (scilicet, Deus est existens ;) *cogito*, (videlicet, ego sum cogitans.) Prima ex his propositionibus est *completa et explicita ;* secunda verò, quæ vocari potest *elliptica*, duobus terminis conflatur ; tertia autem uno termino constat, et jurè dicitur *implicita* et *incompleta* (1).

(1) (* Nota : juxtà morem loquendi veterum, propositio explicita vocatur *de tertio adjacente ;* propositio elliptica dicitur *de secundo adjacente ;* propositio implicita nuncupatur *de primo adjacente.* *)

Secundò, relativè ad *dispositionem* terminorum, propositio potest esse *directa* vel *indirecta*, seu « *naturalis* et *innaturalis*, » ut aiunt scholastici : propositio directa ea est cujus termini hoc ordine disponuntur : subjectum, copula et attributum; ex. gr. *homo est immortalis*, *mendacium est turpe;* in propositione autem indirectâ, prædicatum est loco subjecti; scilicet, *aliquod mortale est homo*, *turpe est mentiri.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De speciebus judiciorum et propositionum.

I. Quænam sunt præcipuæ judiciorum et propositionum species?

43. Id quod dictum est suprà de ideis et terminis (n. 29), verum est etiàm in quæstione præsenti; nempè, judicium et propositio, sicut idea et terminus, dividi possunt in quasdam species utrique *communes*. Ea igitur quæ dicenda sunt in hoc articulo, ad judicium simùl et propositionem, quodam saltem modo, referri debent. Sed, in omni judicio et propositione, quatuor inveniuntur, *materia*, *forma* seu *qualitas*, *veritas* et *quantitas;* undè judicium, seu propositio rectè dividi potest, secundùm Aristotelem (Περί ἑρμηνείας), et sanctum Thomam (In I *Periherm.*) :

1°.
Ratione *materiæ*,
in *necessariam*,
impossibilem
et *contingentem;*

2°.
Ratione *qualitatis*,
in *affirmativam*
et *negativam;*

3°.
Ratione *veritatis*,
in *veram*
et *falsam;*

4°.
Ratione *quantitatis*,
in *singularem*,
universalem,
et *particularem*.

II. **Explica divisionem quæ sumitur ratione materiæ.**

44. In judicio et propositione, subjectum et attributum, quæ habentur ut *materia* (Cf. n. 41), vel necessariò conveniunt inter se, videlicet « *homo* est *animal;* » vel essentialiter sunt opposita, ut si dicas « *homo* est *asinus;* » vel « medio modo » se habent ad invicem, ità ut attributum « nec per se repugnet subjecto, » nec illi essentialiter hæreat, scilicet *homo* est *mendax* (Cf. n. 40). Ideoque, propositio, sicut et ipsum judicium, dividitur in *necessariam*, *impossibilem* et *contingentem*, ut videre est apud sanctum Thomam (I. *Periherm.*, lect. 13).

III. **Explica divisionem quæ sumitur ratione formæ seu qualitatis.**

45. Ex parte copulæ, quæ habetur ut *forma*, eò quod est vinculum et nexus inter subjectum et attributum, propositio, sicut judicium, dividitur in *negativam* et *positivam :* propositio affirmativa ea est cujus subjectum et attributum conjunguntur copulâ *sum*, *es*, *est;* et propositio negativa est illa cujus subjectum et attributum separantur copulâ *non sum*, *non es*, *non est;* ex. gr. homo *est* mortalis, anima *non est* corpus.

(* Ut propositio sit negativa, particula *non* afficere debet ipsum verbum; secùs enim propositio est affirmativa; ut si dicas, homo est *non lapis*. Sed propositio hujusmodi facilè resol-

vitur in negativam; sic, affirmativa, homo est *non angelus*, reducitur ad negativam, homo *non est* angelus (1). *)

IV. Explica divisionem quæ sumitur ex parte veritatis.

46. Si judicium et propositio spectantur relativè ad *objectum* suum, vel cum illo concordant, vel ab illo dissonant; et ideò, ratione *veritatis*, judicium et propositio sunt *vera* aut *falsa* : propositio vera ea est quæ judicium verum enuntiat, et judicium verum est illud quod consonat rei seu objecto, de quo judicatur; ex. gr. *homo est mortalis*. Propositio falsa illa est quæ judicium falsum exprimit, et judicium falsum dicitur quod discordat à re judicatâ; ut illud : *Deus non est providus*.

(* Juxtà sanctum Thomam (I. *Periherm.* lect. 9), propositio duplici modo potest esse vera, et duplici quoque modo potest esse falsa : quippè, propositio vera aut affirmat ut verum id quod reapsè verum est, aut enuntiat ut falsum id quod est falsum; v. gr. « quum currit Socrates, et dicimus Socratem currere, » aut « quum dicitur : Æthiops albus non est. » Propositio falsa vel affirmat ut verum id quod est falsum, vel enuntiat ut falsum id quod est verum; ex. gr. « corvus est albus, » et « nix non est alba ». *)

V. Explica divisionem quæ sumitur ex parte quantitatis.

47. *Quantitas* in judicio et propositione designat *extensionem* subjecti; porrò, subjectum est *universale*, *particulare* vel *singulare*, ut dictum est (n. 33); undè, judi-

(1) (* Nota : propositio cujus subjectum negatione afficitur, ut, *non amare* sapientiam est summa stultitia, dici solet à scholasticis propositio *infiniti* seu *indefiniti subjecti;* et ea cujus attributum negatione afficitur, est propositio *infiniti* seu *indefiniti prædicati*. *)

cium, proindeque ipsa propositio dividitur in *universalem, particularem* et *singularem*. Sint exempla : « *omnis homo* est animal ; » *quidam homines* sunt docti ; *Tullius* est orator.

Advertendum est extensionem in quibusdam propositionibus non esse quoad *sonum* determinatam, ut in sequenti : *homo* est rationalis (Cf. S. Thom. I. *Periherm.* lect. 10) ; sed, quoad *sensum*, omnis propositio hujusmodi, quæ dicitur *indefinita*, resolvi debet in universalem aut particularem ; nam, omnis propositio indefinita est *necessaria* vel *contingens* (n. 44), seu in materiâ necessariâ aut contingenti, ut aiunt ; sed, omnis propositio indefinita et necessaria resolvitur in *universalem*, et omnis propositio indefinita et contingens resolvitur in particularem.

Primò, propositio indefinita et necessaria resolvitur in universalem ; v. gr. *homo* est animal, idem sonat ac si diceretur : *omnis homo* est animal. Reverà, subjectum et attributum, in propositione necessariâ, separari nequeunt ; putà, *esse homo* et *esse animal rationale* semper et necessariò conjungi et simùl inveniri debent.

Secundò, propositio indefinita et contingens resolvitur in particularem ; sic, propositio indefinita, *homines* sunt *prudentes*, non differt à particulari, *quidam homines* sunt *prudentes*. Et verò, in propositione contingenti, attributum est proprietas subjecto addita velut aliquid accidentale ; ità, in exemplo jàm allato, prudentia convenire potest quibusdam hominibus, sed non necessariò nec semper in omnibus invenitur.

VI. Quid dicendum de universali metaphysicè, physicè et moraliter?

48. Ex dictis, facilè concipi potest quid intelligere de-

bemus per propositionem *metaphysicè*, *physicè* aut *moraliter* universalem ; omnis enim propositio est necessaria vel contingens : propositio in materiâ necessariâ dicitur *metaphysicè* et absolutè vera aut falsa, et nullam *exceptionem* admittit, eò quod nititur in ipsâ rerum essentiâ ; sic, *omnis circulus est rotundus*.

Veritas autem aut falsitas propositionis in materiâ contingenti pendere potest a legibus *naturæ* vel ab ipsa *voluntate* hominum : propositio cujus veritas aut falsitas pendet à legibus naturæ, ut *omnes homines moriuntur*, *nullus mortuus resurgit*, vocari solet universalis *physicè* ; non est absoluta, eò quod Deus, Auctor naturæ, legibus à seipso statutis derogare potest.

Propositio cujus veritas aut falsitas pendet a liberâ voluntate hominum, ut *omnis mater filium suum diligit*, est universalis *moraliter* ; quum autem voluntas humana sit imbellis, propositiones hujusmodi multas exceptiones patiuntur (1).

VII. Quænam regulæ statui possunt de attributi extensione et comprehensione ?

49. Propositionis universalitas à quantitate subjecti sumenda est, ut vidimus (n. 47). Attributi etiam *extensio* et *comprehensio* duabus subjiciuntur regulis, quas exponere libet, ne sensus propositionis ambiguitati locum præbeat.

Prima regula : In propositione *affirmativa*, prædicatum, *vi affirmationis*, non sumitur secundùm *totam extensionem* ; sumitur autem secundùm *totam comprehensio-*

(1) (* Nota : in argumentatione, illicitum est inferre veritatem propositionis singularis ex universali moraliter verâ ; sic, non licet dicere : « Fatres se mutuò diligunt ; ergò Cain dilexit » fratrem suum Abel (Cf. Zigliara, *Logic.*, p. 1, l. II, c. II, a. 2) ; eapropter, in argumentatione, propositio universalis moraliter idem sonat ac ipsa particularis. *)

nem. Videlicet, in propositione, omnis homo est *animal*, attributum non dicitur de subjecto secundùm totam extensionem, alia enim sunt animalia præter hominem; sed dicitur de subjecto secundùm totam comprehensionem, quidquid enim animali convenit, ut habere *sensum*, *vitam*, esse *substantia*, in homine etiam invenitur.

Dicitur : *vi affirmationis;* quià, per accidens et « *vi materiæ*, » ut aiunt, attributum sumitur secundùm totam extensionem, ut fit in definitione, scilicet, in propositione cujus attributum totam et solam subjecti essentiam complectitur, et eamdem ideam exprimit; ut si dicas, homo est *animal rationale*, idem est ac si diceres, animal rationale est *homo.*

Secunda regula : In propositione *negativâ*, prædicatum sumitur secundùm totam extensionem; non sumitur autem secundùm totam comprehensionem. Ità, in propositione, homo non est *asinus*, attributum *asinus* removetur à subjecto secundùm totam extensionem, quià *nullus* asinus est homo; sed attributum non removetur à subjecto secundùm totam comprehensionem, eò quod multæ sunt proprietates in asino, quæ reperiuntur etiàm in homine, ut habere *corpus*, esse *vivens* et alia similia.

ARTICULUS TERTIUS.

De propositionum proprietatibus.

I. Quomodo subdividi potest articulus 3us, de propositionum proprietatibus?

50. Ea quæ vidimus judicio simul et propositioni, quodam saltem modo, sunt communia; nunc verò dicendum est de nonnullis proprietatibus quæ speciali modo propositioni conveniunt. Quum autem propositiones vel *in se*

spectari possint, vel *inter se* conferri, articulus 3^us^ logicè subdividitur in duos paragraphos : 1° de propositionibus *in se* sumptis; 2° de propositionibus *ad invicem* comparatis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De propositionibus in se sumptis.

II. Quid est propositio simplex, composita et complexa?

51. Propositio *simplex* ea est quæ uno subjecto et uno attributo constat, ut *Deus* est *æternus*.

Illa propositio dicitur *composita* cujus subjectum, vel attributum, vel utrumque simul est duplex aut multiplex; undè, propositio composita duas, tres pluresve propositiones simplices continet. Talis est propositio sequens : « Neque *mors*, neque *vita*... poterit nos separare a caritate Dei. » (S. Paul. *Ad Roman.* VIII, 38 et 39.)

Propositio *complexa*, quæ *voce* quidem est composita, *sensu* verò simplex, ea dicitur cujus subjectum vel attributum, vel utrumque simul aliam habet annexam propositionem, quæ vocari solet propositio *incidens;* ex. gr. Deus, *qui est omnipotens*, creavit omnia. Propositio hujusmodi adnectitur propositioni *principali*, ut illius sensum *explicet* vel *restringat* (1).

(1) « Il y a plusieurs propositions qui n'ont proprement qu'un sujet et qu'un attribut, mais dont le sujet ou l'attribut est un terme complexe, qui enferme d'autres propositions qu'on peut appeler *incidentes*, qui ne sont qu'une partie du sujet ou de l'attribut; y étant jointes par le pronom relatif, *qui, lequel,* dont le propre est de joindre ensemble plusieurs propositions, en sorte qu'elles n'en composent toutes qu'une seule. » *La Logique, ou l'Art de penser,* p. II, c. V.

III. Quid notandum est de propositione composita ?

52. Circà propositionem compositam duo notanda sunt : primò quidem, propositio potest esse *apparentiâ* simul et *re* composita, ut sequens : Deus creavit *cœlum* et *terram ;* secundò autem, propositio potest esse *apparentiâ* simplex seu complexa et *re* composita, ut si dicas : Tu es *Deus solus*. Prima ex his propositionibus est apparentiâ et re composita ; nam ejus attributum duos terminos evidenter distinctos, nempè *cœlum* et *terram*, complectitur. Altera verò est apparentiâ simplex, quia termini, *Deus*, *solus*, videntur esse unus terminus ; re autem et quoad sensum, est reapsè composita, nam æqualis est duabus propositionibus : *Tu es Deus ; non est alius à te Deus.*

(* Propositiones occultè compositæ dici solent *exponibiles*, eo quod expositione indigent, ut sensus earum pateat ; propositiones autem in quas resolvi potest exponibilis, vocantur *exponentes.* *)

IV. Quid dicendum de propositionibus apertè compositis ?

53. Inter propositiones, aliæ simpliciter enuntiant aliquid esse vel non esse ; et idcò vocantur *absolutæ* seu « *categoricæ*, » ut aiunt ; nempè, scientia, pietas et fortitudo sunt laudabiles et amandæ. Aliæ verò non absolutè, sed conditione tantùm positâ, enuntiant aliquid esse vel non esse ; propterea dicuntur *hypotheticæ ;* v. gr. « *Si* quis vult post me venire, abneget semetipsum. » (*S. Matth.* c. XVI, 24). Pars illa propositionis quæ afficitur particulâ *si* aut aliis hujusmodi, nuncupatur in scholis *antecedens* seu *hypothesis*, et ea pars quæ deducitur ex hypothesi, vocatur *consequens* seu *thesis :* ità, in exem-

plo jam allato, *si quis vult post me venire*, est antecedens, et, *abneget semetipsum*, dicitur consequens.

Veritas aut falsitas propositionis hypotheticæ non pendet e veritate aut falsitate antecedentis et consequentis; sed infertur ex ipsâ connexione, vel ex defectu connexionis inter consequens et antecedens. Sint exempla : in propositione : *si Judas est Apostolus, est traditor*, antecedens et consequens sigillatim sumpta, vera sunt, Judas enim est Apostolus et Traditor; sed propositio, in quantùm est hypothetica, falsa est, nam ex eò quod Judas dicitur Apostolus, non idcircò habetur ut traditor. In propositione, *si justus es, Domine, remunerator es virtutis et ultor criminum*, connexio intima reperitur inter consequens et antecedens; Deus enim non potest esse justus, quin sit etiam remunerator virtutis et ultor criminum; eapropter, veritas consequentis ex veritate antecedentis logicè defluit.

Ex dictis, propositio hypothetica coalescit duabus pluribusve propositionibus simplicibus quæ affici possunt particulis, *si, vel, et*, aliisque similibus; undè, dividitur in *conditionalem, disjunctivam* et *conjunctivam* : conditionalis ea est, cujus propositiones simplices afficiuntur particulâ, *si, modò;* v. gr. « *si* vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis (*S. Joan.* VIII, 31). » Disjunctiva illa est, cujus propositiones simplices separantur particulâ, *vel, aut, sivè;* v. gr. substantia est corporea *vel* incorporea. Conjunctiva ea est, cujus propositiones simplices habent attributa quæ grammaticè junguntur particulâ, *et, atque*, sed logicè uni et eidem subjecto convenire nequeunt; ut, homo non potest servire Deo *et* divitiis, Petrus ambulat *et* non quiescit.

De propositionibus disjunctivis et conjunctivis duo notanda sunt : primò quidem, oppositio debet esse com-

pleta inter propositiones simplices, et requiritur ut non possint esse simul veræ, neque simul falsæ; ne dicas, ex. gr. Petrus legit aut ambulat, quià potest ambulare simul ac legere (1); itemque, non possumus dicere, Paulus legit et non sedet, quià sedere potest simul et legere.

Secundò, ut earum propositionum veritas aut falsitas pateat, resolvi debent in conditionalem; videlicet, e disjunctivâ : substantia est corporea *vel* incorporea, fit conditionalis : *si* substantia est corporea, non est incorporea; e conjunctivâ : nemo potest servire Deo *et* divitiis, fit conditionalis : *si* quis Deo servit, non servit divitiis.

(* Inter propositiones apertè compositas et *categoricas*, quæ verum aut falsum exprimunt sine conditione, quatuor numerari possunt : *copulativa*, *causalis*, *discretiva* et *relativa*. »

Propositio *copulativa* illa est, quæ plura complectitur subjecta vel attributa inter se connexa per particulas *copulantes*, *et*, *atque*, *nec*, *neque*; v. gr. Deus est creator *cœli et terræ*; « *Neque mors*, *neque vita*, poterit nos separare a caritate Dei (S. Paul. *ad Roman.* VIII, 38, 39). »

Propositio *causalis* ea est, quæ duas aut plures habet propositiones simplices inter se connexas particulâ *causali*, *quià*, *quoniam*, *enim*, *ideo*; v. gr. « Beati qui lugent, *quoniam* ipsi consolabuntur... Beati mundo corde : *quoniam* ipsi Deum videbunt (*S. Matth.* v, 5, 8). »

Propositio *discretiva* est illa, quæ conflatur duabus pluribusve propositionibus conjunctis in unam per particulas *discretivas*, seu « *adversativas*, » *sed*, *tamen*, *at*, et similes; utputà : « Necesse est ut veniant scandala : *verumtamen* væ homini illi per quem scandalum venit (*S. Matth.* XVIII, 7). »

(1) In propositionibus disjunctivis, « perfecta sit pugna (μαχη τελεία ,» ait Sextus-Empiricus (*Pyrrhon. hypoth.*). — « In disjunctione, inquit Tullius (*Acad.* l. II), plus uno verum esse non potest. »

Propositio *relativa* ea est, cujus partes seu membra colligantur particulis *relativis*, *talis qualis*, *tantùm quantùm*, *ubi ibi*; v. gr. « *Ubi* thesaurus vester est, *ibi* et cor vestrum erit (*S. Luc.* XII, 34). » *)

V. Quot sunt species propositionis occultè compositæ?

(* 54. Juxtà veteres philosophos, propositiones occultè compositæ, seu « exponibiles, » dici possunt *exclusivæ*, *exceptivæ*, *comparativæ* aut *reduplicativæ*, prout subjectum vel attributum afficitur particulis *exclusivis*, ut, *solùm*, *duntaxat*; aut *exceptivis*, ut, *præter*, *nisi*; aut *comparativis*, ut, *magis*, *minùs*; aut *reduplicativis*, ut, *in quantum*, *formaliter*, *quatenùs* (1).

Sint exempla : nobilitas *sola* est atque *unica* virtus (exclusiva); nemo læditur, *nisi* à seipso (exceptiva); « qui me tradidit tibi, *majus* peccatum habet (comparativa) (*S. Joan.* XIX, 11); » homo *quatenùs* est homo, virtute perficitur (reduplicativa). *)

VI. Quid est propositio modalis?

55. In propositione, vel attributum *simpliciter* affirmatur aut negatur de subjecto, ut « Socrates *currit*; » vel insuper additur *modus* quo attributum subjecto convenit aut non convenit, ut, Deus est *necessariò* justus. Prima propositio est *absoluta*, secunda verò dicitur *modalis* (2).

(1) Juxtà recentiores, quatuor sunt etiam species propositionis occultè compositæ; videlicet : « *exclusiva*, *exceptiva*, *comparativa*, *inceptiva* seu *desitiva*. » Cf. *La Logique, ou l'Art de penser*, p. II, c. X.

(2) Sæpiùs, apud scholasticos, propositio absoluta vocatur, *de inesse*, et propositio modalis, *de modo*. — De propositione modali, vide apud S. Thomam, *Opuscul.* 44, cui titulus, *De totius Logicæ Aristotelis summa*, Tract. VI, c. XI, XII et XIII. — Juxtà quosdam recentiores, modi propositionum sunt penè innumeri (Cf. Phil. *Tull.* et *Lugdun.*); grammaticè quidem, modi plures sunt, sed logicè, reduci possunt ad quatuor præcipuos.

Quum autem attributum quadruplici modo enuntiari possit de subjecto, nempè, « *necessariò, contingenter, possibiliter* et *impossibiliter*, » logici propositiones modales revocant ad quatuor præcipuas, quæ dicuntur apud S. Thomam « verè modales » (*Opuscul.* 44, Tract. VI, c. XI); utputà : Deum esse est *necessarium;* hominem esse est *contingens;* Petrum currere est *possibile;* materiam cogitare est *impossibile.*

(* In propositionibus modalibus, duo sunt distinguenda : *dictum* et *modus; dictum* vocatur ipsa propositio, ut, *Deus est; modus* autem est ratio quâ prædicatum subjecto convenit, ut Deus est *necessariò*. Veritas propositionum hujusmodi pendet ex veritate *dicti* simul et *modi.* *)

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De propositionibus ad invicem comparatis.

VII. Quot proprietates inveniuntur in propositionibus ad invicem comparatis?

56. Ut dictum est, propositio simplex seu complexa, *in se* sumpta, multiplicari potest vel modificari, et ex categoricâ fit *composita*, vel ex absolutâ fit *modalis*, prout nonnullis particulis aut modis afficitur. Jam verò, si propositiones *ad invicem* comparantur, tres novas proprietates induere possunt, videlicet, *oppositionem*, *æquipollentiam* et *conversionem*. Re quidem verâ, una propositio cum aliâ propositione triplici modo comparari potest; nempè, vel ei *opponitur*, vel ei *æqualis est*, vel in eam *convertitur*.

VIII. Loquere de propositionum oppositione.

57. Ingeniosa sanè ac utilis propositionum pugna, quæ

dicitur *oppositio*, definiri potest : *affirmatio et negatio ejusdem attributi de eodem subjecto, sub eodem respectu.*

Propositiones autem differre possunt *solâ qualitate* (n. 45); ut : *omnis* homo *est* justus, et, *nullus* homo *est* justus, aut etiam, *aliquis* homo *est* justus, et, *aliquis* homo *non est* justus. Dicuntur *contrariæ* vel *subcontrariæ*, prout sunt ambæ universales aut ambæ particulares.

Itemque, propositiones oppositæ differre possunt *qualitate simul et quantitate* (n. 47); ut si dicas : *Omnis* homo *est* justus, et *aliquis* homo *non est* justus; vel etiam : *nullus* homo *est* justus, et, *aliquis* homo *est* justus. Vocantur in scholâ *contradictoriæ.*

Propositiones iterùm *solâ quantitate* differre possunt; ex. gr. *omnis* homo *est* justus, et, *aliquis* homo *est* justus; aut etiam : *nullus* homo *est* justus, et *aliquis* homo *non est* justus. Sed, ut advertere est, propositiones hujusmodi non sunt oppositæ; in eis enim non est *affirmatio* et *negatio* ejusdem attributi de eodem subjecto. Dicuntur tantummodò *subalternæ* (Cf. Aristot. Περί ἑρμηνείας, XII, XIII, XIV).

(* Quatuor litteræ vocales, A, E, I, O, quarum usus dici potest in scholis jus et norma loquendi, propositionum qualitatem, quantitatem et oppositionem exhibent; scilicet : A designat universalem affirmativam; E, universalem negativam; I, particularem affirmativam; O, particularem negativam. Undè sequentes versiculi :

Asserit A, negat E; verùm generaliter ambo;
Asserit I, negat O; sed particulariter ambo.

Jamque, A E designant contrarias; I O, subcontrarias; A O et E I, contradictorias; A I et E O subalternas. Undè schema veterum :

A E

Omnis homo est justus, CONTRARIÆ Nullus homo est justus.



Aliquis homo est justus, SUBCONTRARIÆ Aliquis homo non est justus.

Ecce etiam juxtà veteres philosophos (*Opuscul.* 44, Tract. VI, c. XIII), quomodò propositiones modales opponere licet :

A E

Necesse est esse, CONTRARIÆ, Impossibile est esse.



Possibile est esse, SUBCONTRARIÆ, Possibile est non esse (1). *)

(1) Is qui contemneret præcepta veterum de propositionum oppositione, hæc verba legere posset : « Il est à remarquer que depuis sept cents ans, il n'y a pas eu en Europe un siècle aussi ignorant que le nôtre sur l'article des formes de la raison. Les penseurs et ceux qui mènent le monde par la parole les méprisent. Joignez à cela que ce même siècle est le premier qui ait produit une école de philosophie niant absolument les formes de la raison. Se peut-il qu'il n'y ait pas là un danger. » A. Gratry, *Logique*, t. I, p. 278.

IX. **Quot regulæ statuuntur de propositionibus subalternis, contrariis, subcontrariis et contradictoriis?**

58. Quatuor regulæ, maximæ quidem utilitatis, statuuntur à philosophis de veritate propositionum, quæ dici solent subalternæ, contrariæ, subcontrariæ et contradictoriæ.

Prima regula : Duæ propositiones *subalternæ*, scilicet, A I, E O, possunt esse *simul veræ*, aut *simul falsæ*, aut *una vera et altera falsa.*

Et verò, quum subalternæ solâ quantitate differant, particularis invenitur in universali distributivâ ut pars in toto; proindeque, veritas aut falsitas propositionis particularis infertur ex veritate aut falsitate universalis distributivæ; sint exempla : *Omnis* homo *est* mortalis; *aliquis* homo *est* mortalis : *omnis* homo *est* lapis ; *aliquis* homo *est* lapis. In propositione verò contingenti, fieri potest ut aliquid verum sit de universali et falsum de particulari, aut verum de particulari et falsum de universali ; v. gr. *Omnes* cives *sunt* civitas ; *quidam* civis *est* civitas : *aliquis* homo *est* doctus; *omnis* homo *est* doctus.

Secunda regula : duæ propositiones *contrariæ*, videlicet, A E, non possunt esse *simul veræ;* possunt esse simul falsæ, aut *una vera* et *altera falsa.*

Propositiones contrariæ, scilicet universales quæ solâ qualitate differunt, non possunt esse simul veræ; una enim affirmat quod altera negat; sed aliquid non potest affirmari simul et negari de eodem subjecto ; sic, dici nequit, *omnem* hominem *esse mortalem*, et, *nullum* hominem *esse mortalem.*

Possunt esse simul falsæ, si sint in materiâ contingenti; v. gr. *Omnis* homo *est justus*, et, *nullus* homo *est justus;* nam, in propositionibus hujusmodi, attributum

non est aliquid subjecto proprium ac essentiale, et fieri potest ut quibusdam tantùm individuis conveniat. Eapropter, ut advertit sanctus Thomas (*In I Periherm.*, lect. XI), veritas potest esse in particulari positivâ et negativâ, quæ « se habent sicut medium inter contraria : » nempè, verum est dicere, *aliquem* hominem *esse justum*, et, *aliquem* hominem *non esse justum*.

Una potest esse vera et altera falsa, si sint in materiâ necessariâ; in his enim propositionibus, attributum necessariò et absolutè subjecto convenit aut repugnat; ut si dicas : *omnis* homo *est animal; omnis* homo *est lapis*.

Tertia regula : duæ propositiones *subcontrariæ*, scilicet, I O, non possunt esse *simul falsæ;* possunt esse *simul veræ*, aut *una vera* et *altera falsa*.

Propositiones subcontrariæ seu particulares, quæ solâ qualitate differunt, non possunt esse simul falsæ; quum enim una saltem contraria sit semper falsa, necesse est ut particularis, quæ illi opponitur, sit vera; sic, falsum est dicere, *nullum* hominem *esse doctum*, et ideò, verum est dicere, *aliquem* hominem *esse doctum*.

Possunt esse simul veræ; quum enim duæ contrariæ in materiâ contingenti sint simul falsæ, necesse est ut duæ subcontrariæ sint simul veræ. Ità, falsum est dicere, *omnem* hominem *esse sanctum*, et, *nullum* hominem *esse sanctum;* proindeque, verum est dicere, *aliquem* hominem *esse sanctum*, et, *aliquem* hominem *non esse* sanctum.

Una potest esse vera et altera falsa, si sint in materiâ necessariâ; propositio enim in materiâ necessariâ nullam exceptionem patitur, et omnis propositio ei opposita debet esse falsa. Sit exemplum : ex eò quod propositio particularis, *quidam* homines *sunt animalia*, est vera, propositio subcontraria, *quidam* homines *non sunt animalia*, est necessariò falsa.

Quarta regula : duæ propositiones *contradictoriæ*, scilicet A O, E I, non possunt esse *simul veræ*, nec *simul falsæ*.

Non possunt esse simul veræ; una enim affirmat id quod altera negat de eodem subjecto; sed attributum non potest convenire subjecto et illi simul repugnare : v. gr. si vera est propositio universalis, *omnes* homines *sunt ratione præditi*, necesse est ut falsa sit contradictoria, *quidam* homines *non sunt ratione præditi*.

Non possunt esse simul falsæ; una enim id solum continet quo altera refellitur, ità ut inter utramque nulla propositio intermedia dari possit : v. gr. duæ contradictoriæ, *omnis* homo *est doctus*, et, *aliquis* homo *non est doctus*, non possunt esse simul falsæ (Cf. apud S. Thom., *Opuscul.* 44, Tract. VI, c. x).

Aliundè, contradictio est « maxima » et perfectissima « oppositio, » ut ait sanctusThomas (*Opuscul.* 33, c. 1), et duæ propositiones contradictoriæ in disjunctivam resolvi possunt; ex. gr. e contradictoriis, *omnis* homo *est* animal, et, *aliquis* homo *non est* animal, fit disjunctiva, *vel omnis* homo *est* animal, *vel non*. Sed, propositiones simplices quibus disjunctiva componitur, non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ. Undè, certa est quarta regula; scilicet, ambæ propositiones contradictoriæ non possunt esse simul veræ, nec simul falsæ (1).

(1) (* Nota : usus contradictionis est frequens in scientiis theologicis et philosophicis : sæpè enim veritas aut falsitas propositionis infertur ex falsitate aut veritate propositionis contradictoriæ. Ex. gr. propositio sequens, « Humana ratio *unicus* est veri et falsi, boni et mali arbiter, » aliæque similes ab Ecclesiâ damnantur vel *simpliciter*, vel ut *hæreticæ, falsæ, impiæ, perniciosæ;* et idcircò, earum contradictoriæ habentur ut expressio veritatis. Secùs verò dicendum est de contrariis, subalternis et subcontrariis, quæ, damnatâ quidem oppositâ, sæpè tamen liberè agitantur in scholis. *)

X. Loquere de propositionum æquipollentiâ.

59. Propositiones æquipollentes illæ sunt, quæ vocibus tantùm seu terminis oralibus differunt; eapropter æquipollentia dicitur, *proprietas* per quam propositiones, *voce* quidem *distinctæ*, ad *eumdem sensum* seu significationem reducuntur. Undè, unâ ex his concessâ, altera negari non potest; ex. gr. *omnis homo est mortalis*, et, *nullus homo non est mortalis*.

(* Scholastici tradunt regulas quibus omnis propositio fieri potest suis contradictoriis, contrariis et subalternis æquipollens.

Prima regula : si *negatio præponitur subjecto* cujusdam propositionis, hæc propositio fit æquipollens suæ *contradictoriæ*. Sint duæ propositiones, *omne* corpus *est* grave, et, *aliquod* corpus *non est* grave; si negatio præponitur subjecto propositionis universalis, habetur propositio sequens, *non omne* corpus *est* grave, quæ vocatur æquipollens contradictoriæ, *aliquod* corpus *non est* grave.

Secunda regula : si *negatio postponitur subjecto* propositionis universalis, hæc propositio fit æquipollens suæ *contrariæ*. Sit exemplum : in propositione, *nullum* corpus *est* grave, si negatio postponitur subjecto, habetur propositio sequens, *nullum* corpus *non* est grave, quæ dicitur æquipollens suæ contrariæ, *omne* corpus *est* grave.

Tertia regula : si negatio *præponitur* et *postponitur subjecto* cujusdam propositionis, hæc propositio fit æquipollens suæ subalternæ, v. gr. si negatio præponitur et postponitur subjecto propositionis, *nullus* homo *est* justus, habetur propositio sequens, *non nullus* homo *non est* justus, quæ vocatur æquipollens subalternæ, *aliquis* homo *non est* justus (1). *)

(1) Scholastici regulas æquipollentiæ versiculo, qui licet barbarus, memoriæ tamen inservit, exprimere solent; hic est :

Præ contradic; *post* contra; *præ-postque* subalter.

Præ contradic : scilicet, negatio *præponitur* subjecto, ut propositio fiat æquipollens suæ *contradictoriæ*. *Post* contra : nempè, negatio *post-*

XI. **Quid est propositionum conversio?**

60. Conversio dicitur, *transmutatio terminorum* propositionis, ità ut, servatâ ejusdem propositionis veritate, *subjectum* fiat *attributum*, et *attributum* fiat *subjectum* : v. gr. Nullus *angelus* est *homo;* nullus *homo* est *angelus*.

Hæc conversio propositionum duplici potissimùm modo fieri potest, ut docet Albertus Magnus (*Prior. Anal.* c. II et III) ; nempè, *simpliciter* et *per accidens*.

Primò : in conversione simplici, quæ dicitur etiam *perfecta*, servari debet *quantitas* seu extensio subjecti ; v. gr. *quidam* homo est doctus, *quidam* doctus est homo ; vel etiam, *nullus* angelus est homo, *nullus* homo est angelus.

Secundò : in conversione *imperfectâ* seu per accidens, *quantitas* propositionis mutatur, et subjectum ex universali fit particulare ; ut si dicas, *omnis* homo est rationalis, *aliquis* rationalis est homo ; vel etiam, *nullum* corpus cogitat, *aliquid* non cogitans est corpus.

(* Additur à quibusdam alia conversio, minimè naturalis, ut advertit Albertus Magnus, in quâ scilicet termini priùs definiti fiunt indefiniti, et negatione quâdam afficiuntur ; v. gr. *omnis* homo est animal, *omne non* animal *est non* homo. Hæc conversio dicitur per *contrapositionem*.

Conversio simplex obtinetur in propositionibus negativis universalibus et in affirmativis particularibus ; itemque universalis affirmativa simpliciter convertitur, si prædicatum sumitur secundum totam extensionem ; ut, *omnis homo* est *animal rationale, omne animal rationale* est *homo*. Sæpiùs autem universalis affirmativa convertitur ex parte, seu per accidens. Itemque universalis negativa converti potest per accidens. Conversio per

ponitur subjecto, ut propositio fiat æquipollens suæ contrariæ. *Præpostque* subalter : id est, negatio *præponitur* et *postponitur* subjecto, ut propositio fiat æquipollens suæ subalternæ.

contrapositionem, ut aiunt, possibilis est in universalibus affirmativis, et in particularibus negativis (1). *)

CAPUT TERTIUM.

DE RATIOCINIO ET ARGUMENTO.

I. Quomodo dividitur caput tertium, de ratiocinio et argumento?

61. Postquam vidimus ea quæ pertinent ad apprehensionem et judicium, logicè dicendum est de tertiâ mentis operatione, quæ *ratiocinium* appellari solet. Ratiocinium verò exprimitur *argumento*, quod potest esse *deductivum* vel *inductivum;* forma autem naturalis argumenti deductivi est *syllogismus*, ad quem aliæ *species* argumentorum facilè revocantur. De his omnibus quatuor erunt articuli : 1^us^ de *ratiocinio* et *argumento;* 2^us^ de *syllogismo;* 3^us^ de *syllogismi speciebus;* 4^us^ de *inductione.*

ARTICULUS PRIMUS.

De ratiocinio et argumento.

II. Quid est ratiocinium?

62. Primùm intellectus ideas concipit apprehensione

(1) Duo versiculi, barbari quidem, sed ad memoriam juvandam utiles, regulas conversionis exprimunt, nempè :

Simpliciter *feci* convertitur, *eva* per accid.
Asto per contrap., sic fit conversio tota.

In verbo *feci, e* designat universalem negantem, *i* particularem affirmativam; *eva,* scilicet, *e* negans universalis, *a* universalis affirmativa; in voce *asto, a* significat universalem affirmantem, *o* particularem negativam; per contrap., id est, per contrapositionem. — De conversione propositionum, Cf. Bossuet, *Logique,* l. II, c. IX, et *Logique de Port-Royal,* p. II, c. XVII.

simplici, posteàque de idearum convenientiâ vel repugnantiâ judicat; et tandem, ex judiciis magis notis aliud infert judicium minùs notum; quod est *ratiocinari*, seu « discurrere de uno in aliud, » ut ait sanctus Thomas (*In I Poster. Anal.*, lect. 1). Undè, ratiocinium definiri potest: *Actus intellectùs quo unum judicium ex aliis infertur.*

Dicitur *actus intellectùs;* ratiocinari enim, inquit sanctus Thomas (*In I Poster. Anal.*, lect. 1) « est proprium rationis, » quæ, quum sit imbecillis, non statim nec intuitivè omnem veritatem cognoscit, sed ex unâ veritate ad aliam ope discursûs adscendit.

In ratiocinio, *unum judicium ex aliis judiciis infertur;* nempè, intellectus duas ideas inter se conferens, *vel* earum convenientiam aut discrepantiam percipit, et immediatè judicium profert, *vel*, illam convenientiam aut discrepantiam non percipiens, easdem ideas cum tertiâ magis notâ confert. Et jam, si primæ ideæ huic tertiæ conveniunt, deducimus etiam illas inter se convenire; nam, *ea quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Si autem una ex his duabus ideis tertiæ convenit, et altera non convenit, meritò inferimus illas inter se discrepare; nam, *duo quorum unum est idem et alterum non est idem uni tertio, non sunt eadem inter se.* Actus autem quo fit ea deductio seu illatio, dicitur ratiocinium, aut etiam *judicium mediatum* (n. 39. — Cf. P. C. Tedeschi, *Institut. Dialect.*, p. III, c. 1, a. 3).

Sint exempla. Si quis scire velit utrum anima sit simplex an composita, ideam *cogitare* assumat ut terminum comparationis inter ideas *anima*, *simplex*, vel *compositum*, sicque ratiocinetur :

Substantia *cogitans* est *simplex;*
Atqui, *mens humana* est *substantia cogitans;*
Ergò, *mens humana* est *simplex.*

Substantia *cogitans* non est *composita;*
Atqui, *mens humana* est substantia *cogitans;*
Ergò, *mens humana* non est *composita.*

III. Quænam sunt ratiocinii elementa?

63. Tria judicia quæ, saltem implicitè, reperiuntur in omni ratiocinio, vocantur *elementa materialia,* seu « materia. » Duo judicia ex quibus tertium infertur, sunt *præmissæ*, aut *antecedens;* judicium autem quod e duabus præmissis defluit, dici solet *conclusio* vel *consequens. Connexio* legitima consequentis cum antecedente, seu « nexus logicus, » ut aiunt, est ratiocinii *forma,* quæ vocatur etiam *consequentia,* et exprimitur particulis *ergò, igitur, undè, ideò,* aliisve similibus. Ità, in ratiocinio sequenti :

Omne bonum est amandum;
Atqui, Deus est bonus;
Ergò, Deus est amandus;

tria judicia, *omne bonum est amandum, Deus est bonus,* et, *Deus est amandus*, constituunt ratiocinii materiam; judicia, *omne bonum est amandum,* et, *Deus est bonus*, sunt duæ præmissæ, aut antecedens; judicium, *Deus est amandus*, vocatur consequens. Sed, eò quod bonum est amandum et Deus est bonus, logicè infertur Deum esse amandum; undè, connexio necessaria existit inter consequens et antecedens, eaque connexio est forma seu consequentia.

Veritas aut falsitas consequentiæ, ut sedulò notandum est, non pendet necessariò a veritate aut falsitate consequentis; nam consequens potest esse verum et consequentia falsa, ut in exemplo sequenti : omnis homo est animal; atqui, Tullius est homo, *ergò*, *terra est rotunda.* Consequens est verum, nempè, *terra est rotunda;* sed,

consequentia, quæ designatur particulâ *ergò*, falsa est, quia non defluit ex præmissis. Itemque fieri potest ut consequens sit falsum et consequentia vera; sic, in ratiociniis hujusmodi : omnis substantia est materialis; atqui, spiritus est substantia : *ergò, spiritus est materialis;* vera est consequentia, eò quod logicè defluit ex præmissis, sed falsum est consequens, nam spiritus dici nequit materialis (1).

IV. Quotuplex est ratiocinium?

64. Ratiocinium est mentis progressus quo unum judicium infertur ex aliis judiciis in quibus logicè contineri debet ut in præmissis; sed, duplici modo aliquid in alio logicè continetur, et duplici quoque modo mens humana ex uno in aliud transire potest.

Primò, aliud in alio continetur ut *singulare* in *universali*, vel ut *universale* in *singularibus*. Secundò, mens humana transire potest è genere ad speciem et è specie ad individua, vel progreditur ex individuis ad speciem et è specie ad genus. Undè, duplex est ratiocinii *forma*, *deductio* et *inductio*.

Ratiocinium *deductivum* est illud, *cujus conclusio continetur in præmissis ut pars in toto;* v. gr. *omnis virtus est amanda;* atqui, *sapientia est virtus;* ergò, *sapientia est amanda*. Ratiocinium autem *inductivum* illud est,

(1) (* Nota : in argumentatione scholasticâ, vel consequens est verum et consequentia falsa, vel consequens est falsum et consequentia vera, vel utrumque est verum aut falsum : in primo casu, consequens dicitur *materialiter* verum et *formaliter* falsum; in secundo casu, dicitur materialiter falsum et *formaliter* verum; in tertio casu, dicitur *materialiter* simul et *formaliter* verum aut falsum. Proindè, conceditur consequens et negatur consequentia; vel negatur consequens et conceditur consequentia; vel utrumque simul conceditur aut negatur. *)

cujus conclusio habetur ad præmissas ut totum ad suas partes; ex. gr. *Petrus, Joannes, Paulus et cæteri homines sunt mortales;* atqui, *Petrus, Joannes, Paulus et cæteri homines sunt omnis homo;* ergò, *omnis homo est mortalis.*

V. Quid est argumentum?

65. *Argumentum*, quod dicitur etiam *ratiocinatio* et *argumentatio*, est ipsum ratiocinium terminis oralibus expressum, rectèque definitur : *Oratio duabus pluribusve constans propositionibus, quarum una ex aliis infertur.*

Argumentum dicitur oratio duabus pluribusve constans propositionibus; videlicet, in omni argumento, vel duæ sunt propositiones, ut in sequenti : *Bonum est amandum; ergò, Deus est amandus;* vel tres sunt propositiones; ex. gr. *virtus est laudabilis; atqui, justitia est virtus; ergò, justitia est laudabilis;* vel plures sunt propositiones; ut si dicas : *Homo est animal; animal est vivens; vivens est substantia; ergò, homo est substantia.* Quum autem in ratiocinio tria sint judicia, *syllogismus*, qui tribus propositionibus explicitis coalescit, est præcipua ratiocinii species, in quam resolvi possunt aliæ argumentorum formæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

De syllogismo.

I. Quomodo articulus secundus, de syllogismo, subdividi potest?

66. Ea quæ dicenda sunt de syllogismo propriè dicto, seu de perfectissimâ et lucidissimâ ratiocinii formâ, spectant ad *naturam* et *leges*, vel ad *figuras* et *modos* syllogismi; eapropter articulus secundus rectè subdividi po-

test in duos paragraphos : 1°, de syllogismi *naturâ* et *legibus;* 2°, de syllogismi *figuris* et *modis*.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Syllogismi naturâ et legibus.

II. Quid dicendum de syllogismi naturâ et structurâ?

67. Syllogismus, è vocibus σὺν et λόγος, idem sonat ac *sermo compositus;* quoad rem, est expressio completa et explicita ratiocinii *deductivi*, et definitur à scholasticis, post Aristotelem et sanctum Thomam : *argumentum tribus constans propositionibus, ità inter se connexis, ut ĕ duabus prioribus tertia necessariò deducatur.*

Syllogismus *tres* habet *propositiones :* et ideò secerni debet ab aliis formis argumentorum, in quibus duæ pluresve propositiones inveniuntur. Tres istæ propositiones, videlicet *antecedens* et *consequens*, seu *præmissæ*, et *conclusio* ità *connecti* debent, ut syllogismi *consequentia* sit omninò legitima (Cf. n. 63). Conclusio *deducitur* e duabus præmissis; nempè, syllogismus non est argumentum inductivum, sed *deductivum*, in quo mens nostra, ut ait Sanseverino (*Logic.*, p. I, c. III, a. 2), « a toto ad partes, sive a genere ad speciem, vel a specie ad individua progreditur. » Sit exemplum :

Omnis homo est mortalis;
Atqui, Tullius est homo;
Ergò, Tullius est mortalis.

In structurâ syllogismi, distinguere debemus, post veteres, « *materiam remotam* » et « *materiam proximam.* » *Tres termini*, qui *bis* repetiti inveniuntur in omni syllogismo, ut infrà videbitur, appellari solent materia re-

mota, et *tres propositiones* sunt materia proxima (Cf. Tongiorgi, *Institut. Logic.* p. I, l. III, c. 1, a. 2).

Ex tribus terminis, duo vocantur *extrema*, *majus* scilicet ac *minus extremum*, et tertius dicitur *medius*. Duo extrema, quæ *semel* inveniuntur in præmissis et *semel* in conclusione seu illatione, exprimunt duas ideas quæ in omni ratiocinio inter se conferuntur; medius autem, qui bis repetitur in præmissis, designat ideam quæ habetur in ratiocinio ut mensura et terminus comparationis.

Præmissa in quâ est majus extremum, dicitur *major*, et præmissa in quâ est minus extremum dicitur *minor;* conclusio autem habet minus extremum ut *subjectum* et majus extremum ut *attributum*. Ex. gr. in hoc syllogismo : *hypocrita* est *odibilis;* atqui, *pharisæus* est *hypocrita;* ergò, *pharisæus* est *odibilis;* terminus *odibilis* dicitur majus extremum, *pharisæus* est minùs extremum, et *hypocrita* vocatur medius; prima propositio, in quâ est majus extremum, dicitur major, secunda quæ capit minus extremum, vocatur minor, et in tertiâ seu in conclusione, minus extremum est subjectum, et majus extremum est prædicatum.

III. Quot et quænam sunt syllogismi regulæ?

68. Ex dictis, patet syllogismum conficiendum esse juxtà quasdam regulas, ut sit legitimus; regulæ autem hujusmodi sunt octo, ex quibus quatuor *terminos* et quatuor *propositiones* respiciunt. His versiculis exprimi solent à dialecticis :

De terminis.

1. Terminus esto triplex, *major, mediusque, minorque.*
2. Latiùs hos, quam *præmissæ, conclusio* non vult.
3. Nequaquam *medium* capiat *conclusio* fas est.
4. Aut semel, aut iterùm *medius generaliter* esto.

De propositionibus.

5. Utraque si *præmissa* neget, nil indè sequetur.
6. Ambæ *affirmantes* nequeunt generare negantem.
7. Nil sequitur *geminis* è *particularibus* unquam.
8. *Pejorem* sequitur semper conclusio *partem*.

Prima regula : Terminus esto triplex, *major*, *mediusque minorque;* id est, syllogismus *tres* habeat *terminos*, non solum quoad *verba*, sed etiam quoad *sensum*. Syllogismi enim natura et artificium consistunt in eo quòd duo *extrema* conferri debent cum *medio*, ut earum convenientia vel repugnantia pateat; sed, si pauciores essent termini, comparatio illa fieri non posset; si autem plures essent, comparatio fieri posset unius cum uno et alterius cum altero. Tres esse debent secundum *vocem* et secundum *rem;* terminus enim qui duplicem sensum habet, duobus terminis æqualis est. Ità, in exemplo sequenti, vox *canis* designat *animal* et *sidus :*

Offendit 1am regulam,	Omnis *canis* latrat; Atqui, sidus est *canis;* Ergò, sidus latrat.	Quatuor sunt termini.

Secunda regula : Latiùs hos, quàm præmissæ, *conclusio* non vult; id est, nullus terminus *majorem* extensionem habere debet in *conclusione*, quam in *præmissis*. Et verò, natura syllogismi requirit ut conclusio defluat è præmissis, et proindè in eis sit ut pars in toto; si autem aliquis terminus latiorem extensionem habeat in conclusione quam in præmissis, jam in eis contineri nequit. Ex. gr. in syllogismo sequenti, conclusio latior est præmissis :

Offendit 2am regulam,	*Omnis Æthiops* est *niger;* Sed, *omnis Æthiops* est *homo;* Ergo, *omnis homo* est *niger*.	Conclusio est latior.

Tertia regula : Nequaquam *medium* capiat *conclusio* fas est ; nempè, *medius terminus* inveniri nequit in *conclusione*. Medius enim terminus sumitur ut mensura inter majus et minus extremum ; sed, comparatio inter duo extrema fieri debet in præmissis ; undè, quum unusquisque terminus bis tantum repeti possit, necesse est ut medius terminus, qui bis invenitur in præmissis, non sit etiam in conclusione. Hanc regulam offendit iste syllogismus :

Offendit 3am regulam,	Alexander fuit *dux ;* Sed, Alexander fuit *parvus ;* Ergo, Alexander fuit *parvus dux.*	Medius est in conclusione.

(* Ut notandum est, medius terminus quandoque ponitur in conclusione, non veluti terminus specialis, sed tanquam verbum superfluum seu « redundans, » ut aiunt grammatici ; tunc syllogismus tertiam regulam non offendit, sed verba inutilia complectitur. Sit exemplum : Omne *bonum* est amandum ; atqui, Deus est *bonus ;* ergò, Deus *bonus* est amandus. *)

Quarta regula : Aut semel, aut iterùm *medius generaliter* esto ; scilicet, *medius* terminus, saltem in *unâ* præmissarum, *universaliter* sumi debet. Aliter enim, medius terminus secundùm unam partem extensionis in majori et secundùm aliam partem in minori usurpari posset, ideoque non esset vera comparatio extremorum cum uno et eodem termino. Ut si dicas :

Offendit 4am regulam,	*Aliquod animal* est irrationale ; Atqui, homo est *aliquod animal ;* Ergò, homo est irrationalis ;	Medius non est universalis.

Terminus *animal* non habet eumdem sensum in majori ac in minori ; nam, in majori, *aliquod animal* significat brutum ratione carens, et in minori, *aliquod animal* designat hominem ratione præditum.

(* Notandum est regulam quartam applicari tantùm mediis terminis *particularibus*, qui non habent extensionem determinatam, ut in exemplo jam allato; nam, de medio termino *singulari*, cujus extensio est clarè et perfectè determinata, non est ambiguitas; undè, terminus singularis haberi potest ut *medius* in syllogismo, et *terminis universalibus* æqualis est; ità, dicere possumus : « Tullius fuit Romanorum eloquentissimus; sed, Tullius fuit trucidatus; ergò, eloquentissimus Romanorum fuit trucidatus. » (Cf. R. P. Zigliara, *Dialect.*, lib. III, c. 1, a. 3). *)

Quinta regula : Utraque si *præmissa* neget, nil indè sequetur; id est, nulla conclusio legitima eruitur *e duabus præmissis negativis*. Si enim ambæ præmissæ sunt negativæ, jam duo extrema non conveniunt cum medio termino; sed exindè nihil concludere fas est de earum convenientiâ aut repugnantiâ. Ex. gr. nil sequitur ex his propositionibus negativis :

Offendit 5am regulam,	Lapis *non* est arbor; Sed, arbor *non* est animal.	Præmissæ sunt negativæ.

Sexta regula : Ambæ *affirmantes* nequeunt generare negantem; id est, è *præmissis affirmativis, conclusio affirmativa* necessariò defluit. Nam, extrema quæ medio termino conveniunt, inter se convenire debent, secundùm axioma : Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Huic regulæ opponitur sequens syllogismus :

Offendit 6am regulam.	Animal *est* vivens; Atqui, lupus *est* animal; Ergò, lupus *non est* vivens.	Præmissæ sunt affirmativæ et conclusio negativa.

Regula septima : Nil sequitur *geminis* è particularibus unquam; seu, nulla conclusio legitima eruitur *è duabus præmissis particularibus*. Etenim, præmissæ particulares vel sunt *ambæ negantes*, vel *ambæ affirmantes*, vel *una affirmans* et *altera negans;* sed, in nullâ ex his hypothe-

sibus conclusio potest esse legitima. Primò, si ambæ præmissæ sunt negantes, læditur regula quinta : Utraque si præmissa neget, nil indè sequetur. Secundò, si ambæ præmissæ sunt affirmantes, læditur regula quarta : Aut semel, aut iterùm medius generaliter esto; nam, in particulari affirmativâ, nullus est terminus universalis. Tertiò, è duabus præmissis particularibus, quarum una est affirmans et altera negans, nulla conclusio legitima eruitur; in his enim duabus præmissis, unus est terminus universalis, videlicet attributum præmissæ negantis (Cf. n. 49). Undè sic argumentari licet : vel terminus ille universalis non est medius vel est medius; si non est medius, læditur regula quarta : aut semel, aut iterum medius generaliter esto. Ut si dicas :

Offendit 7am regulam. { Aliquod *animal* non est rationale; Sed, aliquis homo est *animal;* Ergò, aliquis homo non est rationalis. } Medius est particularis.

Si terminus universalis habetur ut medius, conclusio est negativa vel affirmativa; si priùs, latior est præmissis; nam, ex unâ parte, duo extrema particulariter sumuntur in præmissis, et ex alterâ parte, attributum conclusionis negativæ est universalis. Si posteriùs læditur regula octava, nempè :

Regula octava : Pejorem sequitur semper conclusio *partem;* id est, si una præmissarum est *negans*, conclusio debet esse *negativa;* aut, si una præmissarum est *particularis*, conclusio debet esse *particularis.*

Primò, si una præmissarum est affirmans et altera negans, conclusio debet esse negativa; nam, in unâ ex his præmissis affirmatur et in alterâ negatur extremorum identitas cum medio termino; sed, duo quorum unum convenit et alterum non convenit uni tertio, non consen-

tiunt inter se; eaque repugnantia declarari debet in conclusione. Ergò, in syllogismis hujusmodi, necesse est ut conclusio sit negativa.

Secundò, si una præmissarum est particularis, conclusio nequit esse universalis affirmans, nec universalis negans; ergò, debet esse particularis. Quod sic probatur : in syllogismo, cujus una præmissarum est particularis, unum saltem extremorum *ex parte* tantùm convenit cum medio termino; eapropter, extrema non *universè*, sed ex parte tantùm inter se conjungi debent in conclusione; secùs enim conclusio latior esset præmissis. Undè, dici nequit :

Offendit 8ᵃᵐ regulam.	Nullus vir improbus est laude dignus;	Latior est conclusio.
	Sed, *quidam Galli* sunt improbi;	
	Ergò, *nullus Gallus* est laude dignus.	

IV. Quid dicendum de syllogismi historiâ?

(* 69. Syllogismi artificium ab Aristotele inventum est (Cf. *De Sophist. Elench.*, c. XXXIV) (1); deinde, apud Græcos, Romanos et Arabes, apud omnes philosophos Ævi-Medii et non paucos recentioris ætatis, syllogismus maximo in honore fuit, tum propter ipsius utilitatem ad verum demonstrandum et errores deturbandos, tum propter artem ingeniosam quæ in structurâ illius invenitur (2).

(1) Nonnulli artem syllogisticam Indo cuidam philosopho, nomine Gotama, tribuendam esse putant; ut videre est apud w. Jones, in opere cui titulus, *Dabistan;* — H. T. Colebrooke, *Essais sur la philosophie des Indous.* — Ecce, juxtà Colebrooke, syllogismus philosophi Gotama : « Cette montagne est brûlante : 2° car elle fume. 3° Ce qui fume brûle, comme le foyer de la cuisine. 4° Conformément la montagne est fumante : 5° donc elle brûle.

(2) Cf. Leibnitz, de Maistre, Cousin. « Le syllogisme régulier, inquit D. Cousin, suppose une haute culture; il l'atteste et en même temps il l'augmente. » Et iterùm : « La rigueur de la forme se réfléchit

Quidam verò, post Baconem et Lockium, artem syllogisticam inutilem, imò nocivam esse contendunt, solamque inductionem habent ut medium, quo veritas inveniri ac demonstrari possit (Cf. Bacon., *Nov. Organ.*).

Alii tandem, syllogismi quidem artificium summis laudibus extollentes, regulas tamen a veteribus traditas ad pauciores reducere volunt. Ità, Bossuetius sex tantùm syllogismi regulas admittit, nempè : « Le syllogisme n'a que trois termes. — Une des prémisses est universelle. — Une des prémisses est affirmative. — Il n'y a rien de plus dans la conclusion que dans les prémisses. — La conclusion suit toujours la plus faible partie. — Le terme moyen doit être pris, du moins une fois, universellement (*Logique*, l. III, c. v).

A. Goudin, qui aliundè sancti Thomæ vestigia pressè sequitur, quatuor syllogismi regulas utiles esse ducit; scilicet : « In syllogismo sint tantùm tres termini. — Medium in aliquâ præmissarum debet supponere distributivè. — Nullus terminus distribuatur in conclusione, qui non fuerit distributus in præmissis. — Ex puris negativis nihil sequitur (*Logic. univer.*, p. III, a. 3).

DD. Doney, in opere cui titulus, *Institutiones Logicæ*, tres regulas proponit; videlicet : « Major omnis syllogismi sit universalis. — Minor sit affirmans. — Conclusio habeat qualitatem majoris et quantitatem minoris. » Alii unam esse syllogismi regulam autumant; nempè : « In omni syllogismo, una præmissarum illationem contineat, et altera contentam demonstret. » Quidam tandem e philosophis ævi nostri (A. Gratry, *Logique*, c. III, IV), vestigium sanctissimæ Trinitatis in syllogismo esse ratus, omnes regulas ad hanc unicam revocare nititur : « Tres unum sint. »

Regulæ quæ inveniuntur apud Bossuetium et Goudin, *brevitati* quidem consulere possunt; quoad sensum verò minimè dis-

sur l'opération de la pensée; elle se communique à la langue du raisonnement, et bientôt à la langue générale elle-même. De là peu à peu des habitudes de sévérité et de précision, qui passent dans tous les ouvrages d'esprit et influent puissamment sur le développement de l'intelligence. » *Hist. de la Philosophie.*

crepant a regulis veterum. Aliæ autem recentiorum regulæ fundantur in ipsâ naturâ syllogismi, cujus conclusio continetur in præmissis, ità ut earum connexio sit arctissima; sed octo veterum regulæ, usu et experientiâ sacratæ, syllogismi veritatem aut falsitatem tutò ac facilè demonstrant, et ideò cæteris anteponendæ sunt. *)

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

De syllogismi figuris et modis.

I. Quæ et quot sunt figuræ syllogismi?

70. Figura syllogismi resultat ex *dispositione medii termini in præmissis;* nempè, medius terminus ità distribui potest, ut sit subjectum vel attributum in utraque præmissâ, vel subjectum in unâ præmissarum et attributum in alterâ, eaque *distributio* vocatur syllogismi figura.

Multi logici, post Aristotelem (I. *Anal.*, c.ª 1), tres tantùm syllogismi figuras admittunt. In primâ figurâ, medius terminus est *subjectum* majoris et *attributum* minoris; v. gr.

Prima figura.	Omnis *virtus* est laude digna; Atqui, prudentia est *virtus;* Ergò, prudentia est laude digna.	Medius est subj. et attr.

In secundâ figurâ, medius terminus est attributum seu *prædicatum* majoris simul et minoris; ex. gr.

Secunda figura.	Omnis circulus est *rotundus;* Atqui, nullum triangulum est *rotundum;* Ergò, nullum triangulum est circulus.	Medius est bis prædic.

In tertiâ figurâ, medius terminus est *subjectum* majoris et minoris; v. gr.

Tertia figura.	Omnis *spiritus* cogitat; Sed, omnis *spiritus* est substantia; Ergò, aliqua substantia cogitat.	Medius est bis subj.

Nonnulli verò logici addunt aliam figuram, quæ Eudemo, Aristotelis discipulo, vel potiùs Galeno tribuitur, et idcircò *galenica* vocari solet; in eâ, medius terminus est *attributum* majoris et *subjectum* minoris; ex. gr.

Quarta figura.	Omnis homo est *animal;* Sed, omne *animal* est substantia; Ergò, aliqua substantia est homo.	Medius est attr. et sub.

(* Illæ quatuor figuræ hoc versiculo exprimi solent apud philosophos :

Sub-præ, tum *præ-præ*, tum *sub-sub*, denique *præ-sub*.

Sub-præ (subjectum — prædicatum); id est, in primâ figurâ, medius est *sub*jectum majoris et *prædicatum* minoris. *Præ-præ* (prædicatum-prædicatum); nempè, in secundâ figurâ, medius bis sumitur ut *prædicatum*. *Sub-sub* (subjectum-subjectum); videlicet in tertiâ figurâ, medius bis habetur ut *sub*jectum. *Præ-sub* (prædicatum-subjectum); scilicet, in quartâ figurâ, medius est *prædicatum* majoris et *sub*jectum minoris.

Philosophi, qui tres solùm figuras esse putant, figuram galenicam rejiciunt ut « insolitam » in terminorum dispositione, necnon ut « inutilem, » quià facilè resolvitur in primam figuram; ità, in exemplo jam allato, dicere possumus : Omne *animal* est substantia; sed, omnis homo est *animal;* ergò, omnis homo est substantia. Iidem philosophi quatuor utuntur versiculis, quorum unus tres figuras exprimit, et alii designant regulas cuilibet figuræ proprias; videlicet :

Tres figuræ :	*Sub-præ* prima; sed altera *bis-præ;* tertia *bis-sub.*
Prima figura :	Sit *minor* affirmans, *major* verò generalis.
Secunda figura :	*Una* negans esto, nec *major* sit specialis.

Tertia figura : { Sit *minor* affirmans, conclusio particularis. *)

II. Qui et quot sunt modi syllogismorum?

71. Syllogismi *figura*, ut vidimus, est dispositio *medii* termini in præmissis; *modus* verò resultat ex *ipsarum præmissarum dispositione secundum quantitatem et qualitatem.* Id est, *universalitas* et *particularitas*, *affirmatio* et *negatio* duarum præmissarum determinari debent, ut legitima conclusio ex eis eruatur; eaque *determinatio modum* syllogismi constituit.

Ex dictis de quantitate et qualitate propositionum (n. 57), logicè infertur *sexaginta quatuor* syllogismi modos esse menti nostræ possibiles. Etenim, omnis propositio potest esse universalis affirmans, universalis negans, particularis affirmans, vel particularis negans; sed quatuor istæ propositiones, quæ designantur litteris A E I O, sexdecim modis in eâdem figurâ disponi possunt; undè, quum figuræ sint numero quatuor, inferre debemus modos syllogismi possibiles esse sexaginta quatuor.

(* Quod propositiones sexdecim modis in eâdem figurâ disponi possint, facilè demonstratur exemplo primæ figuræ; scilicet:

(A) = 1° a a (a); — 2° a e (e); — 3° a i (i); — 4° a o (o), = 4;
(E) = 5° e e (e); — 6° e a (e); — 7° e i (o); — 8° e o (o), = 8;
(I) = 9° i i (i); — 10° i a (i); — 11° i e (o); — 12° i o (o), =12;
(O) = 13° o o (o); — 14° o a (o); — 15° o e (o); — 16° o i (o), =16.

Ex his litteris, prima designat majorem, cujus subjectum est medius terminus; secunda designat minorem, in quâ medius terminus est prædicatum; tertia designat conclusionem. Alia dispositio est mathematicè impossibilis in primâ figurâ; sed, eodem modo, in tribus aliis figuris, sexdecim dispositiones esse possunt. *)

III. Quot sunt modi legitimi?

72. Ex his sexaginta quatuor modis, *novemdecim* sunt *legitimi*, nullam quidem regulam offendunt, et *utiles* esse possunt in argumentatione : *quatuor* scilicet in primâ figurâ, *quatuor* etiam in secundâ, *sex* verò in tertiâ, et *quinque* tandem in quartâ seu galenicâ. Ceteri autem vel regulis opponuntur, vel *inutiles* sunt in argumentatione.

Primò, in figurâ *sub-præ*, in quâ scilicet medius terminus est subjectum majoris et attributum minoris, quatuor sunt modi legitimi, qui vocantur etiam *perfecti;* videlicet : A A (A), E A (E), A I (I), E I (O). Exprimi solent vocibus, *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*. Sint exempla :

A	Omne *animal* est sensibile;	Bar
A	Sed, omnis homo est *animal;*	ba
A	Ergò, omnis homo est sensibilis.	ra
E	Nullum *animal* est lapis;	Ce
A	Omnis homo est *animal;*	la
E	Ergò, nullus homo est lapis.	rent
A	Omne *vitium* est fugiendum;	Da
I	Sed, aliqua audacia est *vitium;*	ri
I	Ergò, aliqua audacia est fugienda.	i
E	Nullum *vitium* est laudandum;	Fe
I	Aliqua curiositas est *vitium;*	ri
O	Ergò, aliqua curiositas non est laudanda.	o

Secundò, in figurâ *præ-præ*, cujus medius est attributum utriusque præmissæ, quatuor sunt etiam modi legitimi; scilicet : E A (E), A E (E), E I (O), A O (O); designantur vocabulis, *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*. Sint exempla :

E	Nullus asinus est *rationalis;*	Ces
A	Sed, omnis homo est *rationalis;*	a
E	Ergò, nullus homo est asinus.	re
A	Omnis fortitudo est *virtus;*	Cam
E	Atqui, nulla temeritas est *virtus;*	es
E	Ergò, nulla temeritas est fortitudo.	tres
E	Nulla virtus est *noxia;*	Fes
I	Sed, aliqua indulgentia est *noxia;*	ti
O	Ergò, aliqua indulgentia non est virtus.	no
A	Omnis virtus est Deo *grata;*	Ba
O	Quædam æmulatio non est Deo *grata;*	roc
O	Ergo, quædam æmulatio non est virtus.	o

Tertiò, in figurâ *sub-sub*, in quâ medius terminus est utriusque præmissæ subjectum, sex inveniuntur modi legitimi; nempè : A A (I), E A (O), I A (I), A I (I), O A (O), E I (O). Designantur vocibus, *Darapti*, *Felapton*, *Disamis*, *Datisi*, *Bocardo*, *Ferison*. Sint exempla :

A	Omne *animal* est sensibile;	Da
A	Sed, omne *animal* est substantia;	rap
I	Ergò, aliqua substantia est sensibilis.	ti
E	Nullum *animal* est lapis;	Fe
A	Omne *animal* est substantia;	lap
O	Ergò, aliqua substantia non est lapis.	ton
I	Aliquod *animal* est rationale;	Di
A	Sed, omne *animal* est substantia;	sam
I	Ergò, aliqua substantia est rationalis.	is
A	Omnis *planta* est vivens;	Da
I	Aliqua *plăanta* est frugifera;	tis
I	Ergò, aliquod frugiferum est vivens.	i

O	Aliqua *planta* non est animal;	Boc
A	Sed, omnis *planta* est substantia;	ar
O	Ergò, aliqua substantia non est animal.	do
E	Nullus *lapis* est homo;	Fe
I	Aliquis *lapis* est substantia;	ris
O	Ergò, aliqua substantia non est homo.	on

(* Quartò, in figura galenicâ, *præ-sub*, cujus medius est attributum majoris et subjectum minoris, quinque modi nullam regulam offendunt, etsi minimè naturales dici queant; hi sunt : A A (I), A E (E), I A (I, r-E A (O), E I (O). Exprimi possunt vocabulis, *Baralip*(ton), *Camentes*, *Dimatis*, *Fesapo*, *Fresisom*(orum).

Scholastici veteres novemdecim modos syllogismorum quatuor versiculis commendarunt, memoriæ juvandæ studentes; videlicet :

I. Barbara, celarent, Darii, Ferio. — IV. Baralip(*ton*), Camentes, Dimatis, Fesapo, Fresisom(*orum*).

II. Cesare, Camestres, Festino, Baroco. — III. Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison (1). *)

IV. Quomodo modi legitimi reducuntur ad modos primæ figuræ?

(* 73. Omnes modi resolvi possunt in quatuor modos primæ figuræ, qui vocantur *directi* et *perfecti;* eaque conversio sic efficitur : omnes voces quibus novemdecim modi designari solent, incipiunt à consonantibus, B, C, D, F; porrò regula generalis est, modos aliarum figurarum *reduci* ad *illum* primæ

(1) In vocibus Baralipton et Fresisomorum, *ton* et *orum* adhibentur solùm ad mensuram; nihil aliud exprimunt. — « Il n'y a pas aujourd'hui d'écolier qui ne sache se moquer d'un Barbara et d'un Baroco, ait D. Gratry; mais il n'en est aucun qui n'incline la tête avec respect devant un x ou un y. » *Logique*, l. III, c. III. — De modis syllogismorum, Cf. apud S. Thom., *Opuscul. 44*, Tract. VII, c. VIII.

figuræ *modum*, qui incipit ab *eâdem consonante;* v. gr. *Baroco* et *Bocardo* resolvuntur in *Barbara; Cesare, Camestres* et *Camentes* in *Celarent*, et ità de ceteris.

Aliundè, in iisdem vocibus inveniuntur etiam consonantes, S, P, M, C; S designat conversionem *simplicem*, P, conversionem *per accidens* (Cf. n. 60, M, « *transpositionem*, » C, « *reductionem* per *impossibile*. » Undè duo versiculi :

S vult *simpliciter* verti; P verò *per accid;*
M vult *transponi;* C per *impossibile* duci.

Primò, S vult simpliciter verti; propositiones scilicet, quarum vocales designativas, A, E, I, O, subsequitur littera S, converti debent *simpliciter*, ut syllogismus resolvatur in modum perfectum; *Ces*are, v. gr. revocatur ad Celarent per conversionem simplicem majoris :

Convertenda.	Nullus asinus est *rationalis;*	Ces
	Sed, omnis homo est *rationalis;*	a
	Ergò, nullus homo est asinus.	re
Conversa.	Nullum *rationale* est asinus;	Ce
	Sed, omnis homo est *rationalis;*	la
	Ergò, nullus homo est asinus.	rent

Secundò, P verò per accid; id est, propositiones, quarum vocalem designativam subsequitur littera P, converti debet *per accidens*, ut syllogismus resolvi possit in modum perfectum.

Tertiò, M vult transponi; scilicet, omnis propositio, cujus vocalem designativam subsequitur consonans M, transponi debet sive in locum majoris, sive in locum minoris, ut syllogismus reduci queat ad modum perfectum.

Quartò, C per impossibile duci; nempè, syllogismus in quo littera C invenitur post unam è vocabulis designativis, non est capax reductionis propriè dictæ; hi sunt Bar*oco* et Bo*cardo*; sed legitimitas horum syllogismorum demonstrari potest per falsitatem syllogismi in Barbara. Sit exemplum :

Conclusio est vera.	Aliqua *planta* non est animal;	Boc
	Sed, omnis *planta* est substantia;	ar
	Ergò, aliqua substantia non est animal.	do.
Conclusio est falsa.	Omnis *substantia* est animal;	Bar
	Sed, omnis planta est *substantia;*	ba
	Ergò, omnis planta est animal.	ra

Si quis incautè rejiceret conclusionem syllogismi in Bocardo, scilicet, *aliqua substantia non est animal*, admittere deberet contradictoriam hujus conclusionis, videlicet, *omnis substantia est animal;* sed, ex illâ contradictoriâ logicè deducitur conclusio syllogismi in Barbara, *omnis planta est animal.* Atqui, talis conclusio est falsa; ergò, falsa est major ex quâ logicè deducitur. Undè, vera est contradictoria hujus majoris, seu conclusio syllogismi in Bocardo : *aliqua substantia non est animal.* *)

ARTICULUS TERTIUS.

De syllogismi speciebus.

I. Quot sunt species syllogismi perfecti?

74. Argumentum deductivum tribus propositionibus compositum, seu syllogismus perfectus et propriè dictus potest esse « *scholasticus* » vel *oratorius.* Syllogismus scholasticus, quem vocant etiam « *formatum,* » ille est cujus termini et propositiones eo disponuntur ordine, de quo dictum est suprà; syllogismus autem oratorius sermonis elegantiam et ornatum, potiusquam ordinem dialecticum, exhibet.

Syllogismus scholasticus est *simplex* vel *compositus.* Syllogismus simplex communiter dicitur ille, cujus ambæ præmissæ sunt propositiones simplices; ex. gr. *Bonum est amandum;* atqui, *Deus est bonus;* ergò, Deus est amandus. Syllogismus verò compositus ille est, cujus

una saltem præmissarum est composita. Si præmissa composita est hypothetica, syllogismus vocatur *hypotheticus;* ut sit legitimus, una pars majoris seu præmissæ compositæ conclusionem capere, et altera pars causam logicam ejusdem conclusionis assignare debet; v. gr. *Si Deus est justus, ultor est sceleris;* atqui, *Deus est justus;* ergò, *Deus est ultor sceleris* (1).

II. Quotuplex est syllogismus hypotheticus?

75. Triplex est syllogismus hypotheticus, *conditionalis*, *disjunctivus* et *conjunctivus*, eò quod præmissa composita potest esse conditionalis, disjunctiva vel conjunctiva (Cf. n. 53).

Primò, de syllogismo conditionali, duæ regulæ statuuntur. *Prima regula :* si antecedens majoris seu præmissæ conditionalis affirmatur in minori, *consequens* affirmari debet in conclusione; v. gr. *Si* Deus est *justus*, *virtutem remunerat;* atqui, Deus *est justus;* ergò, Deus *virtutem remunerat.*

Secunda regula : si *consequens* negatur in minori, *antecedens* negandum est in conclusione; ex. gr. *Si* Petrus *currit*, *movetur;* atqui, Petrus *non movetur;* ergò Petrus *non currit.*

Secundò, de syllogismo disjunctivo, duæ etiam regulæ statui possunt. *Prima regula :* si una pars majoris

(1) (* Nota : Quidam philosophi admittunt etiam syllogismum *complexum*, in quo scilicet illatio comprehendit terminum complexum, qui partim in unâ præmissarum et partim in alterâ reperitur; ex. gr. gloria est *res inanis;* sed, plerique homines sunt *amantes* gloriæ; ergò, plerique homines sunt *amantes rei inanis.* Syllogismus complexus facilè revocatur ad syllogismum hypotheticum; v. gr. *Si* quis amat *gloriam*, amat *rem inanem;* sed, plerique homines amant *gloriam;* ergò, plerique homines amant *rem inanem.* *)

seu præmissæ disjunctivæ *affirmatur* in minori, altera pars *neganda* est in conclusione; v. gr. *vel* sol *movetur*, vel *quiescit;* sed, *movetur;* ergò, *non quiescit.*

Secunda regula : Si una pars majoris *negatur* in minori, altera pars *affirmari* debet in conclusione; ex. gr. vel dies *est*, vel nox *est;* sed, *non est* dies; ergò, nox *est.*

Tertiò, de syllogismo conjunctivo, duæ pariter sunt regulæ. *Prima regula :* si una pars majoris seu præmissæ conjunctivæ *affirmatur* in minori, altera pars negatur in conclusione; v. gr. nemo potest servire *Deo et divitiis;* sed, avarus *servit divitiis;* ergò, avarus *non servit Deo.*

Secunda regula : Si una pars majoris *negatur* in minori, altera pars *affirmari nequit* in conclusione, nisi duæ partes sint *contradictoriæ.* Ità, non possumus dicere : Nemo servit *Deo et divitiis;* atqui, Petrus *non servit divitiis;* ergò, Petrus *servit Deo;* aliis enim cupiditatibus servire potest. Sed, sic argumentari licet : Nihil *est substantia* simul *et accidens;* sed, anima *non est accidens;* ergò, anima *est substantia;* nam, substantia et accidens sunt duo contradictoria, quæ ità scilicet opponuntur, ut inter ea nullum medium dari possit.

Quum autem omnis propositio hypothetica in conditionalem et conditionalis in absolutam resolvi queat, omnis etiam syllogismus hypotheticus ad syllogismum simplicem reduci potest. Sic, ut exemplum afferatur, e syllogismo hypothetico : *Si Deus est justus virtutem remunerat*, etc., fit syllogismus simplex :

Omnis justus virtutem remunerat;
Atqui, Deus est justus;
Ergò, Deus virtutem remunerat.

III. Quot sunt species syllogismi imperfecti?

76. Præter syllogismum perfectum, sunt et « aliæ species argumentationis, » quæ ad eum reducuntur « sicut imperfectum ad perfectum : » ut videtur apud sanctum Thomam (*Opuscul. 44*, Tract. VII, c. I). Quinque potissimum numerari solent à logicis; videlicet : *Enthymema*, *Sorites*, *Epicherema*, *Polysyllogismus* et *Dilemma*.

IV. Quid est enthymema?

77. Juxtà plures philosophos, *enthymema* est syllogismus « truncatus, » in quo scilicet una præmissa subauditur; seu etiam, definiri potest argumentum *duabus* constans *propositionibus*, quarum una *deducitur* ex alterâ; ut si dicas :

Enthymema. { Omne corpus est materiale; / Ergò, anima non est corpus. } Subauditur minor.

In hoc argumento, minor reticetur; videlicet : *Atqui, anima non est materialis*. Undè, enthymema in syllogismum explicitum facilè resolvitur et iisdem regulis subjici debet (1).

V. Quid est sorites?

78. *Sorites*, qui dicitur a Tullio (*De Divinatione*, l. II, c. IV) acervus (σωρός) syllogismorum, est argumentum *pluribus* coalescens *propositionibus* ità connexis, ut *attributum* primæ fiat *subjectum secundæ*, et *attributum secundæ* fiat *subjectum tertiæ*, sicque deinceps donec occurrat illatio, cujus *subjectum* debet esse ipsum *subjectum*

(1) Si tempus vacat, vide Sanseverino, de naturâ enthymematis, *Philosophia christiana cum antiquâ et novâ comparata, Logic.*, p. I, c. III, a. 5, et Trendelemburgium, *Elementa Logicæ*.

primæ propositionis, et cujus *attributum* est *attributum ultimæ* propositionis. Sit exemplum :

Sorites. { *Avarus* multa desiderat;
Qui multa desiderat, multis indiget;
Qui multis indiget, non est *beatus;*
Ergò, *avarus* non est *beatus.* } legitimus.

Etsi sorites sit argumentatio legitima, meritò tamen dicitur à Cicerone ratiocinium « captiosissimum » (*Acad.*, l. II); error enim facilè subrepit in unâ aut aliâ propositionum quibus componitur. Eapropter sedulò attendere debemus præceptis quibus sorites subjicitur; nempè : *omnes* et *singulæ* propositiones sint *veræ;* nulla præmissarum sit *particularis*, nisi fortè *prima;* et tandem in syllogismum *simplicem* resolvatur sorites, ut veritas illius aut falsitas pateat (1).

VI. Quid est epicherema?

79. *Epicherema* est syllogismus cujus alterutri præmissæ vel utrique probatio subnectitur; ut in isto :

Qui multis curis angitur, non est beatus : *Ad beatitudinem enim requiritur animi tranquillitas;*

Sed, qui cupiditatibus indulget, multis curis angitur : *nam experitur animæ stimulos, aut concupitis non fruitur;*

Ergò, qui cupiditatibus indulget non est beatus.

Epicherema non differt à syllogismo simplici, nisi in quantum habet propositionem causalem uni vel utrique præmissæ adjunctam; iisdem igitur regulis subjicitur.

(1) (* Nota : Ecce sorites cujus conclusio est falsa :

Sorites. { Qui benè bibit, benè dormit;
Qui benè dormit, non peccat;
Qui non peccat, salvus erit;
Ergò, qui benè bibit, salvus erit. } Falsus. *)

VII **Quid est polysyllogismus?**

80. *Polysyllogismus*, ut vox sonat, est argumentum constans duobus pluribusve syllogismis ità dispositis, ut *conclusio unius* sit *alterius præmissa;* ut in exemplo sequenti :

Polysyllogismus.
- Quod materiâ coalescit, est compositum;
- Atqui, corpus materiâ coalescit;
- *Ergo, corpus est compositum;*
- *Sed, compositum est divisibile,*
- Ergò, corpus est divisibile.

} Duos syllogismos continet.

VIII. **Quid est dilemma?**

81. *Dilemma*, è vocibus græcis δὶς λαμβάνω (bis capio), dicitur etiam syllogismus « *hypothetico-disjunctivus*, » et definiri solet : argumentum in quo, post *divisionem totius in suas partes*, *id de toto* concluditur quod de *singulis partibus* fuit enuntiatum. Id est, in dilemmate, hypotheses primùm enuntiari debent et separari particulâ *vel;* posteaque ostenditur quamlibet hypothesim esse oppositam sententiæ, quam propugnat adversarius. Sit exemplum :

Hoc dilemmate Tertullianus (*Apolog.*) tyrannum arguit :

Vel nocentes sunt christiani, *vel* innocentes;

Si nocentes, cur inquiri prohibes?

Si innocentes, cur delatis pœnam irrogas?

Ut dilemma legitimè concludat, hypothesis vel disjunctio debet esse completa; secùs enim adversarius haberet effugium, ut in sequenti :

« Vel isti libri (bibliothecæ Alexandrinæ) continent eadem ac Alcoranum, vel contrarium continent :

Si prius, inutiles sunt flammisque tradendi;

Si posterius, mali sunt, et iterùm flammis comburendi. »

In hoc dilemmate, disjunctio non est completa; libri enim bibliothecæ Alexandrinæ multa non in Alcorano reperta, nec illi contraria sanè capiebant.

Necesse est etiam ut quælibet pars disjunctionis logicè concludat; nam aliter dilemma retorqueri posset ab adversario.

ARTICULUS QUARTUS.

De Inductione.

I. Quid dicendum de inductionis naturâ et utilitate?

82. Postquam dictum est de argumento *deductivo*, in quo mens è judiciis magis universalibus ad judicia magis particularia descendit, logicè tractandum est de argumento *inductivo*, in quo mens è judiciis magis particularibus ad judicia magis universalia progreditur.

Inductio, juxtà communiorem usum loquendi, definiri potest : *argumentum*, in quo de *totâ specie*, vel de *toto genere*, concluditur id quod de *singulis individuis* aut de *singulis speciebus*, *experientiâ teste*, pronuntiatur. Ex. gr. *homo, equus, bos sentit;* et *ità de cæteris animalibus;* undè, *omne animal sentit.*

Dixi : *experientiâ teste;* nam, facta particularia, e quibus inducitur conclusio, pertinent ad experientiam *externam* aut *internam;* id est, cognoscuntur ope *sensuum* externorum, vel ope *sensûs intimi.*

Experientiæ autem actus sunt *observatio* et *experimentum.* Per observationem, intelligimus *attentionem* præstitam factis quæ spontè se nobis exhibent, et ab industriâ nostrâ non pendent. Experimentum verò est attentio

præstita factis quæ industriâ nostrâ producuntur. Sic astronomus cœlum observat, et physicus experimentis submittit corpora; ille phœnomena jam existentia sedulò perpendit, hic arte suâ producit phœnomena nondùm existentia (1).

Quoad utilitatem inductionis, una statuenda est.

PROPOSITIO.

Maxima est observationis et experimentationis utilitas, non solùm in scientiis physicis, verùm etiam in scientiis philosophicis.

Probatur. — Maxima est observationis et experimentationis utilitas in scientiis philosophicis, propter tria. Primò, his operationibus inductionis directè et invictè confutantur adversarii, qui solam experientiam admittunt in investigatione veritatis. Ex. gr. theoria materialistarum Lamark et Darwin, de origine generis humani, et systema positivistarum experientiis recentiorum adversantur (2).

Secundò, utiles sunt operationes, quibus certitudo comparari potest de quæstionibus arduis et difficillimis.

(1) « Observer, ait D. Jourdain, c'est considérer attentivement les choses qui s'offrent d'elles-mêmes à la vue, sans que l'esprit ait le pouvoir d'en varier les aspects. Expérimenter, c'est produire ou modifier artificiellement les phénomènes à étudier, pour que l'étude en soit plus facile, plus sûre, plus féconde. » *Notions de Philosophie,* c. XX.

(2) « La théorie de l'origine simienne de l'homme, ait de Quatrefages, n'est qu'une pure hypothèse, ou mieux, qu'un simple jeu d'esprit en faveur duquel on n'a pu invoquer encore aucun fait sérieux, et dont, au contraire, tout démontre le peu de fondement. » Ità scientiarum Academia, 1872. Pasteur, Flourens, Ehrenberg, Siebold, Van Beneden, Balbiani, Siebenkuhn, P. Secchi, Gaudin, etc. « Ces expériences sont décisives et sans réplique, ait D. Flourens; il n'y a pas à revenir sur les travaux de M. Pasteur. »

Sed, quotidiè philosophus, sicut et ipse physicus aut astronomus, præviis experientiæ laboribus confectis, absque dubio judicium profert de corporum legibus et de variis materiæ proprietatibus; firmiter adhæret veritati ope sensuum perceptæ, necnon syllogismorum majores sæpè repetit a phænomenis naturæ attentè perspectis et a legitimitate cognitionum quæ, mediantibus experientiis, innotescunt. Ergò, fatendum est cum plerisque philosophis observationem et experimentationem esse maximæ utilitatis.

Tertiò, per observationem et experimentationem multa comparamus de contingentiâ rerum mundanarum, ex quibus deinceps ad Ipsum Creatorem, ut ait Concilium Vaticanum, ascendere possumus (1). Undè, stat propositio.

II. Quænam sunt inductionis species?

83. Plerique philosophi dividunt inductionem in *socraticam* et *rhetoricam*, in *incompletam* et *completam*. Inductio socratica ea est, quæ procedit per interrogationes et responsiones; rhetorica verò iis interrogationibus et responsionibus, saltem generatim, non utitur.

Inductio incompleta illa est, in quâ de toto universali concludimus id quod de *nonnullis* tantum partibus, sed non de *omnibus*, affirmandum vel negandum esse cognoscimus. Dicitur incompleta non eò quod est argumentatio vitiosa, sed eò quod non enumerat *omnia* singularia ex quibus universale infertur; ex. gr. non cognoscimus

(1) Ad rem scripsit A. Gaudin : « En raison des *matériaux inépuisables* que nous possédons, nous devrions suivre une voie plus large et savoir mieux utiliser nos *richesses acquises.* » *Architecture du Monde des Atomes.*

per experientiam utrùm *quodlibet* corpus sit grave; meritò tamen jurèque dicimus : hoc et illud corpus est grave; et ità de cæteris; undè, omne corpus est grave.

Si autem *omnia* facta particularia *singillatim* enumerantur, inductio est completa. Ità fortè structura corporis humani cognoscitur inductione completâ; nam, de omnibus et singulis partibus organismi physici observationes et experimenta quamplurima facta sunt.

III. Quænam sunt inductionis regulæ?

84. Omnes inductionis regulæ ad tres præcipuas reduci possunt; nempè, *prima regula : enumeratio* factorum sit *sufficiens*, ut conclusio legitimè inferri possit. *Secunda regula : interpretatio* eorumdem factorum sit *vera;* id est, mentem attentam præbere debemus observationi et experimento factorum seu elementorum, ex quibus conclusio universalis inducenda est. *Tertia regula : rejectio* sit *completa;* nempè, si agitur de proprietate essentiali et speciali, ea quæ sunt accidentalia et diversis speciebus communia inveniri non debent in conclusione (1).

(* Sensus regularum illarum illustrari potest exemplo sequenti :

Quæritur proprietas *essentialis* per quam homo *differt* a ceteris animalibus.

I. — Prima regula.

Sit enumeratio completa.

Socrates, Plato, aliique homines *his* et *illis proprietatibus*

(1) Sic se habet F. Baco (*Nov. Organ.*, l. I, Aphor. 105) : « Inductio quæ ad inventionem et demonstrationem scientiarum et artium erit utilis, naturam separare debet per *rejectiones* et *exclusiones* debitas; ac deindè post negativas tot quot sufficiunt, super affirmativas concludere. »

gaudent, ut experientiâ constat; ex. gr. habent facultates vitæ vegetativæ, sensitivæ et rationalis.

II. — Secunda regula.

Sit interpretatio vera.

Ex istis proprietatibus, aliæ sunt merè *accidentales*, ut esse talis talisve staturæ; aliæ verò *communes* sunt omnibus animalibus, ut habere sensum.

III. — Tertia regula.

Sit rejectio completa.

Post rejectionem eorum quæ sunt accidentalia et communia, unum superest *essentiale ac proprium;* scilicet, esse animal *ratione* præditum.

Conficitur argumentum.

Socrates, Plato, Tullius est animal *rationale;*
Et ità de *cæteris* hominibus;
Undè, *omnis* homo est animal *rationale.* *)

Argumentum inductivum facilè resolvitur in syllogismum perfectum; v. gr. ex argumento præcedenti fit sequens syllogismus : animal quod cogitat, est *rationale;* atqui, omnis homo cogitat; ergò, *omnis* homo est animal *rationale.*

IV. Quid dicendum de inductionis historiâ?

(* 85. De inductionis historiâ tria dicenda sunt.

Primò, veteres philosophi, imprimis Aristoteles (*Anal. Post.*, l. I et II), et sanctus Thomas (*Sum. Theol.* et *I Metaphys.*, lect. I), processum inductionis non ignorabant, ut nonnulli recentiores falsò contendunt. Et verùm, Aristoteles docuit syllogismum et inductionem constituere duas species argumentorum (*Anal. Post.*,

l. I, c. I); inductionem syllogismo aliquatenùs oppositam esse (*Anal. Post.*, l. II, c. XXIII); ipsam suppeditare principia quibus utitur syllogismus; undè dici potest, « via ducens ad principia, ἡ ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ὁδὸς αὐτή ἐστιν (*Anal. Post.*, l. I, c. XXIII) (1). » Veteres tamen syllogismum, magis quam inductionem, coluerunt.

Secundò, apud hodiernos, non pauci inductionem adhibuerunt in scientiis naturalibus, physicis et mathematicis (2); sed experientiam internam seu logicam neglexerunt, et quidam ex illis, post Baconem (*Nov. Organ.*), syllogismum inutilem esse putaverunt.

Tertiò, Reidius, Baconis methodum corrigere aut potiùs ampliare volens, inductionem adhibuit in scientiis philosophicis, et facta psychologica descripsit ope observationis internæ; quem posteà scholæ Scoticæ patroni, eclectici aliique philosophi ævi præsentis imitati sunt.

Inductio quidem non est despicienda : opem enim maximam afferre potest, præsertim iis qui Psychologiæ et Cosmologiæ student. Attamen syllogismus est perfectissima ratiocinii forma, et ipsa inductio ad eum revocari debet; ità ut dicere possimus, cum R. P. Zigliara (*Dialect.*, l. III, c. III, a. 1) : « Inductionis vis nulla est sine syllogismo. » *)

(1) « Perspicuum est, ait Aristoteles, si quis sensus desit, necesse esse ut aliqua scientia desit, quam impossibile est percipere. Siquidem discimus aut *inductione* aut *demonstratione;* est autem demonstratio ex universalibus, inductio verò ex particularibus ; sed impossibile est *universalia contemplari,* nisi per inductionem (Ἀδύνατον δὲ τὰ καθόλου θεωρῆσαι, εἰ μὴ δι' ἐπαγωγῆς); quoniam et ea quæ abstracta dicuntur erunt per inductionem nota. » *I Anal.*, l. I, c. XVIII.

(2) Copernic (1473-1543); Tycho-Brahé (1546-1601); Képler (1571-1631); Galilée (1564-1642); Leibnitz (1646-1716); Newton (1642-1727).

CAPUT QUARTUM.

DE DEMONSTRATIONE.

I. Quomodo dividi potest caput quartum, de demonstratione.

86. Consideravimus ea quæ pertinent ad ratiocinium in quantùm mentis operatione formatur et exprimitur argumento; quum autem scopus ratiocinii sit *demonstratio veritatis*, nunc logicè dicendum est de argumento *demonstrativo*, seu etiam de syllogismo « *in ordine ad materiam*, » ut aiunt scholastici. Sed demonstratio quatuor importat; nempè, propositionem cujus demonstratio suscipitur, primùm *definire* ac *dividere* oportet; deindè verò exponenda sunt *argumenta*, quibus *probatur;* posteaque solvenda sunt *objecta* seu fallaciæ, quibus impugnari potest. Undè quatuor articuli : 1^{us} de *definitione;* 2^{us} de *divisione;* 3^{us} de *argumentatione;* 4^{us} de *sophismatibus;* quibus additur *Appendix*, de *Argumentatione scholasticâ* (1).

ARTICULUS PRIMUS.

De definitione.

II. Quid et quotuplex est definitio?

87. *Definire*, seu fines ponere, idem est ac respondere quærenti *quid sit aliquid;* ideoque definitio est *oratio*, rei cujusdam *nomen* aut *naturam breviter exprimens.*

(1) (* Notandum est definitionem, divisionem et argumentationem esse « *modos sciendi*, » juxtà scholasticos; quià *definire*, *dividere* et *probare* sunt tres modi, quibus veritas plenè manifestatur. De his igitur modis in eodem capite dicendum est. *)

Dicitur *oratio*, seu series et complexio terminorum. Exprimit *nomen* aut *naturam* rei, cujus demonstratio suscipitur; undè *duplex* est, *nominalis* et *realis*. Definitio nominalis sensum cujusdam vocabuli explicat, et definitio realis proprietates ipsius rei exhibet (1).

III. Quid dicendum de definitione nominali?

88. Definitio nominalis potest esse mera explicatio *etymologiæ*, seu originis cujusdam nominis; ex. gr. *philosophia* eruitur è vocabulis græcis φιλός (amicus) et σοφία (sapientia).

Definitio nominalis quæ non solùm etymologiam, sed etiam significationem nominis exprimit potest esse *communis* aut *privata*. Definitio communis declarat quid, ex hominum consensu, intelligatur per vocem aliquam; sit, ex. gr. terminus *anima :* quærenti quid significet, respondetur : vox anima designat principium quod in homine sentit, vult et cogitat (Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 1). Definitio nominalis vocatur privata, si sensum cujusdam vocabuli auctor aliquis præfinit, ex auctoritate propriâ.

IV. Quid dicendum de definitione reali?

89. Definitio realis dicitur *extrinseca* vel *intrinseca*. Definitio extrinseca rem explicat per principia ei non inhærentia; ut si dicas : mens humana est substantia, quam Deus creavit ad *imaginem* et *similitudinem* suam. Definitio intrinseca rem explicat per principia illi quidem inhærentia, eaque duplex est, *descriptiva* et *essentialis*.

Definitio descriptiva proprietates rei definitæ, etiam

(1) Controvertitur utrum definitio nominis sit vera definitio, an non; hanc vel illam opinionem, si velis, amplecti potes.

accidentales, enumerat stylo fusiori; sic, Virgilius Polyphemum describit, dicens (*Æneid.*, l. III) :

« Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum
« Trunca manu pinus regit, et vestigia firmat. »

Definitio essentialis complectitur solas proprietates quibus res definita constituitur in suâ specie, et à qualibet aliâ distinguitur; ut si dicas : homo est compositum ex *corpore organico* et *animâ rationali;* vel etiam : homo est *animal rationale*.

Definitio essentialis et intrinseca quæ dicitur *logica* et *scientifica*, frequenter adhibetur à philosophis; est enim utilissima, et nulla quæstio difficilis solvitur, nec initur disputatio, nisi definitio rei tractandæ primùm exponatur. « Omnis, quæ a ratione suscipitur, inquit Tullius (*De Officiis*, l. I), de aliquâ re, institutio, debet à definitione proficisci; ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur. » Non expedit tamen, nec utile est, nec etiam possibile omnia definire, ut advertit sanctus Thomas (*II Dist.* XXXV, q. 1, a. 2, ad 1^um^).

V. Quæ sunt definitionis regulæ?

90. Definitionis regulæ ad duas præcipuas revocari possunt; nempè : *Definitio sit clarior definito; conveniat toti* et *soli definito* seu *constet genere proximo* et *ultimâ differentiâ*, ut aiunt. Prior ex his regulis ad *utilitatem*, posterior verò ad *naturam* definitionis refertur.

Prima regula : Definitio sit clarior definito. Nam adhibetur definitio ut res faciliùs cognosci et omnis ambiguitas tutiùs vitari queat; sed obscurum per obscurum explicari non potest. Definitio igitur sit *brevis;* id est, nulla vox inutilis aut obscura, nullus terminus exprimens ali-

quam proprietatem accidentalem inveniatur in definitione.

Secunda regula : Definitio conveniat toti et soli definito. Definitio enim, ex unâ parte, rei definitæ naturam exprimit, et, ex alterâ parte, rem definitam à qualibet aliâ distinguit; sed, rei naturam non exprimit, nisi conveniat *toti* definito, et rem non distinguit ab aliis, nisi conveniat *soli* definito. Ergò, necesse est ut definitio conveniat *toti* et *soli* definito.

Sed, ut definitio conveniat toti et soli definito, *constare debet genere proximo et ultimâ differentiâ;* nam, ex unâ parte, genus proximum et ultima differentia rei essentiam designant, et, ex alterâ parte, res ab aliis distinguitur et in suâ specie constituitur per differentiam ultimam. Sit exemplum. In definitione, *homo est animal rationale*, genus, *animal*, et differentia, *rationale*, essentiam hominis exprimunt; differentia autem, *rationale*, hominem distinguit a ceteris animalibus. Undè, definitio quæ constat genere et differentiâ, convenit *toti* definito; definitio autem quæ constat differentiâ, convenit *soli* definito.

Aliundè, definitio, *saltem generatim*, non debet esse *negativa*. Quippè, definitio negativa non explicat quid sit res, sed quid non sit. Dixi : *saltem generatim;* fieri enim potest ut res cognosci et definiri nequeat, nisi tantùm negativè.

Itemque, definitio quæ convenit toti et soli definito, est *reciproca* seu « convertibilis, » ut aiunt; nempè, *quidquid dicitur de ipsâ definitione, dici potest et de ipso definito.* Ut si dicas : *Mens humana* est *substantia* simplex et spiritualis, corporis forma; idem est ac si diceres : *substantia* simplex et spiritualis, corporis forma, est *mens* humana. Cavendum est tamen ne res definienda defini-

tionem ingrediatur; si enim res definienda definitionem ingreditur, idem explicatur per idem; quod dicitur *circulus vitiosus*.

ARTICULUS SECUNDUS.

De divisione.

I. Quid et quotuplex est divisio?

91. Res definita in partes suas distribui debet, saltem generatim, ut demonstratio ejus sit facilior et clarior. Sed actus quo res in suas partes resolvitur, est *divisio*, quæ idcircò definiri potest : *distributio totius in partes suas*.

Totum verò *divisum* est *id omne* cui *nihil deest* ex iis quæ naturam ejus constituunt; sic, *homo*, *sæculum*, *Europa* est totum. Dividi solet à logicis in *actuale* et *potentiale*. Totum actuale illud est quod realiter existit aut existere potest, ut *homo*, *lapis;* totum autem potentiale est illud, quod non habet existentiam extrà mentem nostram, ut *genus*, *species;* dicitur etiam *logicum*.

Totum actuale subdividi potest in *metaphysicum* et *physicum*. Totum metaphysicum est illud, cujus partes distinguuntur solùm distinctione *rationis;* talis est *Deus*, in quo attributa non sunt distincta nisi tantùm ratione. Totum physicum illud est, cujus partes sunt realiter distinctæ; hujusmodi sunt *corpus* et *anima* relativè ad *hominem*, *membra* relativè ad *corpus*, virtutes relativè ad *animam*, et etiam functiones seu officia ejusdem virtutis, ut *judicium* et *consilium* relativè ad *prudentiam*.

Quum autem divisio sit distributio totius in suas partes, dicitur *actualis* aut *potentialis*, *metaphysica* aut *phy-*

sica, prout totum divisum est actuale vel potentiale, metaphysicum vel physicum (1).

II. Quid sentiendum de usu divisionis?

92. Divisio et subdivisio maximæ sunt utilitatis tum ad veritatem inveniendam, tum ad veritatem demonstrandam; et hoc propter tria : primò, *intellectus* uno intuitu veritatem capere nequit, et ex naturâ suâ diversos aspectus ejusdem quæstionis sigillatim tantummodò perpendit. Secundò, *memoriæ* faciliùs mandari possunt ea quæ rectè et clarè dividuntur. Tertiò, *quæstiones* intricatæ et obscuræ non possunt tractari, nec elucidari, nisi divisionis ope.

Cavendum est tamen ne in dividendo et subdividendo, descendamus ad partes minutissimas rei divisæ; nam, ut ait Seneca (*Epist. ad Lucil.*) : « Comprehendere quemadmodum maxima, ità minima, difficile est... Idem vitii habet nimia quod nulla divisio... Simile confuso est, quidquid usque in pulverem sectum est. » Prætereà, etsi divisio sit utilis, imò quandoque necessaria, non tamen indiscriminatim nec semper adhibenda est (Cf. D. Hamon, *Traité de la Prédication*, l. I, c. IV, a. 6).

III. Quæ sunt divisionis regulæ?

93. Tres sunt divisionis regulæ, videlicet : divisio sit *adæquata*, *immediata*, *membris opposita*.

Prima regula : divisio sit adæquata seu integra. Id est, enumeratio partium, quibus totum componitur, debet

(1) (* Quidam philosophi docent aliam esse divisionem, quam vocant *nominalem;* per quam scilicet variæ acceptiones ejusdem vocabuli distinguuntur. Sed divisio hujusmodi est potiùs *distinctio*, quam divisio propriè dicta. *)

esse completa, ità ut omnes partes *simul* sumptæ totum divisum perfectissimè adæquent. Secùs enim divisio non esset distributio *totius* in suas partes; v. gr. si dicitur *omne vivens* esse *hominem* vel *brutum*, divisio non est adæquata; nam, præter hominem et brutum, sunt alia viventia, *Deus* scilicet, *angelus* et *planta*.

Itemque, nullum membrum divisionis *seorsim* sumptum adæquare debet totum divisum, quia totum est majus suâ parte; sic, animal dividi nequit in *sensitivum* et *rationale*, eò quod omne animal est sensitivum.

Secunda regula : divisio sit immediata seu gradibus ordinata, ut aiunt. Totum scilicet primùm dividi debet in sùas partes primarias, deindè partes primariæ in partes secundarias, et sic deinceps, ità ut inter totum divisum et membra ejus alia divisio non sit possibilis. Secùs enim distributio non esset completa, confusio inter membra divisa oriretur, et scopus divisionis, nempè totius cognitio per analysim partium, obtineri non posset; ex. gr. *substantia* dividi nequit immediatè in *organicam* et *non organicam*, nec vivens dividitur in *rationale* et *irrationale;* nam, omnis *substantia* primùm est *corporea* vel *incorporea*, et omne *vivens* est *sensibile* vel *insensibile*, ut videtur in tabulâ Porphyrii (n. 36).

Tertia regula : membra sint opposita. Videlicet, unum non sit alterum, nec alterum in se includat; totum enim dividitur, ut partes ejus clarè et distinctè secerni atque separatim cognosci possint. Sic, *orbis terræ* dividi nequit in *Europam*, *Asiam*, *Africam*, *Americam*, *Oceaniam* et *Galliam;* nam primum membrum, id est *Europa*, postremum, nempè *Galliam*, includit.

ARTICULUS TERTIUS.

De argumentatione.

I. Quotuplex est argumentationis species?

94. Post divisionem totius in suas partes, pars quælibet sejunctim inspicitur, ut de toto concludi possit id quod dictum est de singulis partibus. Sed conclusio eruitur ex præmissis *certis*, *probabilibus* aut *falsis;* undè, meritò distinguuntur tres syllogismorum species, quibus uti possumus in argumentatione : syllogismus *demonstrativus* propriè dictus seu « *apodicticus*, » cujus conclusio eruitur ex præmissis *certis* et *evidentibus;* syllogismus *probabilis* seu « *dialecticus*, » cujus conclusio eruitur ex præmissis *probabilibus;* et syllogismus *erroneus*, seu « *sophisticus*, » cujus conclusio eruitur ex præmissis *falsis*.

Triplex est igitur argumentationis species : argumentatio *demonstrativa* propriè dicta, ex quâ gignitur *certitudo* absoluta; argumentatio *probabilis*, ex quâ gignitur *opinio;* et argumentatio *sophistica* ex quâ gignitur *error* seu opinio falsa. Hic solùm agitur de argumentatione demonstrativâ et probabili.

II. Quid dicendum de demonstratione propriè dictâ?

95. In demonstratione propriè dictâ seu apodicticâ, cujus conclusio certò deducitur ex præmissis evidentibus, tria inspicere debemus : *Veritatem* cujus demonstratio est suscipienda, *principia* quibus demonstratio nititur, et *species* demonstrationum.

Primò, de *veritate* demonstrandâ. — Veritas cujus de-

monstratio suscipitur, dici solet *propositio thesis*, *quæstio*, *positio*, *theorema* vel *problema*, antequam argumentatio conficiatur; sed, argumentatione semel confectâ, dici solet *conclusio*, v. gr. :

(*Thesis*) *Deus existit.*
Existit Ens necessarium;
Sed, Ens necessarium est Deus;
(*Conclusio*) *Ergò, Deus existit.*

(* Hic notandum est quid sit propositio « *per se nota quoad se* » et « *per se nota quoad nos*, » juxtà morem loquendi scholasticorum. Propositio « per se nota quoad se » seu « *simpliciter* » ea est cujus attributum est aliquid subjecto essentiale; ut, *circulus est rotundus*. Propositio « per se nota quoad nos » seu « *secundum quid*, » ea est quæ nobis innotescit; ut, *lapis est gravis*. Fieri potest ut eadem propositio sit per se nota quoad se simul et quoad nos; ut, *duo et duo dant quatuor*. *)

Secundò, de *principiis* demonstrationis. — Principia *universalissima* demonstrationis, de quibus dicendum est in secundâ parte, sunt *veritates primariæ*, ex quibus omnis demonstratio saltem remotè et mediatè procedit; v. gr. *idem non potest esse simul et non esse*, *non est effectus sinè causâ*, et alia hujusmodi. Duæ præmissæ ex quibus conclusio immediatè defluit, sunt principia proxima demonstrationis.

Tertiò, de *speciebus* demonstrationis. — Demonstratio est *à priori* vel *à posteriori*. Demonstratio à priori procedit ex causis ad effectus, vel ex universalibus ad particularia; demonstratio *à posteriori* assurgit ex effectibus ad causam, aut ex particularibus ad universalia; ex. gr. qui probat existentiam *ordinis* ex *sapientiâ* Dei, procedit *à priori;* qui verò demonstrat *sapientiam* Dei ex *ordine* rerum, argumentatur *à posteriori*.

Demonstratio etiam potest esse *directa* vel *indirecta*. Demonstratio *directa* seu « *ostensiva*, » ut aiunt, ea est quæ rem esse vel non esse probat ex principiis certis et positivis; demonstratio *indirecta*, quæ dicitur etiam « *apagogica* » seu *reductio ad absurdum* et *ad impossibile*, ea est, cujus conclusio infertur ex falsitate opinionis adversæ. Sint exempla : *simplicitas animæ directè* probatur ex naturâ *cogitationis; indirectè* verò probatur ex *materialismi consectariis*.

Demonstratio dividitur quoque in *absolutam* et *relativam*. Demonstratio *absoluta* est illa, cujus conclusio deducitur ex præmissis *in se* certis; ità, Dei *existentia* probatur ex *contingentiâ* rerum et necessitate *primi Principii*. Demonstratio *relativa* seu *ad hominem* illa est, cujus conclusio infertur ex præmissis ab adversario concessis; ex. gr. miracula Christi probare ex testimonio *Korani*, vel inanitatem materialismi inferre ab experimentis scientiarum naturalium, est *argumentari ad hominem* contrà Mahumetanos aut materialistas.

(* Demonstratio dividitur etiam à quibusdam philosophis in *puram*, *empiricam* et *mixtam*. Demonstratio *pura* ea est, cujus *ambæ præmissæ* sunt *rationales* et *à priori;* demonstratio *empirica* dicitur, cujus *ambæ præmissæ* sunt *experimentales* et *à posteriori;* demonstratio *mixta* est illa, cujus *una præmissarum* est *rationalis*, altera verò *experimentalis*.

Plerique tandem scholastici, præsertim inter veteres, omnem demonstrationem reducunt ad demonstrationem « *propter quid* » vel « *quià*, » ut aiunt (Cf. apud S. Thom., *Opusc.* 44). Demonstratio « *propter quid* » respondet quæstioni *quid sit res*, et definiri potest, *argumentatio* quæ assignat *causam* « *propriam, proximam* et *adæquatam* » rei demonstrandæ; ità, dicimus animam esse *immortalem propter* ejus *spiritualitatem*. Demonstratio « *quià* » respondet quæstioni *an res sit*, et vocari potest, *argumentatio* in quâ rem esse non probatur per causas proprias,

sed per causas remotas aut per effectus; sic, dicitur Deum esse, *quià* mundus *existit*. Demonstratione « *propter quid* » gignitur cognitio rei *intrinseca*, seu *scientia propriè dicta;* sed demonstratione « *quià* » gignitur tantùm cognitio *extrinseca*, seu *scientia vulgaris* (1). *)

III. Quid dicendum de argumentatione probabili?

96. Argumentatio *probabilis*, quæ dicitur ab Aristotele (I Topic. I) *syllogismus dialecticus*, ea est cujus conclusio ex *unâ* vel *duabus præmissis probabilibus* eruitur. Præmissa autem seu propositio *probabilis*, secundùm Aristotelem (I Topic. VIII), est illa quæ talis esse videtur « omnibus, aut plurimis, aut sapientibus; » ex. gr. « *obsequium amicos conciliat.* »

Per argumentationem probabilem, ut advertit sanctus Thomas (*I Post. Anal.*, lect. I), « etsi non fiat scientia, fit tamen fides, vel opinio, vel probabilitas. » Eaque probabilitas, seu « accessus judicii ad veritatem, » eo major est, quo major est probabilitas « propositionum ex quibus proceditur. »

Omnis argumentatio probabilis revocari potest ad *analogiam*, vel ad *hypothesim*, quæ dici solent *loca dialectica*.

Analogia est argumentatio, in quâ colligimus *attributum* cuidam *subjecto* convenire, quia *rei simili* convenit; ex. gr. videmus brutum cum homine convenire in multis actibus, quæ ad sensationem respiciunt; et exindè inferimus brutum esse *sensitivum*. Tale argumentationis genus his principiis nititur : *res similes effectus similes producunt; res similes legibus similibus gubernantur*, etc.

Hypothesis seu « *suppositio* » est propositio, *cujus veritas nondùm est demonstrata*, quæ tamen *assumitur ut*

(1) Hæc memoriæ mandari debent præsertim ab iis, qui veteribus scholasticis studere præsumunt.

vera, eò quod seriem *factorum certò existentium* facilè explicat. Argumentatio autem cujus una præmissa est hypothesis, hoc modo conficitur : *Si existeret hæc causa, tales effectus produceret; atqui, tales effectus producuntur; ergò, existit hæc causa.* Hujusmodi argumentatio utilis est; sed periculis non vacat.

ARTICULUS QUARTUS.

De sophismatibus.

I. Quænam sunt dicenda de syllogismo sophistico?

97. Præter syllogismum *demonstrativum* et syllogismum *probabilem*, quibus gignitur *scientia* vel *opinio*, est etiam syllogismus *sophisticus*, qui inducit in *errorem*, seu « in quo ratio *a vero deficit* propter alicujus principii defectum, » ut loquamur cum sancto Doctore (*In I Post. Anal.*, lect. I). De argumentatione hujusmodi, tria dicenda sunt : quænam sit *natura* et historia sophisticæ; quot sint sophismatum *genera;* et quomodò sophismata *confutari* possint.

II. Loquere de sophisticæ naturâ et historiâ.

98. *Sophisma*, (σόφισμα, artificium, astus), dicitur *argumentum vitiosum* ità confectum, ut in illo *falsum lateat sub specie veri.* Undè, *sophista* ille est, qui *sub nomine sapientis*, errorem docet (1).

Olim apud Græcos, nomen *sophista* designabat homines, qui sapientiam (σοφίαν) colebant; sed Protagoras (489 A. C.) sophisticen pro verborum ostentatione, cavil-

(1) « Sophistice, inquit Aristoteles, est sapientia quæ videtur quum revera non sit; et sophista vocatur qui quæstum captat ex eâ sapientiâ quæ videtur esse, nec est. » *De sophist. Elench.*

lationibus, argutiis fallacibus usurpavit, et exindè mos invaluit homines captiosos inanesque ut sophistas haberi.

Nunquam sanè, labentibus annis, defuerunt hi fallaces inanesque viri; sed duæ tantùm numerari possunt sophistarum *sectæ* : videlicet, ea quæ, apud antiquos, Protagoram et Gorgiam patres habuit, et *nova scientia*, quam elucubrant apud nos et Germanos Hegelii discipuli.

(* Veteres asserebant nihil esse suprà mensuram, seu criterium humanæ sapientiæ : vel potiùs, nihil certò cognosci, nec verbis exprimi; omnia fluere veluti flumina, et in se etiam nihil esse verum, nec reapsè contraria vicissim opponi; talemque doctrinam fallaciis et argumentis jocosis fulcire nitebantur. Et hoc ad quæstum, ait Aristoteles. Ævo præsenti, sophistæ dicunt : Nil esse suprà, nil extrà Criticen; veritates ordinis divini nequaquam agnoscere, nec exprimere possumus. Et hoc etiam ad quæstum.

Antiqui non modo principia scientiarum everterunt, sed notionem justi malique perverterunt : « Indè legum et religionis contemptus apud Græcos, et præsertim Athenis percrebuit, ex quo mores valdè depravati sunt Cf. Sanseverino, *Logic.*, vol. III, p. 31). » Recentes veri et falsi, boni et mali, justi et recti « normam negantes, ima humanæ societatis fundamenta diruere connituntur (Concil. Vatic.). »

Apud veteres, alii scientias, artes, rhetoricen aut philosophiam colebant et in his omnibus erudiebant juvenes; alii verò, reipublicæ muneribus fungi cupientes, in arte politicâ sese peritos et præ cæteris idoneos æstimabant. Haud aliter sanè diebus nostris. Omnes sophistæ græci coævique idem principium admittunt : *contrariorum* identitatem (1); ad eumdem scopum intendunt : *lucrum è fallaciis capere.* *)

(1) « Aujourd'hui, rien n'est plus pour nous vérité ni erreur, ait D. Schérer; il faut inventer d'autres mots. Nous ne voyons partout que degrés et que nuances. Nous admettons jusqu'à l'identité des contraires.

III. Quot sunt sophismatum genera?

99. Syllogismus duplici modo potest esse vitiosus : vel præmissæ sunt falsæ, et idcircò syllogismus peccat defectu « *materiæ*, » ut aiunt; vel conclusio non eruitur legitimè e præmissis, proindèque syllogismus peccat defectu « *formæ*, » et à scholasticis dicitur « *paralogismus*, (græcè, παραλογίζομαι, *propè* seu *extrà* ratiocinior), ut videre est apud sanctum Thomam (I *Post. Anal.*, lect, XXII) (1).

Paralogismi seu sophismata propriè dicta revocari possunt ad duplicem classem, juxtà sanctum Thomam (*De Fallaciis*, c. II) : scilicet, ad fallacias *in dictione* et ad fallacias *extrà dictionem*.

Sophisma *in dictione* provenit ex abusu cujusdam vocabuli; eò quod una vox, res diversas exprimens, habetur ut rem eamdem significans. Ex. gr. vox *canis* designare potest *animal domesticum* aut *sidus*.

Sophisma *extrà dictionem* non provenit ex abusu vocabulorum, sed ex *rebus ipsis;* eò quod res « aliquo modo convenientes vel differentes, accipiuntur ut eadem simpliciter, » vel ut « diversæ. » Ut si dicas : animal est *bipes;* sed, bos est animal; ergò, bos est *bipes;* in hoc sophismate, esse *bipes*, quod est *accidentale* tantùm in animalibus, sumitur ut aliquid *essentiale*.

Nous ne connaissons plus la religion, mais des religions; la morale, mais des mœurs; les principes, mais des faits. » *Hégel et l'Hégélianisme*, 1862.

(1) (* Nota : Juxtà quosdam philosophos recentiores, syllogismus qui peccat defectu *materiæ*, est *paralogismus;* syllogismus autem qui peccat defectu *formæ*, dicitur *sophisma* propriè dictum. Alii verò paralogismum seu sophisma indiscriminatim appellant quodlibet argumentum vitiosum. *)

IV. Quot sunt sophismata in dictione?

100. Sex fallaciæ in dictione recensentur apud Aristotelem (*De Sophist. Elench.*, c. IV) : « *Homonymia*, *amphibologia*, *compositio*, *divisio*, *accentus* et *figura dictionis.* »

Homonymia seu *æquivocatio* existit quùm una vox, plura significans, usurpatur in eodem sensu : videlicet, ut loquamur cum sancto Thomâ (*De Fallaciis*, c. III) : « Est deceptio proveniens ex eò quod unum nomen plura significat ; » ex. gr. *taurus mugit;* atqui, *taurus est mons;* ergò, *mons mugit.* Tali sophismate laborant qui verbi divinitatem his verbis impugnant : quod *generatur incipit esse;* porrò, *Verbum generatur;* ergò, *Verbum incipit esse.* Vox *generatio* cum *æquivocatione* sumitur.

Amphibologia dicitur argumentum in quo propositiones conjungi non possunt absque terminorum ambiguitate ; ut si dicas : *Qui docet ineptum, littus arat;* sed, *ad littus arandum, est opus aratro;* ergò, *illi qui docet ineptum opus est aratro.*

Fallacia *compositionis* accidit quotiès intelliguntur conjunctè, quæ nonnisi separatim vera sunt ; econtrariò, fallacia *divisionis* illud est argumentum, in quo sumuntur separatim, quæ nonnisi conjunctè sunt vera ; v. gr. sensu diviso vera sunt evangelistæ dicta : « Cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt (S. Luc., VII, 22) ; » nempè, qui priùs erant cæci, claudi, leprosi, surdi, mortui, nunc vident, ambulant, mundantur, audiunt, resurgunt. Illa verò Jesu Christi verba sensu composito, scilicet de duodecim apostolis, vera sunt : « Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ (S. Marc., XVI, 15) ; » et ità de multis Sacræ Scripturæ sententiis, quas increduli nobis objiciunt.

Defectus in *accentu*, olim apud græcos frequentissi-

mus, existit quùm una vox, diversis accentibus affecta, diversa significat, ut occîdit et occìdit, lepôres et lepòres.

Ultimum sophisma dictionis ab Aristotele recensitum, est *figura dictionis*, in quâ vox, sensu figurato sumenda, litterali sensu accipitur; ut si dicas :

Nemo *ridet* præter *hominem;*
Atqui, *pratus ridet;*
Ergò, pratus est homo.

Sed sophisma *figuræ dictionis* et *accentûs* vix hodiè memorari debent; aliter verò dicendum est de quatuor aliis sophismatibus *in dictione;* nam coævi sophistæ sæpiùs illis utuntur, ut ignaros decipiant. Ità de Deo, animâ, immortalitate, de moribus, vitiis, virtutibus non secùs ac alii loqui solent; sed iisdem vocibus sensum omninò diversum assignant, et etiam, servatis nominibus, res è medio tollere conantur.

V. Quot sunt sophismata extrà dictionem?

101. Septem fallacias extrà dictionem annumerat Aristoteles (*De Sophist. Elench.*, c. v), nempè, *fallaciam accidentis, dictum simpliciter et secundum quid, ignorantiam elenchi, fallaciam consequentis, petitionem principii, fallaciam non causæ ut causæ, sophisma plurium interrogationum.*

Per fallaciam *accidentis*, Aristoteles intelligit argumentum, in quo proprietas accidentalis alicui speciei meritò tributa, falsò tribuitur individuis hujusce speciei; sit exemplum : homo *currit;* atqui, Socrates est homo; ergò, Socrates *currit.*

Transitus à dicto *secundum quid ad dictum* simpliciter accidit quotiès de subjecto prædicamus secundum totam extensionem id, quod ei secundum partem solummodò

convenit; v. gr. nobis non nocet carnes comedere die dominicâ; proindè, nec et aliis diebus, etiam prohibitis, edere carnes nocebit.

Ignoratio elenchi (ἔλεγχος, *redargutio*), cui, juxtà San-Severino (*Logic.*), referri possunt omnes fallaciæ extrà dictionem, dicitur sophïsma in quo rem aliam ac probandam demonstrare intendimus : « Accidit plerumque quùm disputantes se mutuò non intelligunt, aut quùm dolosè alter alterius sententiam in alienam interpretationem torquet (Liberatore, *Logic.*). » Sic multi dicunt Ecclesiam docere *unum* et *tres Deos esse simul, imaginibus latriæ cultum* esse debitum, summum pontificem *peccare non posse*, revelationes ac miracula nostris diebus patrata esse *fide supernaturali credenda*.

Hoc fallaciæ genus provenit ex ignorantiâ, vel astutiâ seu fraude turpissimâ; non desunt enim inter sophistas religionis ignari; nonnulli verò revelationem, mysteria, definitiones Ecclesiæ in pravos sensus detorquent, ut errores faciliùs disseminare possint.

Fallacia consequentis est illud sophisma, quod in argumentis *conditionalibus* committi solet, ex eò quod antecedens concluditur è consequente, vel consequentis oppositum ex antecedentis opposito; v. gr. *Si Petrus loquitur, vivus est;* sed, *non loquitur:* ergò, *non est vivus.*

Sophisma plurium interrogationum est illud, in quo duabus pluribusve interrogationibus positis, sivè responsio sit affirmans, sive negans, respondens semper arguitur erroris. Ex. gr. Habes quod non amisisti? — Etiam. — Sed, non amisisti cornua? — Non amisi. — Ergò, habes cornua. Fallaciæ verò hujusmodi sunt pueriles, et non difficilè confutari possunt.

Petitio principii vocatur argumentum vitiosum, in quo sumitur ut fundamentum probationis id quod est proban-

dum; videlicet, opium facit dormire, quià habet virtutem dormitivam.

Ad petitionem principii refertur *circulus vitiosus*, in quo prius per posterius et posterius per prius, *a* per *b* et *b* per *a* demonstrantur; sic, ex. gr. versaretur in circulo vitioso qui Dei *sapientiam* per *ordinem* orbis physici, et *ordinem* orbis physici per *sapientiam* divinam explicare vellet.

Fallaciam non causa pro causâ frequenter invenimus apud sophistas, qui rebus causam assignant, quæ reapsè non est causa. Tali sophismate sæpiùs utuntur adversarii religionis christianæ. Inter christicolas, aiunt, nonnulli sunt raptores, ignari; ergò, nefanda producit religio christiana.

Ad fallacias ab Aristotele traditas revocari potest *inductio vitiosa*. Sub hoc nomine designantur omnes inductionis operationes incompletæ, vel regulis oppositæ : sequentes exhibere sufficiat.

Enumeratio imperfecta, quùm asseritur de toto quod de quibusdam tantùm partibus observatum est; ut si dicas : singulæ corporis partes morte dissolvuntur; ergò, corpus et animam interire constat; aut etiam : aliqui sacerdotes turpissimè labuntur; ergò, nullus sacerdos virtutem excolit, et *ab uno disce omnes*.

Transitus *de genere ad genus;* id est, quùm ab uno rerum ordine ad alterum planè diversum absque ratione transitur. « In hanc fallaciam incidunt qui, ubi demonstrarunt aliquid esse contrà leges naturæ physicas et eo sensu impossibile, concludunt hoc per miraculum contingere non potuisse (S' Gravesande). » Qui mentem humanam existere negant, quià non possunt eam scalpro attingere, vel historiæ facta mathesis axiomatibus æquiparare volunt, eodem sophismate laborant.

Fallacias *extrà dictionem*, præcipuè circulum vitiosum, dictum secundum quid ad dictum simpliciter, argumentum non causa pro causâ, falsas analogias sophistæ coævi sæpiùs adhibent; eapropter operæ pretium est ut sophismata hujusmodi secernere ac dissolvere possimus (1).

VI. Quomodo sophismata confutari possunt?

102. Sophisma seu argumentum vitiosum peccat defectu *materiæ*, vel defectu *formæ*, ut dictum est. Si sophisma peccat defectu materiæ, *una* aut *utraque* præmissa est *falsa* vel *ambigua;* jamque præmissa falsa est *neganda*, præmissa verò ambigua est *distinguenda*. Si sophisma peccat defectu formæ, *neganda* est *consequentia*, eò quod læditur una regularum, juxtà quas omnis syllogismus confici debet. Ex. gr. in sophismate sequenti :

Sophism. æquivoc. { *Canis latrat;* / Atqui, *canis* est *sidus;* / Ergò, *sidus latrat;* } Quatuor sunt termini.

neganda est *consequentia*, eò quod læditur regula prima : *Terminus esto triplex, medius, majorque minorque.*

(1) De sophistis recentioribus scripserunt A. Gratry, *Les Sophistes et la Critique*, et D. Guthlin, *Les Doctrines positivistes en France*. « Notre premier principe, disent-ils, c'est qu'il n'y a pas de surnaturel, pas de Dieu. Donc nous expliquons l'univers sans Dieu. Or, cette explication de l'univers sans Dieu, c'est la science; donc, la science démontre qu'il n'y a pas de Dieu. Triste parodie de la science et de la raison! Eh quoi! ce sophisme se rencontre en toutes lettres dans leurs écrits, ce *cercle vicieux* est tout le fond de leur système! Ce *cercle vicieux* insulte depuis un trop grand nombre d'années au bon sens de notre pays, et telle est l'indigence philosophique d'un certain public, qu'il s'incline devant ce leurre comme devant la suprême révélation d'un grand mystère, et fatigue de ses béates acclamations ce jeu puéril de la fantaisie et de l'absurde (D. Guthlin). »

APPENDIX.

DE ARGUMENTATIONE SCHOLASTICA.

I. Quid sentiendum de naturâ et utilitate argumentationis scholasticæ?

(* 103. *Argumentatio* scholastica, quæ dicitur etiam « *circulus*, » est *disputatio* in quâ contendunt *duo alumni*, quorum *unus thesim* aliquam *propugnandi*, et alter *impugnandi* munus accipit. Qui thesim propugnat, vocatur *defendens* seu *respondens;* ille verò qui thesim impugnat, dici solet *arguens*, seu *argumentans*.

Exercitium hujusmodi, quod « *bis* aut ter in hebdomadâ » Romæ instituitur (R. P. Zigliara), est quidem perutile sivè ad ingenium acuendum, sivè ad conferendam rerum intelligentiam; quatuor tamen servanda sunt, ne lites istæ in scurilitatem et jacturam temporis degenerent.

Primò, *thesis* à *professore* stabilita sit *gravis*, ut ex ejus dilucidatione aliquid emolumenti percipi possit.

Secundò, tirones disputationem inire debent non *libidine* « *rixandi*, » nec puerili quâdam *ostentatione* « *decipiendi adversarium* (S. Aug., *Doctric. Christ.*, c. xxxi); » sed *amore veritatis* et *utilitate communi*.

Tertiò, caveat *arguens* seu argumentans ne *sophismatibus* captiosis, cavillationibus jocosis et subtilitate sermonis utatur, ut adversarium decipiat.

Quartò, ambo certatores extrà limites quæstionis vagari non debent; et professor, si opus sit, eos moneat ut ad proposita redeant.

II. Quænam regulæ servandæ sunt ab argumentante?

104. In Galliâ, juxtà communiorem usum, alumnus qui the-

sim aliquam impugnandi munus suscipit, hæc præstare debet (Cf. *Præludium philosophicum*) :

Prima regula : Licentia thesim impugnandi à præside et astantibus postulanda est his verbis : *Si priùs jusserit reverendissimus superior,* vel *illustrissimus ac reverendissimus Præsul* (si adsit episcopus), *et benignè annuerint sapientissimi directores, faveritque ornatissima astantium corona, argumentabor, amantissime condiscipule, contrà unam è thesibus tuis sic positam :....* (hìc thesis impugnanda enuntiatur); *ego verò contrà contendo :....* (hìc enuntiatur propositio thesi impugnatæ contradicens); *undè, mihi videtur minùs rectè positam esse tuam thesim.*

Secunda regula : Dum respondens thesim impugnatam comprobat, sedet argumentans. Posteà surgit suamque difficultatem aperit, illam primùm fusè et oratorio modo evolvens; deindè ad formam syllogisticam reducens, his verbis : *Undè sic brevius et in formâ...*

Tertia regula : Negatâ ab adversario, aut distinctâ aliquâ propositione, qui argumentum proposuit illam probare nititur. Ne autem ad aliud transire, sicque à quæstione deviare possit, antè quodlibet novum argumentum a se propositum, dicere debet : *Probo majorem* (aut *minorem*), *a te negatam, scilicet...* (hìc repetit propositionem); aut, si propositio fuit distincta, dicit : *Probo majorem* (aut *minorem*) *in sensu distinctionis tuæ*, scilicet... (hìc repetit propositionem juxtà sensum in quo fuit negata.)

III. Quænam regulæ servandæ sunt a respondente?

105. Respondens sequentes regulas servare debet :

Prima regula : Dùm impugnatur thesis, juxtà modum expositum, sedere debet; posteà verò surgens, sic incipit : *Argumentatur amantissimus condiscipulus contrà unam è thesibus meis sic positam :....* (hìc thesim enuntiat), ille verò contrà contendit :.... (adversarii propositionem repetit); *undè illi videtur minùs rectè positam esse meam thesim.* Tunc iterùm hanc impu-

gnationem repetit; non tamen, sicut primâ vice, tertiâ personâ utitur, sed adversarium secundâ personâ alloquitur, dicens : *Sic argumentaris, amantissime condiscipule :....* (repetit propositionem suæ thesi contradicentem); statimque, hâc assertione denegatâ his verbis : *Nego antecedens,* dat suæ thesis probationes.

Secunda regula : Ad quodlibet argumentum ab adversario de novo propositum sic respondere debet : *Sic argumentaris, amantissime condiscipule :...* (hîc integrè enuntiat argumentum propositum); illud iisdem verbis iteratò repetit, circà quamlibet argumenti propositionem, mentem suam simul aperiendo. Porrò quælibet propositio potest esse : 1° certa; 2° dubia, aut nihil ad quæstionem conferens; 3° falsa; 4° demùm ambigua, seu duos aut plures sensus continens. In primo casu, *concedenda est;* in secundo, illi dici potest *transeat;* in tertio, *neganda est;* in quarto, *distinctioni* locus datur.

Tertia regula : Negatâ aliquâ propositione, negationis ratio afferri debet, si illud adversarius expostulaverit. Observandum est etiam *majores,* saltem quantùm fieri potest, non esse negandas : illud enim aliquid injuriosi ergà argumentantem includere videtur. Si autem ad id quandoque necessitas cogit, postulanda est venia his verbis : *Nego majorem, salvâ amicitiâ* (aut, si argumentans sit dignior, *salvâ reverentiâ*).

Quarta regula : Aliquandò in responsionibus *retorsione* uti datur. Retorsioni locus est quandò, è principio cui nititur objectio, conclusio erui potest adversario contraria; vel quandò, ut vitium formæ in argumento latens pateat, aliud argumentum ejusdem formæ, sed cujus vitium manifestum est; argumentanti opponitur. — Attamen, quùm, juxtà adagium, *retorquere non sit respondere,* retorsione factâ, argumentum nihilominùs per partes confutari debet.

En exemplum retorsionis. Sit hæc adversùs Dei scientiam vulgaris objectio :

Vel Deus providet me fore salutem assecuturum, vel non :

Si priùs, quantacumque flagitia committam, infallibiliter salvus ero; proindè de salute nil curandum.

Si posteriùs, quidquid agam, salutem nunquam consequi potero; ideoque iterùm de eo nil curandum.

Adversùs hujusmodi argumentum sequenti retorsione uti datur :

Vel Deus prævidit me fame interiturum, vel non : si priùs, etiamsi manducavero, fame tamen interibo; ergò, nil manducandum.

Si posteriùs, etiamsi non manducavero, fame tamen non interibo; iterumque nil manducandum.

IV. Da exemplum quo natura, utilitas et regulæ argumentationis scholasticæ demonstrari possint.

106. Natura, utilitas et regulæ argumentationis scholasticæ demonstrari possunt exemplo, quod invenitur in opere cui titulus, *Præludium philosophicum;* nempè :

THESIS.

Utilissimum est argumentationis scholasticæ exercitium.

ARGUMENTANS.

Si prius jusserit Reverendissimus Superior, (*vel* Præsul, *si adsit Episcopus*) et annuerint sapientissimi Directores, faveritque ornatissima astantium corona, argumentabor, amantissime condiscipule, contrà unam è thesibus tuis sic positam : *Utilissimum est argumentationis scholasticæ exercitium.* Ego verò contrà contendo *inutile esse, ne dicam nocivum, hujusmodi exercitium;* undè mihi videtur minùs rectè posita tua thesis.

RESPONDENS.

Argumentatur amantissimus condiscipulus contrà unam è thesibus meis sic positam : *Utilissimum est argumentationis scholasticæ exercitium.* Ille verò contrà contendit *inutile esse, ne dicat nocivum, hujusmodi exercitium;* undè, illi videtur minùs rectè posita mea thesis.

Sic argumentaris, amantissime condiscipule : Inutile est argumentationis scholasticæ exercitium ; *nego antecedens* et probo meam thesim :

Illud tenendum est quod probatur : 1° ex constanti usu celebriorum Academiarum ; 2° ex ipsius rei naturâ ; 3° ex scopo philosophiæ elementaris.

Atqui, ex hoc triplici capite probatur utilissimum esse prædictum exercitium.

Primò quidem ex constanti usu celebriorum Academiarum. — Non potest non esse utilissimum exercitium quod institutæ a XII° sæculo per totum orbem Universitates, ex quibus tot et tanti prodierunt viri in omni scientiarum genere illustres, constanter usurparunt, statutis inviolabilibus sanxerunt et honorum decernendorum conditionem fecerunt necessariam. Atqui, nemo est qui ignoret talem fuisse consuetudinem Universitatum circà argumentationis scholasticæ exercitia et in eis, quæ hodiè supersunt, adhuc in vigore suo permanere. Ergò, ex constanti usu Academiarum probatur utilissimum esse hoc exercitium.

Secundò, non potest non esse utilissimum exercitium cujus natura est ut reddat et promptiora ingenia ad discernendos simul varios rerum aspectus, et accuratiora ad seligendas solidas probationes, et ad exprimendas suas cogitationes linguam expeditiorem et cautiorem. Atqui, talem esse naturam argumentationis scholasticæ nemo non videt qui attenderit quanti in illâ faciendi sint utrinque conatus tùm ad impugnandum, tùm ad se defendendum. Ergò, ex ipsius rei naturâ constat utilissimum esse hoc exercitium.

Tertiò, non potest non esse utilissimum exercitium quod efficaciter procurat finem quem sibi proponit philosophia elementaris. Atqui, finis quem sibi proponit philosophia elementaris est præcipuè ut in animis figat profundè regulas servandas tùm ad inveniendam, tùm ad propugnandam veritatem, et patet argumentationem scholasticam hunc scopum non minùs efficaciter attingere quam in arte bellicâ usus frequens præliorum simulatorum milites ad seria certamina disponit. Ergò, probatur ex scopo philosophiæ elementaris utilissimum esse argumentatio-

nis scholasticæ exercitium. Aliundè, probatum est ex ipsius rei naturâ, et tandem ex constanti celebriorum Academiarum usu. Ergò, constat mea thesis, nempè utilissimum esse argumentationis scholasticæ exercitium.

ARGUMENTANS.

Probo antecedens a te negatum.

Possem quidem veteribus illis Academiis opponere morem contrarium in multis Galliæ scholis nunc usitatum, quin indè sequatur non solùm illustrissimos etiam viros in omni scientiarum genere è scholis istis prodire, et sæculum nostris sæculis prioribus non modò non cedere in scientiarum progressu, sed et, si ausim dicere cum pluribus, longè præire. Possem et rem propiùs introspiciendo hujusmodi argutiis exprobare quod mentes debilitare natæ sint, in conceptus abstractos et rerum praxi prorsùs alienos quasi evanidas reddendo, has intricatissimis ratiociniorum formulis implicando, sed præsertim assuefaciendo distinctionibus et subdistinctionibus sinè fine reduplicatis, quæ magis adhuc falsitati quam veritati prosunt, et quibus finem imponendi cum nulla causa sit, hominem non possunt reddere nisi incommodum et importunum omnibus in vitâ sociali. Inter tot et tanta arma quibus funditùs evertere possim tuam thesim, sufficiet abundè hæc ultima ratio ad reportandam nobis facilem de te victoriam. *Undè sic breviùs et in formâ :*

Inutile est, ne dicam nocivum, exercitium quod mentem assuefacit vanis subtilitatibus.

Atqui, argumentationis scholasticæ exercitium assuefacit mentem vanis subtilitatibus.

Ergò, est inutile.

RESPONDENS.

Sic argumentatur amantissimus condiscipulus :

Inutile est, ne dicat nocivum, exercitium quod mentem assuefacit vanis subtilitatibus.

Atqui, argumentationis scholasticæ exercitium assuefacit mentem vanis subtilitatibus.

Ergò, est inutile.

Sic argumentaris : Inutile est, ne dicam nocivum, exercitium quod mentem assuefacit vanis subtilitatibus. — *Concedo majorem.*

Atqui argumentationis scholasticæ exercitium assuefacit mentem vanis subtilitatibus. — *Nego minorem.* Jam enim satis probavi pro vanis subtilitatibus non habendum quod et celebriores Academiæ constanter usurparunt, et ejus est natura ut plurima afferat commoda studendi, et eum ad scopum quem sibi proponit efficacissimè perducat.

ARGUMENTANS.

Probo minorem à te negatam : scilicet, argumentationis scholasticæ exercitium assuefacit mentem vanis subtilitatibus.

Argumentationis scholasticæ exercitium assuefacit mentem distinctionibus et subdistinctionibus.

Atqui, distinctiones et subdistinctiones sunt subtilitates vanæ.

Ergò, hoc exercitium assuefacit vanis subtilitatibus.

RESPONDENS.

Sic argumentatur amantissimus condiscipulus :

Argumentationis scholasticæ exercitium assuefacit... (repetendum est integrè ratiocinium argumentantis.)

Sic argumentaris : Argumentationis scholasticæ exercitium assuefacit mentem distinctionibus et subdistinctionibus. — *Concedo majorem.*

Atqui, distinctiones et subdistinctiones sunt subtilitates vanæ. — Distinguo minorem : ex abusu, *concedo;* si usus earum sit legitimus, *nego.* Reverà, fateor quod distinctiones et subdistinctiones sint vanæ subtilitates, quandò fit earum abusus, sed nego quod non possit et debeat fieri earum legitimus usus. Legitimus enim usus est distinctionum et subdistinctionum quandò

termini sunt æquivoci : atqui, sæpè evenit in disputatione adhiberi terminos æquivocos. Ergò, distinctionum et subdistinctionum usus sæpè est legitimus.

ARGUMENTANS.

Subsumo. Atqui, non datur regula ad discernendum quandò distinctionum vel subdistinctionum usus sit legitimus necne.

Ergò, nulla solutio.

RESPONDENS.

Datur regula certa ad determinandum quis sit genuinus terminorum sensus; nempè, communis acceptio per circumstantias modificata.

Atqui, hâc eadem regulâ determinatur legitimus vel illegitimus distinctionum sensus.

Ergò, datur regula.

ARGUMENTANS.

Probo subsumptum : Si daretur regula certa ad discernendum legitimum et illegitimum usum distinctionum, huic regulæ non deberent iterùm applicari distinctiones vel subdistinctiones.

Atqui, subtilis argumentator et circà ipsam regulam distinctionibus et subdistinctionibus non carebit.

Ergò, non datur certa regula.

RESPONDENS.

Sic argumentatur amantissimus condiscipulus : Si daretur regula..., (etc.)

Sic argumentaris : Si daretur regula certa ad discernendum legitimum vel illegitimum usum distinctionum, huic regulæ non deberent iterùm applicari distinctiones vel subdistinctiones. — *Concedo majorem.*

Atqui subtilis argumentator et circà ipsam regulam distinctionibus et subdistinctionibus non carebit. — *Distinguo mino-*

rem : ex ignorantiâ vel malâ fide, *Concedo;* scienter et bonâ fide, *nego.* Reverà, fateor quod, circà ipsam regulam certissimam, possint ex ignorantiâ aut malâ fide adhiberi distinctiones et subdistinctiones; sed, nego scienter et bonâ fide id fieri posse, doctissimus enim arbitrorum consessus disputationi hùc perductæ finem sapienter imponet. *)

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

SECUNDA PARS LOGICÆ

SEU

DOGMATICA.

I. Quomodo secunda pars Logicæ seu dogmatica dividitur?

107. Hactenùs dictum est de *ordine* quo intellectus procedit in actibus suis, ut *notiones* rerum *universales* comparare possit. Quum autem notiones universales seu *universalia*, ut aiunt, sint omnium scientiarum elementa (Cf. n. 22), maximi interest ut eorum *vim objectivam* et *naturam* inspiciamus.

De quæstione hujus momenti quatuor sunt dicenda : videlicet, universale seu notio quæ pluribus individuis convenit (Cf. n. 33), non est mera *conceptio* intellectùs humani, sed *fundamentum quoddam* habet in rebus ipsis singularibus; — ex notionibus universalissimis formantur *prima judicia*, quæ meritò habenda sunt ut omnium scientiarum *principia* et *dogmata;* — iis principiis nititur *methodus* philosophica; — et tandem ope methodi *scientia* comparari potest. Undè, secunda pars Logicæ dividitur in quatuor capita : I, *De universalibus;* II, *De principiis logicis;* III, *De methodo;* IV, *De scientiâ.*

CAPUT PRIMUM.

DE UNIVERSALIBUS.

II. Quomodo dividitur caput primum, de universalibus?

108. In hoc capite, philosophorum placita de universalibus recensere oportet, et posteà sancti Thomæ sententiam propugnare juvat. Undè, duo sint articuli; 1^us^ de variis philosophorum opinionibus, et 2^us^ de sententiâ sancti Thomæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De philosophorum opinionibus circà universalium naturam.

I. Quot sunt philosophorum opiniones de universalibus?

109. Omnes philosophi admittunt existentiam universalium; imò contendunt universalia esse scientiæ objectum. Sed, si agitur de *vi objectivâ* seu de *naturâ* universalium, quatuor opiniones recenseri possunt: *Nominalismus*, *Conceptualismus*, *Realismus absolutus* et *Realismus mitigatus*.

Juxtà nominalistas, universalia existunt *solùm in vocibus;* juxtà conceptualistas, existunt *solùm in ideis;* juxtà realistas absolutos, existunt *formaliter in rebus;* juxtà realistas mitigatos, existunt *partìm in ideis et partìm in rebus*.

II. Expone nominalismum.

(* 110. Qui dicuntur *nominalistæ*, contendunt universalia non esse nisi *nomina* in sermone nostro usitata, seu *flatus vocis*, ut ait Roscellinus, aut voces in se singulares, quæ plura tamen designant individua; sit exemplum : vox *homo* nihil significat nisi collectionem individuorum, quibus nomen illud applicatur. Nominalismus sensistas veteres, præsertim Epicurum ejusque discipulos, ut magistros habuit; ævo medio, Roscellinus et Gulielmus Occam (*Logica*) eum renovarunt; recentibus autem sæculis Hobbes, Hume, Smith, Dugald-Stewart, Condillac cum omnibus sensistis, Taine et positivistæ ad eamdem sententiam, inscii fortè, regressi sunt (1).

III. Expone conceptualismum.

111. *Conceptualismus*, qui Zenonem, Abælardum et Kantium fautores habuit, est sententia eorum, qui contendunt universalia nec reali existentiâ extrà mentem humanam gaudere, nec esse tantùm mera nomina et flatus vocis, sed aliquas intellectûs conceptiones; ità, notiones generales, sive sint innatæ, sive sint acquisitæ, realiter in ideis et in mente, cujus virtute concipiuntur, nullatenùs autem in rebus existunt. Systema illud dicitur etiam *nominalismus mentalis*, quia conceptus interni seu ideæ generales sunt quasi verba et nomina, quibus mens nostra utitur, ut res in seipsâ exprimere possit (Cf. R. P. Liberatore, *Logic.*, p. II, c. IV, a. 1).

IV. Expone realismum absolutum.

112. *Realistæ* docent universalia extrà mentem nostram existere *formaliter*, seu *quatenùs* sunt *universalia;* et id triplici modo explicari solet. Alii, inter quos probabiliter ipse Plato

(1) Juxtà Positivistas, voces universales sunt, « des noms commodes au moyen desquels nous mettons ensemble, dans un compartiment distinct, tous les faits d'une espèce distincte; ces noms désignent un caractère commun aux faits qu'on loge sous la même étiquette; » sed nihil aliud exprimunt. H. Taine, *De l'Intelligence.*

(Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 1, et a. 4), dicunt universalia esse ab omni re singulari separata, et in se frui existentiâ quadam propriâ. Ontologistæ verò contendunt universalia esse ideas divinas, quæ per intuitionem et visionem homini naturalem immediatè percipiuntur in Deo. Alii tandem, post Gulielmum à Campellis (Guillaume de Champeaux), asserunt universalia esse aliquid reale et commune, quod in individuis existit; ità, *humanitas* est essentia universalis, quæ realiter existit in omnibus hominibus. Systema illud, quod à pantheistis propugnari solet, dicitur etiam *realismus formalis*, eò quod ejus fautores contendunt universalia *realiter, actu* et *formaliter* seu *quatenùs universalia*, extrà mentem nostram existere. *)

V. Expone realismum mitigatum.

113. Realismus mitigatus (1), quem propugnant Aristoteles et præsertim sanctus Thomas (*Opuscul. De Ente et Essentiâ*, *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 3 et q. 86, a. 1, *Opuscul. de Universalibus*), est quasi medius inter conceptualismum et realismum absolutum; defensores enim hujus sententiæ docent universalia esse partim in intellectu et partim in rebus. Ut illud systema facilè intelligi possit, ea quæ fusiùs exponuntur apud thomistas, ad tria capita reducere oportet.

Caput primum : Sedulò distinguendum est universale *directum* ab universali *reflexo* (Cf. n. 34); videlicet, in-

(1) (* Nota : *Realismus mitigatus* dicitur etiam *conceptualismus mitigatus*, vel *intellectualismus;* et verùm, est realismus mitigatus, quià defensores hujus sententiæ contendunt universalia esse *fundamentaliter* in rebus, sed non *formaliter;* est conceptualismus mitigatus, eò quod, secundùm hanc doctrinam, universalia *concipiuntur* ab intellectu, sed habent aliquam realitatem in individuis; nuncupari potest intellectualismus, nam philosophi qui sententiam hujusmodi propugnant, unâ voce docent universalia esse *actualiter* in intellectu nostro. *)

tellectus directè considerare potest quamdam naturam seu essentiam, quin advertat essentiam hanc esse pluribus individuis communem; ex. gr. intellectus directâ intuitione et abstractione simplici percipere potest elementa, quibus natura hominis constuitur, scilicet *esse animal* et *esse rationale*. Posteà verò per reflexionem et comparationem, concipit hanc naturam esse communem omnibus hominibus sive realiter existentibus, sivè etiam merè possibilibus. « Sub primo aspectu objectum de quo agitur, inquit R. P. Liberatore (*Logic.*, p. II, c. IV, a. 2), appellatur *universale directum*, quià directâ intuitione concipitur; sub secundo appellatur *universale reflexum*, quià resultat ex consideratione reflexâ. »

Caput secundum : Universale *directum* dicitur etiam à scholasticis *metaphysicum*, et *fundamentale* seu *fundamentaliter sumptum :* est metaphysicum, eò quod repræsentat essentiam rerum *in se* et *objectivè* spectatam; est solummodò fundamentale, quià non designat *explicitè* et *positivè* aliquid pluribus commune, sed exprimit tantùm alicujus rei definitionem, seu « essentiam simplicem, » ut ait sanctus Thomas (*De Universalibus*, tract. 1); ut *esse animal rationale*. Universale *reflexum* vocari solet *logicum*, et *formale* seu *formaliter sumptum :* est *logicum*, *ideale* et *subjectivum*, videlicet existit in intellectu, cujus virtute concipitur; est *formale* et *relativum*, scilicet est universale propriè dictum et explicitum, quià positive designat aliquid pluribus commune, vel, juxtà sanctum Thomam (*De Ente et Essentiâ*, c. IV), exprimit terminum relationis inter plura individua; tales sunt notiones *speciei* et *generis* (Cf. n. 36) (1).

(1) Ut alibi dictum est (n. 34, Not.), universale *directum* dicitur *primæ intentionis*, et universale *reflexum* vocatur *secundæ intentionis*,

Caput tertium : Plerique scholastici, post sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 2, et *Opuscul. de Ente et Essentiâ*, c. IV), concedunt nominalistis et conceptualistis *universale logicum* esse *ens rationis*, id est, non frui existentiâ propriè dictâ extrà mentem nostram; sed asserunt cum realistis *universale directum* existere in rebus ipsis singularibus. Attamen, ut advertendum est, universale directum non existit in individuis eodem modo ac in intellectu; in individuis enim est aliquid *concretum*, sed in intellectu est aliquid *abstractum*. Seu etiam, universale, v. gr. *humanitas* in quantum est « in hoc vel illo homine, » nihil designat nisi naturam hujus vel illius hominis, cum suis proprietatibus merè accidentalibus conjunctam; humanitas autem in quantum est in intellectu, exprimit absolutè hominis essentiam, ab omni proprietate accidentali separatam et « abstractam. » (S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 2, ad 2^{um}) (1).

eò quod universale directum *priùs* concipitur *quam* universale logicum; nam, ex. gr. impossibile est dicere *omnem hominem esse animal rationale*, nisi priùs intelligatur quid sit natura hominis in se sumpta.

(1) Sic se habet sanctus Thomas « Humanitas, quæ intelligitur, non est nisi in hoc vel illo homine; sed quod humanitas apprehendatur sine *individualibus conditionibus* (id est sine accidentibus), quod est ipsam *abstrahi*, ad quod sequitur *intentio universalitatis* (scilicet universale in intellectu spectatum), accidit humanitati secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturæ speciei, et non individualium principiorum. » Aut etiam : « Id quod cognoscit sensus materialiter et concretè (quod est cognoscere singulare directè), hoc cognoscit intellectus *immaterialiter* et *abstractè*, quod est cognoscere universale. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 2, ad 2^{um}, et q. 86, a. 1, ad 4^{um}.

ARTICULUS SECUNDUS.

De sententiâ sancti Thomæ circà universalium naturam.

I. Quid dicendum de sententiâ sancti Thomæ circà universalium naturam?

114. Sancti Thomæ sententia, quæ exponitur in articulo præcedenti, à plerisque scholasticis, non solùm ævo medio, verùm etiam ætate nostrâ, propugnata est; aliundè, viam præcludit erroribus, ad quos propellunt nominalismus, conceptualismus et realismus exaggeratus. Eapropter haberi nequit ut quæstio subtilis et inutilis; sed docenda est ut veritatis expressio. Undè sit

PROPOSITIO.

Universale directum existit in rebus individuis, sed non eodem modo quo concipitur ab intellectu; universale vero reflexum est tantum in intellectu, cum fundamento tamen in rebus.

Probatur *directè*. — 1° *Universale directum existit in rebus individuis*. — Nam, ut dictum est suprà, universale directum exprimit essentiam rerum singularium; sed, res quælibet individua, videlicet hic homo, ille lapis, habet *in se* essentiam seu notas quibus constituitur et distinguitur ab aliis rebus; ergò, universale directum existit in rebus individuis.

Item, ante omnem mentis operationem, verum est dicere Petrum esse hominem, Petrum esse liberum, et alia hujusmodi; sed, illud dici non potest, nisi Petrus in seipso habeat id omne, quo humanitas et libertas

constituuntur; ergò, universale directum, antè omnem mentis operationem, realiter existit in rebus individuis.

2° *Universale directum non eodem modo est in individuis quo concipitur ab intellectu.* — Nam, ut dictum est suprà (n. 31), notio concreta differt à notione abstractâ. Sed, essentia rerum singularium debet esse aliquid concretum et determinatum; ex. gr. Petrus est *unus* homo, *hic* homo; non est autem humanitas. Universale autem concipitur ab intellectu nostro ut aliquid abstractum seu sejunctum ab omni proprietate individuali et accidentali; v. gr. concipimus quid sit humanitas in genere. Sic, juxtà sanctum Thomam (*In I Metaphys.*, lect. x, et *Sum. Theol.*, q. 85, a. 2, ad 2^um^), visus percipit colorem pomi sine sapore; color autem et sapor simul inveniuntur in pomo. Undè, universale directum, quod nihil est nisi essentia rei singularis, non existit in individuis eodem modo, quo concipitur ab intellectu.

3° *Universale reflexum est tantum in intellectu.* — Ens enim rationis existit solùm in intellectu. Porrò, universale reflexum est ens rationis; ex. gr. *genus*, *species* non existunt realiter in individuis, sed designant aliquid maximè abstractum et commune, quod ad plura etiam merè possibilia extenditur per reflexionem intellectûs. Ergò, universale reflexum est tantùm in intellectu.

4° *Universale reflexum supponit fundamentum quoddam in rebus individuis.* — Omnis enim notio universalis est repræsentatio alicujus rei, ut dictum est suprà (n. 21). Sed universale reflexum est notio universalis. Ergò, universale reflexum supponit aliquid reale in rebus individuis. Ex. gr. intellectus ope reflexionis concipit humanitatem esse quid commune omnibus hominibus, etiam merè possibilibus; et hoc est universale reflexum. Sed,

ipse conceptus humanitatis supponit aliquod fundamentum in rebus, videlicet *esse animal* et esse *rationale*, seu habere realiter in se id, quod constituit *animal rationale*.

Probatur *indirectè*. — 1° *Falsus est nominalismus*. — Nam illud systema est falsum et rejiciendum, quod naturam universalium, et consequenter objectum omnis scientiæ, penitùs destruit. Atqui, talis est nominalismus purus, juxtà quem universalia sunt merè nomina, seu vocabula; etenim, omne vocabulum, ex hominum placito, ideam exprimit; ità voces, *arbor, homo, planta*, significant ideas universales ab intellectu nostro conceptas; sed, ut volunt nominalistæ, universale non existit in rebus, nec in intellectu. Undè, universale etiam non potest esse in vocabulis, quæ sunt tantùm idearum expressio. Ergò, nominalismus purus universalia, quæ sunt omnis scientiæ objectum, penitùs destruit et logicè propellit ad negationem omnium veritatum.

2° *Falsus est conceptualismus*. — Nam, quemadmodum nomina sunt idearum expressio; ità et ideæ sunt rerum imago seu repræsentatio. Sed, juxtà conceptualistas, ideæ nihil sunt nisi conceptiones intellectûs. Ergò, falsus est conceptualismus.

Aliundè, illud systema propellit ad idealismum; si enim ideæ universales nullum fundamentum reale supponant in rebus, unum solummodò affirmare possumus, videlicet existentiam idearum nostrarum. Sit exemplum : homo ab intellectu concipitur ut animal ratione præditum; sed, in hoc systemate, affirmari nequit utrum homo realiter existens sit animal ratione præditum.

3° *Falsus est realismus absolutus* seu « *exaggeratus*, » qui dicitur etiam « *formalismus*. » — Universale « formaliter » sumptum, seu quatenùs est universale, non existit extrà mentem nostram, si enim existeret extrà

mentùm nostram, vel esset *in se*, vel esset *in rebus*, vel esset *in Deo*. Sed hæc tria falsa sunt. Universale non existit *in se* a quolibet individuo separatum; nam, omne ens quod realiter existit, est *unum*, *singulare* ac omninò *præcisum*. Universale non existit formaliter *in rebus* individuis; quidquid enim invenitur in rebus individuis, est etiam *unum*, singulare et omninò *determinatum*. Universale non existit formaliter *in Deo;* Deus est enim « maximè individuum » ac singulare, ut aiunt philosophi, et universalia in Intellectu divino spectata, sunt tantùm ideæ exemplares, secundùm quas Deus omnia condidit. Ergò, universale, quatenùs existit extrà mentem nostram, nihil est nisi essentia rerum singularium, quæ una est et determinata in quolibet individuo, sed pluribus individuis, ejusdem generis vel ejusdem speciei, convenire potest.

II. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 115. Obj. I. Universalia, ut fatentur ipsi thomistæ, non existunt extrà mentem nostram; ergò, nihil sunt nisi *sola nomina*, vel *soli conceptus*.

Resp. *Distinguo antecedens :* universalia non existunt extrà mentem nostram, *formaliter* et *reflexè*, *concedo; fundamentaliter* et *directè*, *nego*. Etenim, ut dictum est suprà, universale directè sumptum exprimit essentiam rerum singularium; porrò, essentia hujusmodi, ex unâ parte, non est ens formaliter universale et indeterminatum, sed, ex alterâ parte, designat aliquid reale, videlicet attributa seu notas, quibus res individua constituitur in suâ specie; ut sunt ex. gr. *homo*, *lapis*, *arbor* et similia.

Obj. II. Definitio exprimit essentiam pluribus communem; atqui, definitio exprimit ipsum universale; ergò, universale est essentia pluribus communis.

Resp. *Distinguo majorem :* definitio exprimit essentiam plu-

ribus communem, propter *similitudinem, concedo;* propter *identitatem, nego.* V. gr. Petrus, Joannes, et alii, sunt animalia ratione prædita; undè, omnes homines dicuntur similes; sed exindè inferri nequit unam et eamdem essentiam inesse omnibus hominibus. *Concedo minorem. Distinguo consequens :* universale est essentia pluribus communis, id est, in pluribus *similis, concedo;* in pluribus *eadem, nego.*

Obj. III. Absolutum existit solùm in Deo; sed, universale est absolutum; ergò, universale existit solùm in Deo.

Resp. *Distinguo majorem :* absolutum existit solùm in Deo, videlicet absolutum *reale,* seu Ens absolutum, *concedo;* absolutum *logicum*, id est ideale, *nego.* Distinguo *minorem :* universale est absolutum *logicum, concedo;* absolutum *reale, nego.* Eodem modo distinguitur consequens. Et verùm, idea universalis dici debet absoluta, eò quod exprimit essentiam rerum, abstractione separatam ab omni proprietate accidentali; sed, unum ens est verè ac propriè necessarium, immutabile et absolutum. *)

CAPUT SECUNDUM.

DE PRINCIPIIS LOGICIS.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de principiis logicis?

116. Judicia primaria et necessaria, quæ dici solent *principia logica*, conflantur ex notionibus *universalissimis;* v. gr. ex notionibus *entis* et *non entis* fit principium : *Idem non potest simul esse et non esse.* Undè, postquam dictum est de universalibus, recensere oportet ea quæ respiciunt ad principia logica; de quibus tres erunt articuli : 1^us^ de *naturâ* principiorum logicorum; 2^us^ de principio *contradictionis;* 3^us^ de principio *causalitatis.*

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ principiorum.

II. Quid est principium logicum?

117. Lato sensu, principium definitur a sancto Thomâ (*Sum. Theol.*, p. I, q. 33, a. 1), *id omne à quo aliquid procedit.*

Duplex est principium, *rei* scilicet atque *cognitionis.* Principium rei est illud, à quo procedit vel procedere potest *ens aliquod reale;* v. gr. *Deus* est principium omnium rerum sive realiter existentium, sive etiam merè possibilium. Principium cognitionis est illud, à quo procedit vel procedere potest *conclusio logica;* sic : *Omne bonum est amandum,* vocatur principium logicum, nam ex eo deducitur conclusio sequens : ergò, Deus est amandus (1).

Ex dictis, principium logicum, quod dicitur ab Aristotele « *suppositio demonstrationum* » (*V Metaphys.* et *De sophist. Elench.* I), definiri potest : *judicium à quo aliud judicium immediatè aut mediatè procedit.*

(1) (* Nota : Sic se habet Suarezius (*Metaphys.*, disp. XII, sect. I, n. 3) : « Distinguere possumus duplex principium, aliud *rei*, aliud *cognitionis* seu scientiæ; quod alio modo solet distingui in principio *incomplexo* et *complexo;* nam principium rei incomplexum est, cognitionis autem complexum.» Cf. S. Thom. (*Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 3, ad 4um). Plerique tamen philosophi principia dividunt in quatuor genera : 1° distinguunt principia *cognoscendi*, ut, *nulla scientia probat suum subjectum, incipiendum est ab iis quæ sunt magis nota* (S. Thomas, I *Phys.*, lect. 1); 2° principia *demonstrandi,* seu *scientiæ,* ut *axiomata, definitio, divisio, argumentatio;* 3° principia *essendi,* seu *constitutionis,* ut, *materia* et *forma;* 4° principio *fiendi,* seu *productionis,* ut *causa efficiens.* *)

III. Quid est axioma?

118. Inter principia logica, quædam sunt universalissima et per se evidentia, primariò et quasi spontè suâ innotescunt, ac ideò fundamentum omnis scientiæ constituunt; hæc sunt *axiomata*, quæ vocantur « *dignitates* » à nonnullis scholasticis, eò quod primum locum obtinent in cognitione nostrâ. Talia sunt principia : *Idem non potest simul esse et non esse; totum est majus suâ parte.*

Axioma demonstratione non eget, quià evidentius est omni demonstratione; imò, quædam principia omnium prima demonstrari non possunt; nam, in processu argumentationis, necesse est ut deveniamus ad prima principia « *indemonstrabilia.* » (Cf. S. Thom. *Sum. Theol.*, 2ª 2æ, q. XXIII, a. 7, ad 2um.)

Exindè, nonnulla corollaria inferre possumus. Primò quidem, axiomata propriè dicta sunt judicia *analytica*, *à priori*, *absoluta*, *rationalia* et *metaphysica* (Cf. n. 40); in judiciis enim hujusmodi nexus inter subjectum et attributum fundatur in ipsâ rerum naturâ, eorumque veritas elucescit immediatè, sinè ullo discursu; v. gr. *totum est majus suâ parte.* Sunt autem alia principia, quæ dicuntur à scholasticis principia « *facti*, » seu judicia *synthetica*, *contingentia*, *hypothetica*, *empirica* et *physica* (Cf. n. 40), eò quod eorum veritas non innotescit immediatè, sed ope discursûs et experientiæ; ut si dicas : *corpus est grave; ignis adurit.*

Secundò, in omni syllogismo, cujus major est axioma propriè dictum seu veritas *à priori*, et cujus minor est veritas facti seu experientiæ, conclusio habetur semper et absolutè vera; ut in exemplo sequenti :

Non datur *effectus sine causâ;*
Atqui, *mundus est effectus;*
Ergò, *mundus habet causam.*

In syllogismo autem, cujus major est veritas facti, et cujus minor est propositio singularis, conclusio non habetur necessariò nec metaphysicè vera. Sit exemplum :

Mortuus non resurgit;
Atqui, *Lazarus mortuus est;*
Ergò, *Lazarus non resurgit.*

Major hujus syllogismi est tantùm physicè vera, e proindè omnem exceptionem non excludit; undè, fieri potest, ex virtute Dei absolutâ, ut Lazarus resurgat.

Tertiò, ille est verè philosophus qui, ope principiorum logicorum, altissimas omnium rationes invenit, secundum ea sancti Doctoris (*Sum. Theol.*, p. I, q. 8, a. 7) : « Profundiùs intelligit qui conclusionem aliquam potest reducere in prima principia et causas primas, quam qui potest reducere solùm in causas proximas. » Philosophi autem qui, duce Stuart-Mill (*Logic.*), principia logica à judiciis facti seu experientiæ non secernunt, fundamentum omnis scientiæ diruere connituntur.

IV. Quid docet Stuart-Mill de axiomatibus?

(* 119. Systema quod propugnat Stuart-Mill de axiomatibus, ad tria capita revocari potest.

1°, Principia sunt omnium factorum simplicissima, quæ solâ ministrantur experientiâ : « Les axiomes ne sont qu'une classe, la plus universelle, d'inductions de l'expérience, les généralisations les plus aisées, ou les plus simples des *faits* fournis par les sens et la conscience (*Logic.*, t. I, p. 262). »

2°, Confirmantur habitu seu consuetudine; sic, duo et duo dant quatuor, quià consuevimus ab infantiâ tale principium, experientiâ cognitum, ut verum admittere; nec oppositum, duo scilicet et duo dant quinque, concipere possumus. Facultas autem quâ concipimus axiomata non est intellectus aut ratio, sed imaginatio quædam sensibilitatis physicæ.

3°, Habeantne principia fundamentum reale, potissimùm in ordine metaphysico, dubium est, et etiam in se nihil verum aut falsum, nec absurdum reputari potest : « Rien n'est absurde en soi, mais ne l'est que par rapport à l'esprit et à ses habitudes. »

Ex hàc expositione, quæ, saltem ad sensum, placet omni Positivistæ, concluditur axiomata non esse necessaria, nec immutabilia; id enim non est necessarium, quod *soli* tribuitur *experientiæ;* id non est immutabile, quod procedit ex hominis habitu vel consuetudine. Sed, ut dictum est suprà, omne axioma propriè dictum est à priori et metaphysicum; undè, falsum est systema Positivistarum. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De principio contradictionis.

I. Quid dicendum de supremo omnium principio in ordine logico?

120. Quùm philosophia sit scientia de ultimis principiis sivè *cognitionis*, sivè rerum, operæ pretium est ut, postquam diximus de principiis logicis in genere, quæramus quodnam sit primarium ac supremum principium in ordine logico; deindè videbimus quomodò scientiæ omnes defluant ex hoc supremo principio; posteaque nonnulla dicemus de erroribus sophistarum, qui principium contradictionis rejicere connituntur.

II. Quodnam est primarium principium in ordine logico?

121. Juxtà plerosque scholasticos, philosophiæ fundamentum est principium *contradictionis : idem non potest simul esse et non esse.* « Principium omnium primum, ait R. P. Liberatore, quod in cæteris omnibus latet implicitum, pervulgato continetur contradictionis effato :

Nequit idem esse simul et non esse. » (*Logic.*, p. II, c. v). Cartesius omnia revocans ad dubium saltem methodicum, initium philosophiæ sumpsit a celeberrimo effato, *cogito, ergò sum.* Leibnitzius autem asseruit omnia ratiocinia duobus principiis inniti; scilicet : *Non potest idem esse simul et non esse;* et : *Nihil est sine ratione sufficiente.* R. P. Tongiorgi tres admisit veritates primitivas : « Quùm multa sint quæ demonstrari non possunt, nec debent, inquit, primitivæ tamen veritates quas, antè omnem philosophicam inquisitionem, fundamenti loco supponere necesse est, sunt tantummodò tres; videlicet :

1° Factum primum, quod est existentia propria.

2° Principium primum, quod est contradictionis principium : *Idem non potest esse simul et non esse.*

3° Conditio prima, nempè rationis aptitudo ad veritatem assequendam (*Logic.*, p. II, l. I, c. III). »

Juxtà sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, 1ª 2æ, q. 94, a. 2), « prima principia indemonstrabilia sunt plura. » Ad solutionem hujus difficultatis, sit sequens

PROPOSITIO.

Philosophia triplici fundamento nititur : primario facto, primario principio, primario criterio.

Primarium factum sic exprimitur : *Homo est capax veritatem assequendi.*

Primarium principium : Idem non potest simul esse et non esse.

Primarium criterium seu medium certitudinis *: Quod evidenter percipitur negari non potest :*

Ista sanè judicia multas supponunt ideas jam acquisitas; tales sunt ideæ *entis*, *existentiæ*, *relationis*, *sub-*

jecti, *veritatis*, aliæque similes. Multa quoque judicia singularia priùs formantur *explicitè*, necnon et enuntiantur externè, ut sequentia : *Mundus existit; sol lucet; ignis adurit.* Tria verò de quibus agitur in omnibus aliis *implicitè* reperiuntur, non possunt probari nec rejici; requiruntur et sufficiunt ad instituendam totius philosophiæ scientiam, et in hoc sensu fundamentalia dici possunt et debent.

Probatur : Hæc principia sunt fundamentalia, quorum uno aliove sublato, funditùs evertitur omne cognoscendi medium, animaque prolabitur in scepticismum universalem. Atqui, talia sunt principia de quibus agitur. Nam, subjecti *capacitate* negatâ, rejici debet ipsa certitudo. *Axiomate* primario in dubium revocato, jam res eadem potest esse simul et non esse, veritas ab imaginatione pendet, et in se nihil est verum aut falsum; quinimò falsum et verum, ens et nihilum idem esse possunt. Criterio veritatis et motivo certitudinis rejecto, scilicet *evidentiâ*, philosophiæ nexus rumpitur; inter subjectum et objectum relatio nulla superest, et, ut aiebat Fichte, extrà subjectum nihil existit, aut, si existat, cognosci non potest (*Princip. fundament.*). Ergò, tria hæc principia sunt totius philosophiæ fundamenta.

Aliundè, tres illæ veritates in omnibus aliis, etiam immediatè perceptis, reperiuntur implicitè. Quùm enim asserimus aliquid esse tale vel tale; quùm hæc aut alia proferimus : *Ens*, *unum*, *lapis*, *equus*, *bonum est amandum*, *duo duoque dant quatuor*, *existo*, *cogito;* tria semper et necessariò supponimus, *capacitatem* subjecti percipientis, rei perceptæ *veritatem* et *evidentiam*. Sic implicitè ratiocinamur : Certus sum et dubitare nequeo; lapis iste, vel illa domus existit; aliter idem esset simul et non esset; evidens est totum esse majus suâ parte, solem in cœlo

radiare. Ergò, quælibet veritas, etiam simplicissima, requirit intellectum percipientem, objectum perceptum, inter utrumque relationem, et saltem implicitè, in omnibus judiciis hæc tria reperimus. Undè, scientia philosophica triplici fundamento nititur.

Probari non possunt, sed sufficiunt ut philosophia institui possit. Qui enim subjecti capacis (1), evidentiæ, veritatis existentiam probare vellet, sophismate dicto, *petitio principii*, laboraret; nam, assumeret ut certum id quod esset probandum. Illis verò tribus admissis, omnes aliæ veritates, etiam axiomata demonstrari aut saltem explicari possunt. Ex. gr. dicere licet : Duo duoque dant quatuor; evidens est, et rem ità se habere percipio. Ergò, vera est propositio; nempè, philosophia triplici fundamento nititur : primario facto, primario principio, primario criterio seu medio certitudinis.

III. Quomodo scientiæ omnes defluant ex primario principio?

122. Quemadmòdum in ordine reali res omnes procedunt ab uno et eodem Ente Supremo, ità in ordine logico omnes scientiæ defluunt ex principio contradictionis.

Primò quidem, intellectus concipit ideas universalissimas *entis et non entis* (Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 3); posteà immediatè percipit contradictionem absolutam quæ reperitur inter *ens* et *non ens*, illudque judicium enuntiat, saltem implicitè : *repugnat aliquid esse et non esse :* seu etiam : *idem non potest esse simul et non esse.*

Secundò, in omnibus judiciis analyticis et à priori,

(1) Juxtà sanctum Thomam, nulla scientia probat suum subjectum (*In I Phys.*)

mens asserit identitatem seu nexum absolutum subjecti et attributi, quia identitas illa negari non potest, quin idem sit simul et non sit. Ex. gr. dicitur, *totum esse majus suâ parte;* secùs enim *totum* esset simul *totum* et *non totum*.

Tertiò, syllogismus deductivus hoc principio nititur : *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* et : *duo, quorum unum convenit et alterum non convenit uni tertio, non conveniunt inter se.* Principium autem illud e primario principio deducitur; nam, ea quæ conveniunt uni tertio, conveniunt inter se, quià non possunt convenire simul et non convenire, sicut et idem non potest esse simul et non esse.

Quartò, principium causalitatis, de quo dicendum est in articulo sequenti, videlicet *non est effectus sinè causâ*, est fundamentum inductionis et consequenter omnis judicii synthetici. Sed principium causalitatis eruitur ex primario principio; effectus quidem habet causam, quià non potest esse simul effectus et non effectus.

Undè, judicia analytica et synthetica, deductio et inductio nituntur principio contradictionis. Sed, omnis scientia conflatur ex judiciis analyticis et syntheticis, omnisque demonstratio fit ope deductionis vel inductionis. Ergò, scientiæ omnes defluunt ex primario principio (1).

(1) Juxtà nonnullos philosophos (Cf. Zigliara, *Logic.* p. II, lib. II, c. II, a. 2), « primum principium a priori in demonstrationibus *directis* seu *ostensivis* est : *Omne ens est sua propria natura.* » Sed, primum principium a priori in demonstrationibus *indirectis* est illud contradictionis : « *Impossibile est idem simul esse et non esse secundum idem.* » Præterea « abstractione factà a speciebus demonstrationum, primum principium est principium contradictionis. »

IV. Quid dicendum de sophistis hodiernis?

(* 123. Sophistæ hodierni principium contradictionis et proindè fundamentum scientiæ diruere nituntur. Ex. gr. sic se habet Borussus Michelet, Hegelii discipulus (*Esquisse de Logique*, p. 3, 4 et 12) : « Le néant est une catégorie plus riche que l'être... Le néant a donc autant de droit à l'existence que l'être lui-même... L'être et le néant sont identiques... Toutes les catégories parcourues et à parcourir sont des preuves de l'identité des contraires... De même la vérité et l'erreur sont identiques. Leur identité forme la vérité, qui n'est donc pas hors de l'erreur. Telle est aussi l'identité du bien et du mal... En quoi deux choses sont-elles différentes? Cet en quoi, c'est leur identité. »

« Il est un principe, ait D. Schérer (*Hégel et l'Hégélianisme*), qui s'est emparé avec force de l'esprit moderne, et que nous devons à Hégel. Je veux parler du principe en vertu duquel une assertion n'est pas plus vraie que l'assertion opposée. Nous ne voyons partout que degrés et que nuances, nous admettons jusqu'à l'identité des contraires. »

« La nouvelle philosophie, ait Vacherot (*La Métaphysique et la Science*), va plus loin que Kant. Elle généralise le système des antinomies; en l'étendant à tous les objets de la connaissance, elle en fait la loi universelle de l'entendement. Tandis que le principe de la contradiction est la loi de l'entendement, le principe de l'identité absolue est la loi de la raison. Ce que l'imagination et l'entendement regardent comme absurde et contradictoire est précisément ce que la raison proclame nécessaire et absolument vrai. »

Ideoque, sophistica hodierna fundatur in negatione saltem implicitâ principii contradictionis. At negatio hujusmodi non differt à vetustissimo errore; experientiæ contradicit; in praxi rejicitur ab ipsis sophistis; omnem scientiam evertit; ad dubium absolutum et scepticismum universalem directè propellit.

Systema novæ sophistices omnia negavit et nihil in methodo nec in scientiis invenit; sophistæ enim veteres, ut ait sanctus Thomas (*Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 2), sicut et hodierni dice-

bant : « Omne quod videtur, esse verum ; et sic quod *contradictoriæ essent simul veræ.* »

Sophistica contradicit experientiæ ; nam, inter homines etiam rudiores, quis fidem adhiberet philosopho docenti veritatem et errorem, ens et nihilum, vitium et virtutem non differre? Reverà, contradictoriæ magis inter se distant quam homines et pecora, boves et hirci, pisces maris et cœli volucres.

In praxi, Criticæ fautores non aliter ac alii ratiocinantur ; vocabulis usu sacratis utuntur ; logicam, metaphysicam, totamque philosophiam, potissimum Criticen et veram historiam invenisse autumant (1).

Negatio principii contradictionis omnem scientiam evertit ; principio enim hujusmodi semel rejecto, negatur primarium axioma ; sed, axiomate primario negato, fundamentum scientiæ corruit, ut vidimus ; ergò, negatio principii contradictionis omnem scientiam evertit.

Ex his omnibus, infertur dubium absolutum et scepticismum universalem esse legitimam et necessariam sophisticæ conclusionem. *)

ARTICULUS TERTIUS.

De principio causalitatis.

I. Loquere de formâ et vi principii causalitatis.

124. Primò, quoad *formam*, principium causalitatis his verbis exprimi solet apud scholasticos : *Non datur effectus sine causâ* (Cf. R. P. Liberatore, *Logic.*, p. II, c. 5, n. 3). Appellatur autem a Leibnitzio *principium rationis sufficientis*, et sic enuntiatur : *Nihil est sinè ratione sufficiente.*

(1) La critique était inconnue à Montesquieu (Taine). » — « L'histoire n'a pas quarante ans (Renan). » — « La théorie de l'histoire commence à M. Comte (Littré). »

Secundò, quoad *vim*, principium causalitatis est *indubium* et *absolutum*. Dicitur indubium ; adeò enim evidens est, et compertum omnibus, ut nemo de ejus veritate seriò dubitare possit. Vocatur absolutum ; nam, omne judicium analyticum est absolutum; atqui, judicium illud, *non datur effectus sine causâ*, est analyticum, quià nexus inter subjectum et attributum fundatur in ipsâ rerum naturâ, et impossibile est ut effectus concipiatur sinè causâ ; secùs enim esset effectus simul et non effectus.

Undè, pricipium causalitatis non pendet ab intellectu nostro, et de eo dici potest quod Bossuetius dixit de principiis in genere : « Notre entendement les trouve vrais et ne les fait pas tels. » (*Connaissance de Dieu.*)

II. Quomodo inductionis fundamenta nituntur principio causalitatis?

125. Processus inductionis et scientiæ experimentales tria principia supponunt; videlicet : *Leges naturæ sunt constantes et stabiles; causæ naturales, iisdem circumstantiis habitis, eosdem effectus producunt; transacto seu præterito futurum erit consimile.* Ex. gr. leges naturæ sunt stabiles, et semper eosdem effectus producunt; sed, diebus præteritis, sol ortus est; cras igitur et diebus futuris, sol orietur.

Circà præsentem quæstionem maximi momenti, duo probanda sunt; scilicet : inductionis principia sunt *indubia*, eò quod eruuntur ex effato, *non datur effectus sine causâ;* non sunt autem *analytica*, sed merè *synthetica*, proindè non excludunt exceptionem, id est *miraculum;* undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Leges naturæ sunt stabiles, sed non absolutæ.

1°, Leges naturæ sunt *stabiles*. Probatur *experientiâ*. — Id admitti debet, quod experientiâ constanti demonstratur. Sed, semper et ubique, uniformi constantique modo, iisdem circumstantiis habitis, eadem phænomena producuntur; ex. gr. ignis calefacit, corpora decidunt, aqua refrigerat, semen herbam et fructum, animal animalia producit juxtà genus suum; item plantarum et animalium familiæ, species genera, *fixa* sunt et *immutabilia;* ergò, legum naturæ physicæ stabilitas experientiâ demonstratur.

Probatur *a priori*. — Non est effectus sinè causâ, seu ratione sufficiente; sed, multi effectus certò existentes essent sinè causâ sufficiente, legibus naturæ physicæ sublatis; ergò, stabiles sunt leges naturæ physicæ.

Hinc, effatum inductionis, *transacto futurum erit consimile*, non pendet ab intellectu, sed *in se verum* est, et eruitur e causalitatis principio.

2°, Leges naturæ non sunt *absolutæ*. Probatur. — In inductionis legibus tria semper inveniuntur, *phænomena, Lex* et *Legislator;* ex. gr. in judicio, *mortuus non resurgit;* phænomena sunt ista : *Petrus, Joannes, homines moriuntur et non resurgunt;* his verbis lex exprimitur : *Mortuus non resurgit;* ità voluit et statuit *Legislator*. Lex hujusmodi firma stabilisque meritò dicitur, et transactis phænomenis futura erunt consimilia; sed nihil immutabile et absolutum, nec in phænomenis, nec in lege, nec in voluntate legislatoris, qui legem statuendo prævidit exceptiones, invenitur.

Insuper, multas leges reperimus quæ, positis obicibus, effectum suum non producunt; ergò, inductionis effata non sunt immutabilia nec absoluta.

Instamus. Sola principia metaphysica sunt absoluta. Atqui, principia inductionis non sunt metaphysica (Cf. n. 48). Ergò, non sunt absoluta. Et verùm, expers esset Logicæ, vel malæ fidei notam incurreret, qui legum naturæ stabilitatem immutabilitati principiorum metaphysicæ vellet æquiparare. Stabiles sunt leges naturæ, videlicet in se non mutantur, et, iisdem circumstantiis habitis, eumdem producunt effectum; non sunt autem æternæ, necessariæ, absolutæ, immutabiles ut axiomata : *Nihil est sinè ratione sufficiente*, idem non potest *simul esse et non esse;* ergò, non sunt absolutæ, nec esse desinunt, etsi patiantur unam aut alteram exceptionem.

Instamus iterùm : adversarii sibimetipsis contradicunt; ex. gr. positivistæ ordini physico tribuunt immutabilitatem, quam ordini metaphysico denegant, et *motores immutabiles,* leges corporum necessarias et absolutas admittunt. A fortiori sophistæ, qui scientiarum fundamenta reponunt in identitate contrariorum, gratuitò contendunt principia inductionis esse absoluta. Ergò, leges naturæ physicæ, licet *hypotheticè*, id est, post effectam creationem, *stabiles,* non sunt necessariæ, sed *contingentes;* eapropter exceptio legibus physicis, seu *miraculum* de quo alibi dicendum est, logicè non repugnat rationi, nec experientiæ.

III. Quid ex dictis infertur adversus errores hodiernos?

(* 126. Ex dictis, duo corollaria deducere licet.

Corollarium primum : principium causalitatis est indubium et absolutum; undè, manifestus est error eorum, qui principium

illud rejiciunt, vel in dubium revocant, vel etiam causis merè physicis æquiparandum esse docent. Nempè :

A. Quod vix credideris, nonnulli philosophi principium causalitatis negarunt. Hi sunt antiqui sophistæ, sceptici, pyrrhonistæ. Sæculo proximè elapso, Hume et Béguelin, principium causalitatis impugnantes ut hypothesim impossibilem, fortunam aut casum, id est, effectum sinè causâ admiserunt. Iis sociantur sophistæ præsentis ævi, qui principium contradictionis et deindè causalitatis evertere conantur.

B. Alii, materialismum profitentes, ducibus Democrito et Lucretio, causas omnium phænomenorum in proprietatibus materiæ, et præsertim in atomorum unione fortuitâ, esse contendunt. Cum his consentiunt aliqui recentes ; sic in rerum formatione septem periodos annumerat D. Renan; primò quidem extiterunt atomi virtuales, dein moleculæ, sol, planta, individuum, humanitas, et tandem historia novaque scientia.

C. Taine, positivismum atque spiritualismum respuens, novum systema delibare voluit. Juxtà illum, causæ in factis ipsis reperiuntur; undè, spiritualistæ qui ordinem metaphysicum excogitant, et positivistæ qui causas omnium extrà scientiam repudiant, errare videntur.

D. Nonnulli tandem, et hi sunt positivistæ puri, qui magistros habent Comte et Littré, de primis omnium causis non curant, et, metaphysicam idealistis ac theologis uti puerulis annuentes, scientiis naturalibus omne studium impendunt.

Corollarium secundum : Inductionis principia fundantur in ipso causalitatis effato, *Non est effectus sine causâ ;* undè, Reid falsò contendit principium hujusmodi pendere ab instinctu quodam naturali (1). Itemque, falsum est dicere celeberrimum effatum, *transacto futurum erit consimile,* in solâ experientiâ fundamentum habere.

(1) « Constitutio ipsa naturæ, inquit Reidius (*Essais sur les facultés*), *instinctu quodam* nos adducit ad tribuendas toti speciei qualitates quas in individuis experti sumus. Vi *instinctûs* hujus nos citissimè scimus ignem comburere, aquam refrigerare, corpora decidere, panem nutrire. »

Principia autem inductionis non sunt absoluta; idcircò, philosophi omnes, qui, nomine communi, *naturalistæ* seu *rationalistæ* vocari solent, falsis argumentis seu sophismatibus utuntur, quùm miraculum et religionem impugnant. *)

CAPUT TERTIUM.

DE METHODO.

I. Quomodo dividitur caput tertium, de methodo?

127. Intellectus noster non solùm regulas argumentandi cognoscit, sed etiam instruitur principiis quæ habenda sunt ut omnium scientiarum fundamenta; undè, veritatem inquirere aut demonstrare potest. Processus autem seu *via* quam sequitur, ut faciliùs et tutiùs ad verum pertingat, dicitur *methodus;* de quâ tres sint articuli : 1^{us}, de methodo *in genere;* 2^{us}, de *analysi* et *synthesi;* 3^{us}, de methodo *analytico-syntheticâ.*

ARTICULUS PRIMUS.

De methodo in genere.

II. Quid dicendum de naturâ et utilitate methodi?

128. *Methodus*, è vocibus græcis μετὰ (ad) et ὁδός (via), id est via ad aliquid, significat complexionem et ordinationem mediorum, quibus utimur ad propositum finem obtinendum.

Methodus logicus speciatim definiri potest : *Ordo, quem sequitur intellectus in adeptione veritatis.* Id est, mens humana, quæ *gradatim* ad ultima principia rerum ascendit, ordinatè progreditur et omnia media quibus utitur aptè disponit, ut securiùs perveniat ad conclusiones,

quæ proximè aut remotè defluunt ex primis principiis; ordo autem seu dispositio hujusmodi vocatur methodus.

Methodi præstantiam plus æquo laudavit Cartesius, asserens æqualem omnibus inesse rationem, nec nisi viis in cogitando diversis opinionum varietatem esse tribuendam (1). Verumtamen utilitas, imò necessitas methodi logicæ multis argumentis demonstrari potest.

Ex naturâ hominis. — Intellectus noster scientiam gradatim et difficili labore comparat; est igitur maximæ utilitatis, præsertim in arduis philosophiæ semitis, ut rectam viam eligat, et gradu tutissimo semper incedat.

Constat experientiâ. — Methodi enim defectus contemptum philosophiæ, pluribus abhinc annis, præsertim in Gallià, non parùm adauxit; nam, sæpissimè juniores, in auctorum conflictu, gravissimas Logicæ, Cosmologiæ, Ontologiæ quæstiones aut dubias aut inutiles judicant, et segniori zelo leviorique curâ studium philosophiæ prosequuntur. Undè, neglectis intellectûs officiis et regulis, christianæ religionis argumenta pluribus videntur obscura aut fictitia, multique fallaciis impiorum decepti, « variis ac peregrinis doctrinis » adducuntur (*Concil. Vatic.*).

Ex naturâ scientiæ. — Scientia non est congeries, sed series cognitionum iisdem principiis innixarum; qui autem sinè ordine procedit in scientiis comparandis, non seriem, sed congeriem solummodò cognitionum adipiscitur; ergò, necesse est methodi auxilium iis, qui philoso-

(1) Descartes (*Discours de la méthode*, 1re partie) :... « Ce qu'on nomme le bon sens ou la raison, est *naturellement égal en tous les hommes;* et ainsi... la diversité de nos opinions ne vient pas de ce que les uns sont plus raisonnables que les autres, mais seulement de ce que nous conduisons nos pensées par *diverses voies*, et ne considérons pas les mêmes choses. »

phiæ student et nolunt « aerem verberare, » nec « vires in ventum fundere, » ut ait Hugo a S. Victore (*Erudit. didascal.*, l. V, c. v).

Ex memoriæ officio. — Scientias non solùm addisci, sed etiam memoriæ mandari oportet; ea autem, quæ ordinatè disponuntur, promptiùs addisci possunt, profundiùs hærent animo, et faciliùs servantur. Ergò, indubia est methodi utilitas, imò necessitas.

III. Quot inveniuntur in methodo?

129. In methodo tria semper inveniuntur, *initium* seu principia et veritates, e quibus ratio proficisci debet; *ordo*, id est processus quem intellectus sequitur, ut e primis principiis illationes inferat; et *finis*, scilicet adeptio scientiæ et cognitio veritatum, quæ dicuntur ultimæ rerum rationes, et præstantissimum philosophiæ objectum constituunt. De methodi processu, nempè de analysi et synthesi, agendum est in articulo secundo; de fine verò methodi seu de scientiâ tractatur in capite sequenti; hic igitur solummodò dicendum habemus de initio methodi.

IV. Undè sumendum est initium methodi?

130. Initium methodi, ut patet ex dictis (n. 128), sumendum est e primis principiis et veritatibus, quæ demonstrari non possunt; principia enim hujusmodi sunt philosophiæ fundamenta, et ex eorum evidentiâ oritur certitudo scientiæ, ut ait sanctus Thomas (*Qq. Disp.* De Veritate, a. 1).

Deindè, quùm intellectus procedat e magis notis ad minùs nota et e certis ad dubia, progredimur ad conclusiones quæ immediatè defluunt e primariis veritatibus; id est, in ordine rationali, deducimus e principio contradictionis alia principia, quæ dicuntur à priori et

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

metaphysica; tale est, ex. gr. principium causalitatis. In ordine empirico testimonium conscientiæ et perceptio sensuum admittuntur ut media certitudinis immediata; nam, eorum ope, multas veritates evidenter et directè percipimus.

Tandem pervenimus ad propositiones quæ nec immediatè, nec evidenter defluunt e primis principiis. De illis propositionibus judicium suspenditur, donec earum veritas fulgeat; eaque *suspensio judicii* est *dubium methodicum*.

V. Quid dicendum de dubio methodico?

(* 131. Dubium methodicum omninò differt à dubio scepticorum; unum est prudens et legitima suspensio judicii, et alterum certitudinis possibilitatem, aut existentiam, ad minùs partialem, rejicit.

Existit dubitatio methodica quùm intellectus, in propositione difficili, copulam inter subjectum et attributum adhùc clarè non percipit, et quasi suspensus hæret, affirmare vel negare non valens : « Nos dubitationem, ait Albertus Magnus, pro interminato motu ratiocinationis accipimus in præmissis, quandò ratio antè consensum modò *viam* habet ad *unum*, modò ad *alterum*. » Definiri potest :

Prudens suspensio judicii, donec veritas evidenter fulgeat intellectui percipienti.

Propositio de quâ dubitari potest, vocatur « scibilis » apud antiquos, id est, nec per se nota, nec simpliciter ignota : « Talis est, ait Scotus, de quâ scientia acquiri potest post dubitationem, ità quod ipsa priùs sit dubitata, et posteà per principia nota fiat scita. » (*In II Post. Anal.*, q. 1, n. 2).

In dubio methodico plura sunt inspicienda; hìc enim, ex unâ parte limites ingenii hominis, et ex alterâ parte, libertatem legitimam philosophiæ tangimus. Tria potissimùm utilia videntur; nempè, dubitationis usus apud veteres, dubitationis usus apud recentiores, et tandem solutio difficultatis.

A. Dubitationis usus apud veteres.

Juxtà non paucos ævi nostri philosophos, tota antiquitas, omnes Aristotelis et sancti Thomæ discipuli, dubium legitimum ignorantes, adagium ut pecus servorum colebant : « Magister dixit. »

Sed e contrà, tûm in operibus Platonis et Aristotelis, tùm in historiâ philosophorum qui vocantur Academici, Peripatetici, Stoici, tùm in scholis Ævi-Medii celeberrimis, dubii methodici vestigia frequentissimè reperimus; imò, sanior et sapientior erat apud antiquos, quam in ætate nostrâ, libertatis usus. Ipse Socrates, loquens de dubio methodico, talia dixit : « Neque expeditus ipse, cæteros titubare compello; sed maximè omnium dubitans ego, dubitare alios quoque facio. » (Plat., *In Menon.*).

Non solùm dubitationem adhibuit Aristoteles, sed illius theoriam exposuit, quam deinceps amplissimis commentariis ditaverunt Albertus Magnus, divus Thomas et Scotus. Sanctus Doctor, in operibus suis et præsertim in *Summâ theologicâ*, his verbis, « *videtur quod non,* » rationes dubitandi proponit, antequam ad conclusionem, « *sed dicendum,* » accedat; ità Suarez et plerique scholastici.

B. Dubitationis usus apud recentiores.

Cartesius, de quo fusiùs in numero sequenti, *dubium universale*, uno solùm excepto, nempè, *cogito, ergò sum,* ut initium totius philosophiæ sumpsit : facilè concipimus, ait, nullum esse Deum, nullum cœlum, nulla corpora; nosmetipsos manus non habere, neque pedes, neque membra; nos autem non esse repugnat quià cogitamus; undè, cogitatio seu *cogito, ergò sum,* est totius philosophiæ fundamentum.

Ex hâc ætate, multi philosophi scinduntur in duplicem classem; alii dubium methodicum, in sensu Cartesii, tanquam progressûs et etiam religionis instrumentum utile judicant; quorum nonnulli paulatim in scepticismum, invito duce, prolabuntur. Cæteri verò, abeuntes ad extremum oppositum, dubii sapientis ac legitimi normas et usum damnare videntur.

C. Solutio difficultatis.

In hâc difficili quæstione, quatuor regulas, juxtà mentem sancti Doctoris exaratas, proponere liceat.

1ª regula : *libertas* in rebus philosophicis et scientiarum *progressus* exquirunt aliquod sapiens et prudens *dubium*, quod dicitur *methodicum*.

Etenim, philosophia rectè dicitur scientia rationis, et proindè, licet auctoritatem, historiam aliaque certitudinis media non respuat, verâ et sanâ libertate cogitandi frui debet, secundùm adagium in scholis pervulgatum : « In dubiis libertas. »

2ª regula : Distingui possunt veritates *primariæ* et *indemonstrabiles;* veritates *certæ* sed *demonstrabiles;* et veritates *dubiæ* quoad nos, sed *cognoscibiles*. Veritates primariæ in dubium revocari non possunt et nullâ demonstratione indigent. Aliæ veritates logicè probantur, ut contingentia orbis physici, simplicitas animæ, necessitas Entis Supremi; de illis autem philosophus, *aliundè jam edoctus*, non dubitat, sed inductionis et syllogismorum ope, cognitionum suarum *explicitam rationem* et *vim motivorum* inquirit.

De propositione verò dubiâ, nec per se immediatè, nec aliis mediis sufficienter cognitâ, dubium sapiens et methodicum instituitur; ex his propositionibus sunt quæstiones de tempore creationis animæ, de distinctione inter essentiam physicam et existentiam, et aliæ quamplurimæ.

3ª regula : dubium methodicum ad omnes veritates nondùm *exploratas inductione verâ*, nec *ope syllogismorum probatas*, vel liberè inter auctores *agitatas*, aut ab intellectu evidenter non *perceptas*, extenditur.

Dubitationis usus, hoc sensu mitigato desumptus, libertatem philosophicam et vim auctoritatis conciliat, necnon scepticismi gurgitem effugit.

4ª regula : Quoties propositio *dubia* per demonstrationem *nota fit*, id est, quum *veritas percipitur evidenter*, omne dubium *evanescere* debet ac *certitudini* locum *cedere*. Qui enim, cessante dubitandi motivo, dubitare vellet, malæ fidei notam incurreret; qui verò dubitationi majorem extensionem daret, falsum systema cum Cartesio doceret. *)

VI. Quid sentiendum de dubio Cartesiano?

(* 132. Dùm in variis Germaniæ, Angliæ, Galliæque regionibus catholica fides ab innumeris hostibus impugnata, multorum dolebat interitum, Cancellarius Baco scholasticam philosophiam, Aristotelis atque sancti Thomæ principiis et auctoritate sanctam, evertere conabatur et loco syllogismi methodum inductionis proponebat; ideoque sensismi jaciebat fundamenta.

Tunc temporis apparuit in Gallià Cartesius, dubitationis instaurator et idealismi labe non immunis. Omnium systematum nenias atque sterilitatem altè proclamans, *novam methodum* proposuit in libello cui titulus, *Discours de la Méthode.*

Iste philosophus, ut jam dictum est in articulo præcedenti, omnia revocabat in dubium, v. gr. Deum, terram, cœlum, corpus humanum : nihil reperitur, aiebat, de quo dubitare non possimus; *omnia* proindè *dubia* sunt et *incerta.* Solum *cogitationis factum* admittebat ut totius philosophiæ fundamentum; undè, post axioma peripateticorum, *nihil est in intellectu, nisi priùs fuerit in sensu,* maximam celebritatem obtinuit effatum : *Cogito, ergò sum.*

Exindè quidem multæ et acerrimæ contentiones exortæ sunt inter philosophos, quorum alii dubitationem Cartesianam pyrrhonismo, vel atheismo, vel utrique simul gratis addiderunt; cæteri verò philosophum è patriâ profugum et in Germaniâ, Bataviâ, Suecià vagum, enixè propugnarunt, ut novæ philosophiæ magistrum ac religionis amicum et defensorem (1).

Non minùs à vero recedunt, qui Cartesio pyrrhonismi vel atheismi notam infigunt; dubium enim Cartesianum est *fictitium,* non autem *reale* et *absolutum* in sensu scepticorum; ille quidem philosophus dubitationem methodicam instituit ut medium ad veritatem à falso secernendam et logicè demonstran-

(1) Ex his non pauci laudibus modum excedunt; quis enim non miraretur rhetorem talia scribentem : « N'est-ce pas la lâcheté d'esprit qu'il faut accuser d'avoir prolongé l'enfance du monde et des sciences? *Adorateurs stupides* de l'antiquité, les philosophes ont rampé durant vingt siècles sur les traces des premiers maîtres. La raison condamnée au silence faisait parler l'autorité : aussi, rien ne s'éclaircissait dans

dam, sed nunquam dubitationem habuit ut *finem* omnis inquisitionis; unum intendit, nos scilicet ab omnibus erroribus liberare, viamque sternere facillimam quâ mens, à sensibus abducta, de veritatibus compertis ampliùs dubitare non possit. Res etiam in dubium revocabat, ut omnes opiniones erroneas quibus erat obsessus, avelleret : « Nec tamen, inquit, in eo scepticos imitabar, qui dubitant tantùm ut dubitent, et præter incertitudinem ipsam nihil quærunt (*Medit.*).

Cartesius non fuit atheus, nec etiam ad tempus; etenim, de Deo nunquam propriè verèque dubitavit; solùm autem *fictitiam*, ut ait, dubitationem sibi proposuit, ut clariorem veritatis cognitionem assequeretur, et ità, juxtà illum, rem egit « omninò piam et honestam (*Epit.*). »

Asseruit tandem se nunquam dixisse « Deum esse negandum, » nec « ipsum nos decipere, » nec « de omnibus esse dubitandum, » nec « fidem omnem sensibus abrogandam, » nec « somnum à vigiliâ non distinguendum. » Idcircò, non esset veræ critices amator, qui Cartesium damnaret ut *scepticum* et *atheum;* verumtamen dubitatio cartesiana est rejicienda. Undè sit

PROPOSITIO.

Dubitatio cartesiana admitti nequit ut philosophiæ initium.

Probatur. — Initium philosophiæ non potest esse dubitatio *temeraria* et *perniciosa*. Atqui, tale est dubium Cartesianum propter tria :

1°, Dubitatio Cartesiana *longiùs quam par est, procedit;* in

l'univers, et l'esprit humain, après s'être traîné mille ans sur les vestiges d'Aristote, se trouvait aussi loin de la vérité. Enfin parut en France un génie puissant et hardi, qui entreprit de secouer le joug du prince de l'école. Cet homme vint dire aux autres hommes que pour être philosophe il ne suffisait pas de croire, mais qu'il fallait penser. » Guénard, *Discours sur l'esprit philosophique*. Nullus est sanè qui non videat quot et quantas hyperbolas ista contineant.

dubium enim multa revocavit, de quibus etiam methodicè dubitare non possumus, et quæ, semel in dubium revocata, nullo stabiliuntur argumento; talia sunt primarium principium et primarium criterium.

Item, veritates necessariæ ad vitam physicam et moralem instruendam, indubiæ sunt, ut existentia corporum; de illis igitur veritatibus dubium esse nequit etiam methodicum; illarum autem *rationes explicitas* inquirere fas est.

2°, Dubium Cartesianum, ut ejus fortuna luculenter ostendit, *idealismo necnon et pyrrhonismo viam pandit;* nam, sensuum perceptionem, existentiam corporum, prima logicæ principia in dubium methodicum revocari non possunt sinè periculo; ideoque Cartesius, licet invitè, posuit idealismi et scepticismi fundamentum.

3°, Primum effatum, *cogito, ergò sum,* sivè sit judicium, ut voluit Gassendi, sivè sit merè factum internum, ut fusiùs evolvit Cousin, minimè sufficit nec haberi potest tanquam verum philosophiæ initium; nam, alibi probatum est (n. 121) tria semper et necessariò requiri, *primum factum, primum principium, et primum criterium.* Ergò, dubium Cartesianum in suo sensu obvio falsum est; undè, haberi nequit ut philosophiæ initium.*)

ARTICULUS SECUNDUS.

De Analysi et Synthesi.

I. **Quid est methodus analytica et synthetica?**

133. Postquam diximus de initio methodi, recensere debemus ea quæ spectant ad duplicem methodi processum, videlicet ad *analysim* et *synthesim.*

Analysis e rebus particularibus ad generales, e compositis ad simplicia, ex effectibus ad causas, e phænomenis ad principia progreditur; *synthesis* autem e causis ad effectum, e generalibus ad particularia, e simplicibus ad composita, e principiis ad phænomena descendit. Ana-

lysis dicitur etiam methodus *inventionis*, et synthesis methodus *demonstrationis;* prior *inductio*, altera *deductio* quoque vocari solet (Cf. n. 64).

Undè, *methodus analytica* est processus rationis, ex compositis ad simplicia et ex minùs universalibus ad universaliora *gradientis*. *Methodus* verò *synthetica* est processus rationis, ex simplicibus ad composita et ex universalioribus ad minùs universalia *descendentis* (1).

II. Quæ sunt analysis et synthesis regulæ?

134. Quædam rægulæ analysi simul et synthesi conveniunt; aliæ verò sunt analysi vel synthesi propriæ.

Primò, in utroque methodo, incipiendum est a notioribus et facilioribus; mens quidem humana in scientiis philosophicis, ut in grammaticæ rudimentis, quasi manu ducitur ex notioribus ad obscuriora, ex facilioribus ad difficiliora. Aliundè, gradatim et non per saltum procedere oportet; secùs enim non esset connexio inter principia et conclusiones, et ratio in errorem facilè prolaberetur. Sed eadem certitudo non est in omnibus inquirenda; nam in multis « certitudo esse » nequit, et probabilitas tantùm haberi potest (Cf. Aristot., I *Ethic.*, c. 1, et S. Thom., II *Metaphys.*, lect. V, aut etiam I *Ethic.*, lect. III).

Secundò, in mothodo analyticâ, totum in partes suas integrè dividi et subdividi debet, ut de toto judicetur id quod de partibus diligentissimè fuit inspectum; nam aliter inductio non esset legitima.

(1) « Methodus analytica, inquit Newton, est experimenta capere, phænomena observare, indeque conclusiones generales inductione inferre... *Synthetica* est causas investigatas et comprobatas affirmare pro principiis, eorumque ope explicare phænomena ex iisdem orta, istaque explicatione comprobare. » *Optice*, l. III, obs. XI.

Tertiò, in methodo syntheticâ, non solùm incipiendum est a principiis per se notis; verùm etiam exponendum est principium, ex quo immediatè defluit conclusio. Nam, utile est ut alumni clarè percipiant majores syllogismorum, quibus nititur conclusionum certitudo.

III. Quomodo omnes methodi in analysim aut synthesim resolvuntur?

135. Inter auctores alii methodum analyticam, alii syntheticam adhibuerunt exclusivè; multi verò methodum utramque simul excoluerunt.

Empiristæ, sivè sint materialistæ, sivè sensistæ et positivistæ, Baconis inductionem, in rebus experientiâ cognitis arctè limitatam, admittunt. Eamdem methodum Reidius, quem secuti sunt Dugald-Stewart, Royer-Collard, Jouffroy et alii, factis psychologicis et animæ facultatibus potissimùm applicuit.

Idealistæ Spinosa, Schelling, Hegel, quibus Ontologistæ saltem absoluti, v. gr. Gioberti, cum aliis nonnullis, adjunguntur, methodum syntheticam præcipuè laudandam et tenendam esse autumant.

Scholastici, cum aliis permultis, uti Platone, analysim et synthesim, postulante causâ, vicissim adhibent. Imprimis Aristoteles, in Tractatu *de Animâ*, et passim in operibus, inductionem anteponendam esse curavit, quasi viam naturalem ad principia ducentem : « ἡ ἐπί τὰς ἀρχὰς ὁδὸς αὐτή ἐστιν. » Sanctus Thomas, Albertus magnus, Scotus, et aliqui recentiores, inductionem veram et deductionem simul tenuerunt ut methodos requisitas ad veritatem inveniendam aut demonstrandam.

Baconismus, Empirismus et Reidianorum systema scientiam philosophicam exhibere non possunt; non enim ultimas omnium causas et principia, sed tantùm phæno-

mena resque particulares attingunt. Insuper Baconis, Reidii multorumque recentiorum inductio falsis nititur principiis.

Methodus autem *a priori* meras fingit hypotheses, quæ omni realitate carent; nam, scientia quæ derivatur ab *Unitate* Plotini, vel ab *Absoluto* Germani Schelling, aut ab *Ideâ* Hegelii, vel ab *Ente Concreto* Gioberti, figmentum est, et experientiæ simul et rationi contradicit.

Peripatetici et Thomistæ dividuntur in duas classes : alii parùm excoluerunt analysim ; alii verò, post Aristotelem et sanctum Doctorem, duplici methodo vim ferè æqualem tribuerunt, analysi scilicet et synthesi; sed nonnulli inter illos inductionis operationes, videlicet, *observationes* et præsertim *experimentationes* sæpiùs neglexerunt.

IV. Loquere fusius de Eclectismo et Positivismo.

(* 135 *bis*. Inter diversas methodos, duas fusiùs exponere juvat, eò quod multos fautores habuerunt sæculo XIX° apud philosophos, qui revelationem impugnârunt; hi sunt *Eclectismus* et Positivismus.

1°, Victor Cousin, Eclectismi instaurator, omnia philosophorum systemata revocavit ad quatuor præcipua, *empirismum*, *idealismum*, *scepticismum* et *mysticismum*. Ex his neutrum est falsum, sed neutrum est completum. — Neutrum est falsum, siquidem, error in mentem humanam cadere nequit, et etiam error est tantùm veritas incompleta; undè, empirismus, idealismus, scepticismus et mysticismus dicuntur falsi, quià veritatem integram non exhibent. — Ideoque verum systema, videlicet Eclectismus, elementa quæ partim existunt in aliis systematibus, colligere debet.

PROPOSITIO.

Eclectismus Victoris Cousin est falsus et rejiciendus.

Probatur. — Illud systema est falsum et rejiciendum, quod est mera congeries, seu purus, ut aiunt, *syncretismus;* atqui, talis est Eclectismus. Major constat. Probatur minor. — Victor Cousin, non solummodò veritates passim apud auctores inventas, quod sanè non esset novum, sed diversa philosophorum systemata in unum congerere voluit; illa verò systemata inter se repugnant; ex. gr. empirismus idealismo, scepticismus mysticismo contradicit; ergò, regiciendus est Eclectismus ut mera congeries et syncretismus, qui mutuatus est a veteribus neoplatonicis.

Insuper illa methodus est respuenda quæ falso nititur principio; sed, Eclectismus falso nititur principio. Error scilicet non est veritas incompleta, sed ipsius veritatis negatio; nec dici potest omnium veritatum summam inveniri in diversis philosophorum systematibus. Sic, v. gr. principium idealismi, *quidquid existit est spirituale*, falsum est; item de pincipio materialismi, *nihil existit extrà materiam* (1).

2°, *Positivismus* ad septem capita revocari potest.

A. *Fundamentum* Positivismi. De veritatibus metaphysicis et theologicis, de spiritualitate mentis humanæ, de Deo, seu Ente Supremo a materià distincto, de libertate, immortalitate, de causis rerum ultimis, de substantiis, de fine supremo nullam certitudinem comparare possumus.

(1) Ipse D. Cousin methodum eclecticam mitigavit, et etiam fortassè, labentibus annis, omninò deseruit : « Longtemps avant 1864, M. Cousin avait déjà notablement tempéré la ferveur systématique de son éclectisme et commençait à n'en garder que ce qu'il y a de raisonnable. » A. de Margerie, *Philosophie contemporaine*, p. 50. Aliter est dicendum de spiritualismo et rationalismo, quibus D. Cousin cum suis amicis, Jouffroy, Damiron, de Rémusat, Garnier, J. Simon, Saisset, Janet, constanter adhæsit.

B. *Objectum* Positivismi. Entibus metaphysicis extrà scientiam relegatis, facta contingentia, singulares materiæ proprietates, orbis physici diversa phænomena legesque naturales, mathematica, astronomia, physica, chimica, biologia, sociologia objectum et complexionem omnium scientiarum omniumque cognitionum exhibent.

C. *Methodus* Positivismi. Synthesim et inductionem lato sensu desumptas rejiciunt Positivistæ, solamque experientiam admittunt. Juxtà illos, scientia coercetur intrà limites factorum, et ordinem materialem transcendere nequit.

D. *Facultates cognoscitivæ*. Mens humana non existit aut saltem a cerebro non est distincta; proindè, facultates cognoscitivæ non aliud esse possunt quam dispositio nervorum et organisatio cerebri : Vocabula *facultas, capacitas, potestas,* sunt facta quidem specie diversa; nullam autem supponunt essentiam. Inest igitur ipsi materiæ facultas cognoscendi, judicandi, ratiocinandi; ipsa personalitas humana variis phænomenis componitur.

E. *Elementa cognitionum*. Undè, cognitionum elementa ad signa, imagines et sensationes revocantur; et etiam imagines et signa non distinguuntur a sensatione : « Nous avons vu que nos idées les plus abstraites, étant des signes, se réduisent à des images, que nos images elles-mêmes sont des sensations renaissantes, que partout notre pensée tout entière se réduit à des sensations. » (Taine, *De l'Intelligence.*)

F. *Diversæ cognitionum species*. Idem philosophus, qui Spencer, Bain, Stuart-Mill et Lewes in multis sequitur, triplicem cognitionum speciem distinguit, cognitiones corporum, cognitiones spiritûs et cognitiones generales; solis verò corporum notitiis realitatem objectivam concedit.

G. *Criterium* Positivismi. Scientiæ criterium est *verificatio;* cerebrum, seu facultas cognoscitiva sensationes, « *hallucinationes,* » illusiones patitur; sed illicò sequitur factorum *verificatio*, et ità phænomenorum notitia comparatur.

Methodus positivistarum falso nititur fundamento, id est *negatione* veritatum ordinis metaphysici; objectum philosophiæ propriè dictum, videlicet ultima rerum principia, pertingere

nequit; nullam certitudinem absolutam conferre potest, eò quod phænomena, quibus solis attendit, sunt contingentia et relativa. Undè positivismus vix aut ne vix a materialismo discrepat. *)

ARTICULUS TERTIUS.

De methodo Analytico-synthetica.

I. Quid est methodus analytico-synthetica?

136. Methodus *analytico-synthetica*, quæ dicitur etiam « *psychologico-rationalis* » (Sanseverino, *Logic.*, p. III, n. 15), definiri potest : *Via naturalis intellectûs ad notitias rerum generales gradatim ascendentis, et deindè ad varias conclusiones ope syllogismi descendentis.* Duas partes complectitur; prior est complexio et ordinatio mediorum quibus utimur ad comparandas veritates generales et causas rerum ultimas; posterior verò, quæ dicitur deductiva, syllogistica, synthetica, vel etiam demonstrativa, e veritatibus generalibus ad particulares descendit.

Methodus *analytico-synthetica* coalescit omnibus *mediis*, de quibus infrà dicendum est, videlicet *evidentiâ*, *perceptione sensuum*, *inductionis actibus externis*, *præsertim observatione ac experimentatione*, *consensu generis humani*, *testimonio*, *sensu intimo*, *memoriâ*, *variis intellectûs operationibus*, *apprehensione*, *judicio*, *ratiocinio*.

Methodus hujusmodi medium tenet inter sensismum et idealismum; et verò, juxtà eam, cognitiones acquiruntur partim ab inductione, partim a deductione; v. gr. sensus percipit phænomena rerum sensibilium; ex istis phænomenis intellectus per inductionem ad notiones generales pergit, et deindè ope syllogismi descendit ad cognitiones rerum singulares; sit exemplum : *omnes homines sunt mortales;* videmus hunc et illum hominem e

vitâ discedere; mox tale judicium proferimus : *omnes homines sunt mortales;* posteà, sic argumentamur :

Omnes homines sunt mortales;
Atqui, Petrus est homo;
Ergò, Petrus est mortalis (1).

II. Quid dicendum de methodo analytico-syntheticâ?

137. Methodus analytico-synthetica seu psychologico-rationalis est cæteris excellentior, solaque admitti potest in scientiis philosophicis; undè, sit

PROPOSITIO.

Methodus analytico-synthetica est vera.

Probatur. — Illa methodus est vera, quæ naturæ hominis et naturæ ipsius scientiæ aptatur; atqui, talis est methodus analytico-synthetica.

Primò, *ex naturâ hominis :* homo sensibus et ratione utitur in scientiis comparandis; ità tamen ut cognitio incipiat a sensu et perficiatur ab intellectu. Sed analysis, quæ est prima pars methodi *analytico*-syntheticæ, suppo-

(1) Ad methodum analytico-syntheticam referri possunt ea quæ scripsit C. Sanseverino de Methodo psychologico-rationali (vide *Compendium, Methodologia*) : « Secundum hanc methodum, ait, mens nostra cognitionem scientificam alicujus rei adipiscitur hoc modo : Primo singularia illius speciei, ad quam res quæsita pertinet, sensibus apprehendit, ac memoriâ retinet; atque ità sibi comparat cognitionem *sensitivam*, quæ *experientiam* constituit. Deindè illud quod per experientiam cognovit, ope inductionis reddit universale, atque ità ad propositiones universales progreditur, quas tanquam principia demonstrationis adhibet. Denique ex his principiis ità comparatis conclusionem scientificam ope syllogismi deducit. »

nit auxilium sensûs externi et sensûs interni ; nam experientia fieri nequit sine perceptione rerum singularium. Synthesis verò, quæ est secunda pars methodi analytico-*syntheticæ*, nihil est nisi deductio, quæ vim et acumen rationis humanæ supponit.

Secundò, *ex naturâ scientiæ :* scientia est series conclusionum, quæ inferuntur ex principiis generalibus; undè, in scientiis duo inveniuntur, *majores* syllogismorum et *conclusiones*. Sed majores syllogismorum, v. gr. *leges naturæ sunt stabiles*, *omnis homo est mortalis*, comparantur inductione, videlicet analysi ; conclusiones verò inferuntur ope deductionis, id est synthesi. Ergò, methodus analytico-synthetica naturæ hominis et naturæ scientiæ aptatur, et idcircò est vera.

III. Utrum eadem methodo in discendo et docendo utendum est?

138. Controvertitur in scholis, utrùm eadem sit methodus docendi seu « *doctrinæ* » ac methodus discendi seu « *inventionis;* » quidam enim solam synthesim in docendo adhibendam esse putant; nonnulli verò synthesi et analysi utendum esse volunt, modò synthesis analysim præcedat ; alii tandem asserunt eadem methodo scientias esse tradendas, quâ inventæ sunt. Hæc sententia theoriæ divi Thomæ, de doctrinâ et inventione, consonat.

Juxtà sanctum doctorem, docere est « causare scientiam in alio, operatione rationis naturalis illius » (*Qq. disp. de Verit.*, q. XI; *De Magistro*, a. 1, c. 1). Undè, magister in docendo adjuvat evolutionem naturalem rationis discipuli ; sed, ratio discipuli iisdem principiis instructa est a naturâ, eademque viâ procedit ac ratio magistri; ergò, sive in discendo, sive in docendo, eadem methodo utendum est.

Aliundè, methodus inventionis et methodus doctrinæ differunt inter se ut ars et natura; methodus enim inventionis est naturalis, et methodus doctrinæ est artificiosa. Ars autem est imitatio naturæ; ergò, tùm in discendo, tùm in docendo, processus rationis idem esse debet.

IV. **Quid dicendum de methodo auctoritatis?**

139. Quidam philosophi rationem humanam imparem esse volunt sive ad scientiam addiscendam, sive ad scientiam aliis tradendam; idcircò, juxtà eos, auctoritas revelationis aut traditionis est solum medium, quo utendum sit in scientiis discendis aut docendis.

Auctoritas quidem non est despicienda in scientiis philosophicis; quùm autem philosophia sit scientia ex ratione, sola methodus auctoritatis admitti nequit in discendo, nec in docendo.

V. **Expone methodum sancti Thomæ.**

140. (* Sæculo tertio-decimo, sanctus Thomas Aristotelis methodum theologiæ divinisque Scripturis applicuit. Vastissimo pollens ingenio, cùm antiquitatis tùm ævi-medii scientiam peragravit, et omnibus divitiis a veteribus acquisitis uberrimè usus est; ideoque non syllogismum et deductionem solùm, sed etiam inductionis actus diversos excoluit.

Illi verò acumen ingenii magis profuit quam inductionis externa media. Tunc enim temporis recentiorum experientiæ pleræque deerant, et ipse sanctus Doctor synthesim latissimam, brevissimâ inductione præhabitâ, in operibus præstantissimis, videlicet in *Summâ contrà gentes et in Summâ theologicâ*, semper adhibuit. Hanc assertionem exemplo confirmare necessarium videtur.

Media certitudinis ordinaria, quibus utitur S. Thomas, ista sunt : phænomena sensibus obvia, motus, effectus, ordo, rerum

gubernatio; philosophorum, sanctorum Patrum et sacræ Scripturæ auctoritas; sensûs interni et intellectûs operationes, abstractio, judicium et ratiocinium.

In *ordinatione mediorum*, prioritatem temporis sensibus concedit : « Cognitio intellectiva, inquit, aliquo modo a sensitivâ primordium sumit. » Sed, phænomenis expertis, ad rationes ultimas ascendit immediatè; deindè ad creaturas descendit (1). Sic methodicè procedit : in singulis quæstionibus, propositâ dubitandi ratione sub his verbis *videtur quod non*, ad solutionem affert auctoritatis argumentum, et post has voces, *respondeo dicendum*, directè positionem evolvit et defendit; postremò respondet objectionibus et dubitandi motivis. *)

CAPUT QUARTUM.

DE SCIENTIA.

I. Quomodo dividitur caput quartum, de scientiâ?

141. Scientiæ adeptio est *finis* methodi, ut dictum est suprà (n. 129); undè, caput quartum, *de scientiâ*, logicè tractandum est post caput tertium, *de Methodo*. Ea verò quæ spectant ad scientiam, tribus articulis absolvi possunt : 1^us^ de *naturâ* scientiæ; 2^us^ de *divisione* scientiarum; 3^us^ de *ordinatione* scientiarum.

(1) Ità potissimum in *Summâ theologicâ;* immediatè « Deum esse » demonstrat « e rebus creatis; » posteà, de processu creaturæ a Deo, seu de creatione disserit; deindè tractat de reditu creaturæ ad Deum, ubi de fine ultimo; et tandem, de actibus hominis ad finem attingendum et de auxiliis, quorum indigemus, loquitur.

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ scientiæ.

II. Quid est scientia?

142. *Scire* significat intuitu intellectûs et quasi *intùs* veritatem videre; undè, scientia est *series*, seu potiùs *systema cognitionum paucis innixum principiis*, *et per demonstrationes comparatum.*

Scientia igitur differt ab arte; ars enim non est systema *cognitionum*, sed complexio *regularum;* et insuper, non habet verum ut objectum immediatum, sed pulchrum opere exprimendum, et definiri potest : *Expressio pulchri*, *præfinitas juxtà regulas.* Hanc differentiam sic exposuit sanctus Thomas : « Scientia versatur circà necessaria; ars circà contingentia, scilicet factibilia, quæ in exteriori materiâ constituuntur, ut domus, cultellus et hujusmodi. » (*Sum. Theol.*, 2ª 2æ, q. 47, a. 5.)

Ex hac definitione, tria inferre licet. Primò, scientia propriè dicta non est tantùm cognitio una et particularis; sed series et systema cognitionum. Secundò, scientia differt ab opinione; nam in opinione, ut advertit sanctus Thomas (*Sum. Theol.*, p. I, q. 79, a. 9, ad 4um), intellectus non habet certitudinem, sed « fertur in unam partem contradictionis, cum formidine alterius; » scientia autem est cognitio certa et evidens. Tertiò, scientia, strictè sumpta differt a fide tùm humanâ tùm divinâ; in scientiâ enim adhæremus veritati propter *evidentiam* ipsius rei; in fide autem adhæremus veritati propter *testimonium* Dei aut hominum.

III. Utrum in omnibus scientiis eadem certitudo requiritur?

143. Scientia est cognitio certa et evidens; attamen eadem certitudo non requiritur in omnibus scientiis. Certitudo enim cujuslibet scientiæ pendet ab objecto illius. Sed, objectum quarumdam scientiarum, nempè physicarum, est aliquid contingens et mutabile; objectum autem quarumdam scientiarum, nempè metephysicarum, est aliquid necessarium et immutabile. Undè, certitudo, non potest esse eadem in omnibus scientiis.

Sanctus Thomas (*I Ethic.*, lect. 3) hanc differentiam explicat exemplo; scilicet: quemadmodùm artifex « operatur in materiâ secundùm modum ei convenientem, aliter quidem ex terrâ, aliter ex luto, aliter ex ferro; » ità « ad hominem benè disciplinatum, id est benè instructum pertinet, ut *tantùm certitudinis* quærat in unaquaque materiâ, quantùm *natura rei* patitur. »

IV. Quæ est scientia perfecta?

144. Scientia propriè dicta et perfecta ea est, quæ causam rerum aut rationem sufficientem exhibet. Scientia enim perfecta est illa, quæ mentis desiderium plenè satiat; mens autem causas rerum scire desiderat; scientia igitur perfecta ea est, quæ causas rerum exhibet.

Aliundè, scientia perfecta esse nequit sine cognitione perfectâ; sed, cognitio perfecta esse non potest, quin ultima rei cognitæ principia et rationes sufficientes agnoscantur; ergò, scientiæ perfectio requirit notitiam causarum et principiorum, quibus res producuntur aut in se constituuntur.

Positivismus igitur seu systema eorum, qui ultima rerum principia extrà scientiam ablegant, non est scientia propriè dicta et perfecta.

V. Utrum omnes scientiæ eadem methodo tractari debent?

145. Quidam philosophi docuerunt omnes scientas eadem methodo esse tractandas; sed opinio hujusmodi est falsa. Scientiæ enim, ut infrà videbitur, omninò discrepant ratione objecti; ex. gr. in scientiis physicis, objectum est concretum et materiale; in scientiis autem metaphysicis, objectum transcendit omnem ordinem materialem. Sed, objectum materiale solâ experientiâ cognosci potest; objectum verò immateriale nonnisi per abstractionem et ratiocinium innotescit; ergò; scientiæ non eadem ratione, nec eadem methodo tractandæ sunt.

Undè, unaquæque scientia, « in suo *ambitu*, » propriis principiis et « *propriâ methodo* » uti debet (Concil. Vatic.); id tamen sedulò caveat, ne errores in se suscipiat, aut ea, quæ sunt aliarum scientiarum, « occupet et perturbet. »

ARTICULUS SECUNDUS.

De divisione scientiarum.

I. Loquere de præcipuis scientiarum divisionibus, apud recentiores.

146. Præcipuæ scientiarum divisiones apud hodiernos illæ sunt, quæ inveniuntur in operibus F. Baconis, J. Ampère et A. Comte.

1°, Baco (*De Augmentis scientiarum*) omnes scientias ad tres mentis facultates retulit, scilicet ad *imaginationem*, *memoriam* et *rationem*. Ad imaginationem refertur *poesis;* ad memoriam respicit *historia* tùm *civilis*, tùm *naturalis;* ad rationem spectant scientiæ propriè dictæ, quæ sunt *philosophia* et *theologia*.

2°, J. Ampère scientias dividit, ratione objecti materialiter sumpti, in *materiales* seu « *cosmologicas* » et *spirituales* seu « *noologicas.* » Scientiæ cosmologicæ *propriè dictæ* sunt *mathematicæ* vel *physicæ;* scientiæ verò cosmologicæ *impropriè dictæ* seu *physiologicæ* complectuntur scientias *naturales* et *medicinam.* Prætereà scientiæ noologicæ *propriè dictæ* dividuntur in *philosophicas* et *dialegmaticas*, ex quibus pendent *litteræ* et *artes;* scientiæ autem noologicæ *impròpriè dictæ sociologiam*, *historiam* et *politicam* complectuntur.

3°, A. Comte et positivistæ ferè omnes dividunt scientias in *mathematicam*, *astronomiam*, *physicam*, *chimicam*, *biologiam* et *sociologiam.*

II. Quid sentiendum de istis scientiarum divisionibus?

147. Rejicienda est divisio quæ a Bacone proponitur; scientiæ enim non distinguuntur ex facultatibus animæ, sed ex objectis propriis. Et verò, scientia est cognitio; sed, cognitiones diversæ sunt, prout versantur circà res seu objecta diversa; ergò, scientiæ distingui debent ex objectis propriis.

Item, rejicienda est divisio quam propugnat J. Ampère; scientiarum enim distinctio non repetenda est ab objecto *materialiter* sumpto, seu quatenùs in se est, quià scientiæ diversæ habere possunt unum et idem objectum materiale; v. gr. *homo* est objectum psychologiæ, physiologiæ, medicinæ et anatomiæ. Sed scientiarum divisio repetitur ab objecto *formaliter* sumpto, seu quatenùs habetur sub tali talive respectu; v. gr. psychologia non est scientia de organis materialibus hominis, sed de principiis intrinsecis operationum nostrarum; cosmologia compositionem physicam corporum non investigat, sed

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

speculatur principia primigenia, quibus omne corpus coalescit (Cf. S. Thom., I *Poster. Anal.*, lect. 1).

Aliundè, rejicienda est divisio quæ traditur a positivistis; nam, in istâ divisione, scientiæ philosophicæ et theologicæ, videlicet omnium scientiarum nobiliores et præstantiores omittuntur.

III. Quomodo scientiæ dividi possunt?

148. Ex dictis, omnes scientiæ dividi possunt in duplicem ordinem, id est in *naturales* et *divinas;* objectum enim cognitionum nostrarum sub duplici respectu considerari potest, vel quatenùs est *ratione comparatum*, *vel quatenùs a Deo revelatum* (1). Sed

PROPOSITIO

Scientiæ quæ naturali rationis lumine comparari possunt, dividuntur in quinque genera, videlicet in physicas, mathesim, metaphysicas, logicam et moralem.

Probatur. — Scientiæ distinguuntur ab objecto formali; sed, objectum scientiarum, attentis abstractionis gradibus, sub quintuplici aspectu considerari potest. Primò, corpora in genere spectantur quatenùs sunt *materialia* et *sensibilia;* et illud est objectum scientiarum *physicarum*. Secundò, per abstractionem, *quantitas* separatur a cæteris corporum proprietatibus et sigillatim in-

(1) Ecce verba Concilii Vaticani : « Hoc quoque perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et tenet, *duplicem esse ordinem cognitionis*, non solùm principio, sed *objecto* etiam distinctum : principio quidem, quià in altero *naturali ratione*, in altero *fide divinâ cognoscimus; objecto* autem, quià præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitùs, innotescere non possunt. »

spicitur; atque illud est objectum *mathesis*. Tertiò, mens omnem ordinem materialem et experimentalem transcendit, *altissimasque notiones* substantiæ, causæ, spiritûs, animæ, Dei, *directè* speculatur; et illud est objectum *metaphysicæ*. Quartò, notiones hujusmodi jam non directè, sed *reflexè* seu in ordine ad facultates nostras inspicimus, et hoc duplici modo, scilicet in ordine ad *intellectum* et in ordine ad *voluntatem;* porrò, illud est objectum *logicæ* et *moralis*. Optima est igitur scientiarum divisio in physicas, mathesim, metaphysicas, logicam et moralem.

Notandum est scientias physicas et mathematicas experientiâ potissimum addisci; undè, vocari solent *experimentales*. Metaphysica, logica et moralis vi et acumine rationis præsertim innotescunt; et idcircò *philosophicæ* dicuntur. Ergò, scientiæ omnes sunt *experimentales*, *philosophicæ* aut *theologicæ*.

(* Obj. Ea scientiarum divisio non est adæquata, ad quam omnes scientiæ revocari non possunt; atqui, omnes scientiæ non ordinantur sub quinque generibus enumeratis; ergò, scientiæ non dividuntur in quinque genera.

Resp. *Concedo majorem. Nego minorem*. Omnes enim scientiæ, vel sunt physicæ, id est comparantur experientiâ sensibili rerum materialium; vel sunt mathematicæ, id est comparantur figurarum et numerorum inspectione; vel sunt metaphysicæ, id est conflantur e notionibus ab omni materiâ ex se distinctis aut abstractione separatis; vel sunt logicæ, id est intellectum dirigunt ad verum; vel sunt morales, id est voluntatem dirigunt ad bonum. Ex. gr. sociologia recentiorum nihil est nisi pars Ethicæ seu moralis. *)

ARTICULUS TERTIUS.

De ordinatione scientiarum.

I. Quid dicendum de ordinatione scientiarum?

149. Alibi dictum est de excellentiâ philosophiæ (n. 4); de *ordinatione* verò, id est de « subordinatione » et « coordinatione » scientiarum quatuor dicenda sunt in articulo præsenti. Primò, quoad *originem*, ordo philosophicus aliquod exordium sumit ab ordine empirico seu experimentali. Secundò, ordo philosophicus *in se* sumptus complectitur veritates *morales*, *physicas* et *metaphysicas*. Tertiò, phisosophia nequaquam theologiæ contradicit; et etiam, ordo philosophicus tendit ad ordinem divinum ut ad *apicem*. Quartò, tres scientiarum ordines, empiricus, philosophicus et divinus non opponuntur inter se, sed mirâ sociantur *harmoniâ*.

Eapropter quidam idealistæ falsa propugnant de philophiæ exordio; positivistæ et materialistæ, qui rejiciunt veritates mataphysicas, ordinem philosophicum diruunt; rationalistæ verò et naturalistæ perperam asserunt ordinem divinum esse scientiis naturalibus et philosophicis oppositum.

II. Quomodo philosophia exordium sumit ab ordine empirico?

150. Juxtà quosdam idealistas, veritates saltem absolutæ innotescunt a priori, sine ullo experientiæ auxilio; scholastici autem unâ voce docent, post sanctum Thomam (*Sum. Theolog.*, p. I, q. 85, a. 3), omnem cognitionem, et proindè omnem scientiam « aliquo modo »

a sensibus, et ideò ab experientiâ « *primordium* » sumere.

Probatur. — Notiones universales seu universalia sunt objectum philosophiæ. Quùm autem notiones universales sint abstractæ, præsupponunt cognitiones singulares per sensum acceptas; nam universalium abstractio non fit nisi e rebus individuis et singularibus. Undè, ut ait sanctus Thomas (*Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 3), « quia sensus est *singularium*, intellectus autem *universalium*, necesse est quod cognitio *singularium*, quoad nos, *prior sit* quam *universalium* cognitio. » Sed, cognitio singularium, per sensum accepta, est experimentalis; ergò, philosophia primordium aliquatenùs habet ab ordine empirico.

Aliundè, principia logica, respectu aliorum judiciorum, sunt a priori, metaphysica et absoluta; sed ideæ generales quibus conflantur hujusmodi principia, comparantur etiam abstractione, ope sensuum et experientiæ. Sic juxtà sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, 1ª 2æ, q. 51, a. 1), « *statim* cognito quid est *totum* et quid est *pars*, » immediatè ac necessariò judicamus « quod *omne totum est majus suâ parte;* » sed non possumus cognoscere « quid sit *totum* et quid sit *pars*, » sine sensationis auxilio. Undè, prima principia scientiarum, proindè ipsa philosophia exordium aliquo modo sumit ab ordine empirico.

III. Quotuplex genus cognitionum ordo philosophicus complectitur?

151. Quidam recentiores, ducibus Laplace et Lacroix, testimonium hominum et veritates *morales* rejiciunt; alii autem veritates physicas veritatibus absolutis æquales esse putant; nonnulli verò contendunt principia scientia-

rum, majores syllogismorum, omnesque veritates me-taphysicas esse aliquid subjectivum et « *relativum.* » Sed contrà, sit sequens

PROPOSITIO.

Ordo philosophicus complectitur veritates morales, physicas et metaphysicas.

Probatur per partes. — Primò; *veritas moralis* ea est, quæ legum moralium stabilitate nititur; ut si dicas : *Homines virtutem diligunt;* atqui, Petrus est homo; ergò, *Petrus virtutem diligit.* Leges morales pendent a liberâ hominum voluntate, quæ errori et pravitati est obnoxia; ideoque non sunt absolutæ nec immutabiles. Verumtamen leges hujusmodi sunt universales et stabiles; commercium enim cum aliis, sensus moralis, familia, societas et religio competunt naturæ humanæ; atqui, supponunt leges generales; ergò, leges generales in ordine morali existunt. Major, si paucos excipias philosophos, admittitur. Probatur minor : commercium cum aliis requirit probitatem hominibus ingenitam, officia juraque fidem rectam et veritatis amorem; sensus moralis postulat vitii, rapinæ, mendacii, falsi testimonii, injuriæ, sceleris, omnium criminum horrorem; familia, societas et religio auctoritatem, legum complexionem, dominium aliquod supremum, deprecationem in angustiis, in prosperis laudes et jubilationem, cultum atque pia filiorum vota necessariò supponunt, legibusque moralibus innatis et universalibus innituntur. Ergò, existunt leges generales in ordine morali.

Ex his legibus seu principiis, duo sunt præcipua, quibus *populorum consensus* et *testimonium hominum* innituntur; nempè :

Primum principium : Genus humanum, circà veritates aliquas morales, universales, ad vitam componendam necessarias, in errorem invincibilem versari nequit.

Genus humanum, id est *universalitas* non *absoluta*, sed *maxima pars* hominum omnium gentium omniumque temporum, circà veritates aliquas morales, universales, ad vitam componendam necessarias, ut sequentes : *Existit Ens Supremum; Numini solvendus est cultus; virtus mercedem, et vitium pœnam accipiet; alteri ne feceris quod tibi fieri non vis; non est furandum, nec occidendum;* in errorem *invincibilem* versari nequit; illas enim veritates omnium interesse constat, pravis hominum cupiditatibus adversantur, nec ab errore communi sumunt originem.

Secundum principium : Amor veri congenitus est hominibus, et valor testimonii naturâ fundatur humanâ (1).

Qui tale principium negare vellet, sæculorum historiam, factorum etiam coævorum, et hominum existentiæ certitudinem dirueret; ergò, testes nec *decepti*, nec *de-*

(1) Thomas Reid de naturali veritatis amore peregregiè scripsit : « Le sage et bienfaisant auteur de la nature..... a placé en nous un penchant naturel à dire la vérité, et à nous servir, dans le langage, des signes qui interprètent le plus fidèlement nos sentiments. Ce principe agit puissamment, même chez les plus grands menteurs; car, pour une fois qu'ils mentent, ils disent cent fois la vérité. Le vrai est toujours ce qui se présente d'abord à l'esprit, c'est notre nature de le dire; pour être vrai, il ne faut ni art, ni instruction, ni tentation, ni motif; il suffit de ne point résister au penchant de notre constitution; mentir, au contraire, c'est faire violence à notre nature, et même chez les gens les plus dépravés, c'est un acte qui a besoin d'un motif; on dit vrai comme on mange du pain, par appétit et sans aucun dessein particulier; on ment comme on prend une médecine, pour un but particulier et qu'on ne peut atteindre qu'à cette condition. » Thom. Reid, *Recherches sur l'entendement humain*, c. VI, sect. 24.

ceptores, certitudinem conferre possunt aliis hominibus, ut infrà videbitur.

Secundò, *Veritas physica* ea est, quæ nititur stabilitate legum naturæ; ex. gr. *omnes homines sunt mortales; mortuus non resurgit; panis sedat famem; aqua sitim extinguit.* Sed, ut dictum est suprà (n. 125), etsi leges naturæ non sint immutabiles nec absolutæ, meritò tamen dicuntur stabiles, et ex eò quod omnes homines sunt mortales, jurè infertur hunc aut illum hominem esse mortalem. Ergò, philosophia complectitur veritates physicas.

Tertiò, *Veritas metaphysica* ea est, quæ fundamentum habet in ipsâ rerum essentiâ; nititur legibus seu principiis absolutis ac immutabilibus, et nullam exceptionem admittit; ut si dicas : *Nihil est sine ratione sufficiente; totum est majus suâ parte; duo et duo dant quatuor.* Sed principia hujusmodi absoluta existunt in ordine metaphysico, ut dictum est alibi (n. 117), et ex eò quod non est effectus sine causâ, necesse est ut hic et ille effectus causam habeat. Ergò, philosophia complectitur veritates metaphysicas. Aliundè, complectitur veritates physicas et morales; ergò, stat propositio.

Hic duo notanda sunt. Primò, ratione perfectionis, veritas metaphysica excellentior est veritate physicâ, et veritas physica excellentior est veritate morali. Nam, ex dictis, veritas metaphysica fundatur in ipsâ rerum essentiâ et nullam exceptionem patitur; ità ut nec a voluntate Dei, nec a voluntate hominis pendeat. Veritas autem physica pendet a voluntate Dei, sed non a voluntate hominis; et idcirco Deus solus legibus naturæ derogare potest. Sed veritas moralis pendet a liberâ hominum voluntate, quæ, quùm sit imbecillis, sæpè fallitur.

Secundò, ex tribus philosophiæ partibus, ea quæ dicitur metaphysica excellentior est logicâ et morali; me-

taphysica enim disserit de objecto scientiarum præstantissimo, nempè de notionibus rerum universalissimis, necnon de Deo, animâ et mundo. Metaphysica tamen est scientia *speculativa;* id est, sistitur in contemplatione rerum, de quibus disserit; logica verò et moralis sunt scientiæ *practicæ;* una quidem ex eis intellectum dirigit ad verum, et altera voluntatem dirigit ad bonum. Undè, relativè ad perfectionem intellectûs, logica præstat scientiis aliis; relativè ad perfectionem voluntatis, moralis est cæteris scientiis excellentior (1).

IV. **Quomodo philosophia tendit ad ordinem divinum?**

(* 152. Rationalistæ et naturalistæ miraculum seu notam « decretoriam » revelationis, et exindè omnem manifestationem a Deo factam hominibus præter ordinem naturæ consuetum, omnem veritatem captum humanum superantem, id est omnia mysteria rejiciunt (2).

(1) (* Nota : Juxtà veteres scholasticos, præter veritatem metaphysicam et veritatem physicam seu *hypotheticè* metaphysicam, quæ dicuntur veritas « *in essendo,* » et præter veritatem *moralem,* quæ nuncupatur veritas « *in significando,* » est etiam veritas logica seu « in *cognoscendo,* » ut aiunt; sed veritas hujusmodi est *subjectiva* et nihil designat, nisi conformitatem judicii cum re judicatâ. Undè, veritas *objectivè* sumpta, nempè quatenùs est objectum scientiæ, rectè dividitur in metaphysicam, physicum et moralem. *)

(2) « (D'après ce système) on se suffit, et possédant en soi son principe, sa loi et sa fin, on est son monde, et on devient à peu près son dieu. Et s'il est par trop manifeste que l'individu pris comme tel, est indigent sur beaucoup de points, et insuffisant pour beaucoup de choses, néanmoins pour se compléter, il n'a pas à sortir de son ordre; il trouve dans l'humanité, dans la collectivité, ce qui lui manque personnellement. Là est le fondement de la doctrine révolutionnaire de la souveraineté de l'homme, incarnée dans la souveraineté du peuple. En somme, la nature est le vrai et l'unique trésor, et c'est assez pour nous d'y puiser. » DD. Pie, *Instruct. Synod.*

Historiam hujusce portenti venerabiles patres Concilii Vaticani, duce Summo Pontifice, mirum in modum delineavere. Juxtà eos, *Naturalismus* originem ducit a Protestantismo, qui, Concilii Tridentini auctoritate contemptâ spretisque decretis, rejecto divino Ecclesiæ magisterio, « res ad religionem spectantes *privati* cujusvis judicio » submisit. Deindè verò, « ipsa sacra Biblia, quæ anteà christianæ doctrinæ unicus fons et judex asserebantur, jam non pro divinis haberi, imò *mythicis* commentis accenseri cœperunt. »

Tùm natus est et per orbem vagatus latè nimis Kantii, Sophistices, Eclectismi multorumque Rationalismus, qui religionem supernaturalem a mentibus humanis, a vitâ et moribus populorum excludere molitur. E rationalismi verò doctrinâ quotidiè nascuntur et in sectas multiplices dissolvuntur impia nefandaque systemata, « Positivismus, Determinismus, Altruismus, » Pantheismus, Materialismus, Atheismus aliaque similia. Luthero Voltarius, et Voltario successit Hegelius.

Adversùs omnes istos Rationalistas et naturalistas, Theologia possibilitatem, utilitatem et existentiam Revelationis demonstrat. Possibilis est Revelatio, ait theologus, quia non repugnat ex parte *auctoris, objecti, modi* et *subjecti;* utilis est ad hominum mores instruendos, et de facto tandem existit.

In Logicâ autem tria tantùm ex dictis inferre debemus : I. *Subjectum* cogitans non est *infinitum.* Hæc illatio deducitur ex primâ parte; intellectus enim est primariò tantùm in potentiâ respectu veritatis; sensatione receptâ, transit ad actum et variis operationibus, propriâ quidem virtute, *veritatem,* cujus *fundamentum* inest rebus singularibus, attingit; arctis verò stringitur limitibus et multa sine peculiari beneficio Revelationis, non solùm in ordine divino, sed etiam in ordine naturali, cognoscere nequit.

II. *Objectum* cogitatum, id est veritas dici debet *infinita, necessaria, absoluta.* Hæc illatio infertur ex dictis in secundâ parte, de principiis et axiomatibus; veritas scilicet non pendet a subjecto cogitante, et prima principia Logicæ, a fortiori primum principium in ordine reali est *Absolutum* et *Infinitum, Causa* necessaria et *Ens* simpliciter.

III. Ergò, *possibilis* est ordo divinus, quia multæ veritates captum hominis superant et eas Deus homini revelare potest. Undè philosophia, sumens originem ab ordine empirico, tendit ad ordinem divinum, ut ad apicem. *).

V. Loquere de mirâ scientiarum harmoniâ.

(* 153. Juxtà rationalistas, revelatio est rejicienda, eò quod philosophiæ contradicit; positivistæ autem asserunt metaphysicam explorari non posse, nullamque relationem existere inter ordinem empiricum et ordinem philosophicum. Sed contrà, sit sequens

PROPOSITIO.

Scientiæ triplicis ordinis, empirici, philosophici et divini, mirâ sociantur harmoniâ ratione originis, dignitatis et unitatis.

A. *Tres ordines mirè sociantur ratione originis.*

In evolutione naturali, mens humana rebus sensibilibus atque scientiis empiricis primam attentionem et prima studia largitur; deindè rationes rerum et causas ultimas investigans ac sollicitè prosequens, philosophiam assequitur et rationi postulat solutiones problematum, quibus soli sensus et experientia dirimendis impares sunt. Et reverà, philosophus non paucas veritates acie mentis innatâ comparat et evolvit; sæpiùs autem, inani labore consumptus et fallaciis aliorum deceptus, anceps dubio hæret, ac rationem in multis imbellem esse judicat. Illicò, veritatis amore succensus, ad lumen supernaturale sublevat oculos, et ibi non tantùm solutiones quæsitas inveniens, sed etiam arcana, quæ solâ Revelatione cognosci possunt, detegens, in contemplatione securâ quiescit. Ordo igitur empiricus est veluti scabellum omnis philosophiæ; deinceps philosophia demonstrat theologiæ fundamenta; theologia verò, philosophiam illustrans, eam ab erroribus liberat aut tuetur; et ità scientiæ sibimetipsis opem mutuam ferunt. Physiologia, v. gr., sensuum organa, proprietates et phænomena sensationis psychologiæ suppeditat;

scientiæ physicæ, leges orbis physici et corporum naturam inspicientes, cosmologiæ pandunt iter; philosophia verò scientiis experimentalibus principia, demonstrationes et causas rerum ultimas subjungit.

B. *Scientiæ triplicis ordinis mirè sociantur ratione dignitatis.*

Error est mera negatio, et scientia dici nequit; nullum jus possidet ac legitimâ potestate coerceri debet. Econtrà, veritas constituit objectum omnium scientiarum cujuslibet ordinis, sive naturalis, sive divini; undè, scientiarum dignitas a *veritate* potissimùm habetur.

Veritas autem semper et ubiquè, cùm in parvis, tùm in magnis, in sideribus et in insectis, in atomorum compositione non minùs quam in architecturâ cœlorum, maximâ dignitate pollet et mirantibus affulget oculis; nec ibi nec alibi verum vero contradicere potest. Idcircò scientiæ triplicis ordinis, empirici, philosophici et divini sociari debent inter se, nec ulla dissensio inter ipsas inveniri potest.

Attamen, quùm fides rationem et ratio experientiam superent, philosophia scientias empiricas, et theologia philosophiam dignitate præcellunt, in aliis enim altiora quam in alteris conspiciuntur. Ordo empiricus ea solùm attingit, quæ limites experientiæ non excedunt; sed philosophia rationes rerum ultimas, in quantùm naturali lumine cognosci possunt, investigat; theologia verò divinâ revelatione fulcitur; et mysteria, captum humanum superantia, scientiamque supernaturalem, adjuvante gratiâ Spiritûs Sancti, aliquatenùs cognoscit et excolit (Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 1, a. 5).

C. *Scientiæ triplicis ordinis mirè sociantur ratione unitatis.*

Scientiæ quidem objecto formali, dignitate necnon et excellentiâ distinguuntur; sed omnes in uno recipiuntur *subjecto*, mente scilicet humanâ; tendunt ad eumdem finem ultimum, et mutuam opem sibi ferunt; omnes in Deo, tanquam in fonte communi et primario rerum Principio, sumunt originem; iisdem axiomatibus logicis innituntur; e rebus creatis et contingentibus exordientes, ad Absolutum, Increatum, Infinitum gradatim ascendunt, secundum illa Vaticani Concilii verba : « Eadem

sancta mater Ecclesia tenet et docet, *Deum*, rerum omnium *principium* et *finem*, naturali humanæ rationis lumine *e rebus creatis* certò cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur. »

Ergò, scientiæ triplicis ordinis mirè sociantur ratione unitatis; aliundè, sociantur ratione originis et dignitatis. Stat igitur propositio.

Ex dictis, neminem fugit quantò *Encyclopedia* christiana præstet scientiis positivistarum et rationalistarum. *)

TERTIA PARS LOGICÆ

SEU

CRITICA.

I. Quomodo critica dividi potest?

154. In primâ parte, dictum est de *ordine* quem intellectus ponit in suis *actibus*, ut scientiam comparare possit; in secundâ parte, dictum est de *naturâ* ipsius *scientiæ*. Nunc verò dicendum est de *mediis* quibus utimur, ut ignorantiam et dubium excutere, scientiamque seu cognitionem *certam* et *evidentem* acquirere possimus. Circà præsentem quæstionem, quatuor recenseri oportet; nempè : intellectus firmiter *adhæret* veritati clarè ac evidenter perceptæ, et adhæsio illa est *certitudo;* motivum seu medium ultimum, propter quod adhæremus veritati, est *criterium universale* certitudinis; cætera verò criteria dicuntur *particularia; revelatio divina* potest esse unum ex his motivis particularibus, et idcircò mira est fidei et rationis *analogia*. Undè, tertia pars Logicæ dividi potest in quatuor capita : I, *De certitudine;* II, *De criterio certitudinis universali;* III, *De criteriis certitudinis particularibus;* IV, *De Analogiâ fidei et rationis.*

CAPUT PRIMUM.

DE CERTITUDINE.

II. Quomodo dividi potest caput primum, de certitudine?

155. Priusquam tractetur de mediis seu criteriis certitudinis, dicendum est utrùm ipsa certitudo reapsè comparari possit. Porrò nonnulli contendunt hominem ad veritatem pervenire non posse; et hi sunt *sceptici*, e verbo σκέπτομαι, *consulere*, *quærere;* alii verò, qui appellantur *dogmatici*, certitudinem judiciorum nostrorum admittunt. Reverà, si judicium est conforme rei judicatæ, certitudo existit et habetur *veritas logica* seu « *in cognoscendo*, » ut aiunt scholastici; sed fieri potest ut judicium non sit conforme rei judicatæ, eò quod plures sunt *causæ* seu *fontes erroris* in statu præsenti. Undè, caput primum, de certitudine, dividi potest in tres articulos : 1^us^ erit de *scepticismo;* 2^us^ de *certitudine;* 3^us^ de *fontibus* erroris.

ARTICULUS PRIMUS.

De scepticismo.

I. Quid est scepticismus?

156. Scepticismus est systema eorum, qui putant *veritatem certò cognosci non posse.* Id est, media quibus utimur in investigatione veritatis, nullis aut non firmis fundamentis nituntur, juxtà scepticos, ità ut mens nostra non possit adherere veritati sinè errandi formidine; id-

circò, dubium vel negatio est lex absoluta rationis humanæ.

Notandum est dubitationem scepticorum esse distinctam a dubio methodico, de quo dictum est suprà (n. 131); dubium quidem methodicum est *fictitium*, et dubitatio scepticorum est *realis*. Aliundè, dubitatio methodica est *medium* quo utimur, ut veritatem tutiùs demonstrare possimus; dubium verò reale est *finis* quem scepticus sibi proponit in investigatione veritatis.

II. Quotuplex est scepticismus?

157. Scepticismus est duplex, *universalis* et *particularis*. Sceptici universales rejiciunt *omnia* certitudinis media, et proindè, juxta eos, *nulla* veritas certò cognosci potest; sceptici verò particulares *unum* aut *aliud* tantùm certitudinis medium impugnant, et de *quibusdam* veritatibus solummodò dubitandum esse putant.

Sceptici universales *Pyrrhonii* vocantur, a Pyrrhone, qui famam haud levem in hoc genere sophismatum adeptus est; sceptici verò particulares variis nominibus designari solent, prout unum aut alium certitudinis fontem rejiciunt. Ità, viguit et viget adhuc apud nos scepticismus *subjectivus*, quo realitas objectiva conceptuum nostrorum impugnatur; *empirismus*, qui perceptioni rationis, aut *idealismus*, qui perceptioni sensuum adversatur; *rationalismus*, qui auctoritatem revelationis, vel *fideismus*, qui vim rationis non admittit; scepticismus tandem *historicus*, quo testimonii hominum veracitas in dubium revocatur.

De scepticismo partiali sermo habetur in tertio capite, ubi criteriorum firmitas vindicatur; hìc igitur solummodò dicendum est de scepticismi universalis historiâ et falsitate.

III. Loquere de historiâ scepticismi universalis.

158. Scepticismus universalis est duplex, videlicet *absolutus* seu *pyrrhonicus* propriè dictus, et *mitigatus* qui dicitur etiam *academicus*.

Juxtà scepticismum absolutum, « *nihil* est quod *percipi* et *cognosci* possit; » imò, nihil *in se* est pulchrum, neque turpe, neque justum, neque injustum, neque verum, neque falsum. Patroni hujus systematis sunt præsertim Gorgias et Protagoras, Pyrrho, Timo, Ænesidemus et Sextus-Empiricus, apud Veteres; Bayle et Hume, sæculis proximè elapsis; ætate verò præsenti, quidam sophistæ et idealistæ, saltem in Germaniâ (Cf. Fichte).

Juxtà scepticismum mitigatum, mens humana plenam certitudinem comparare nequit; sed ad quamdam *probabilitatem* assurgere potest; eaque probabilitas sufficit, ut « sapientis vita » regatur (Tullius, *De naturâ Deorum*, I, 12). Viguit olim in Academiâ novâ et tertiâ, ducibus Arcesilao, Carneade, et ipso Cicerone, saltem probabilius (1); apud recentiores, Montaigne, Pascal et quidam alii eadem labe non fuerunt immunes.

Sed forma sceptismi præstantior, apud hodiernos, est *Criticismus* seu « subjectivismus transcendentalis, » ut aiunt; duplex est quoque, temperatus et rigidus. Omnes fautores criticismi, quorum parens est Kantius, unum admittunt: videlicèt, phænomena mentis interna, ut sunt conceptus nostri, in dubium revocari nequeunt. De realitate autem objectivâ conceptuum nostrorum inter se

(1) Eccè verba Tullii : « Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur : sed ii, qui *omnibus veris falsa quædam adjuncta* esse dicamus, tantâ similitudine, ut in iis *nulla* insit *certa judicandi et assentiendi nota*. Ex quo exstitit et illud, multa esse *probabilia* : quæ quanquam non perciperentur, tamen quia visum haberent quemdam insignem, et illustrem, his sapientis vita regeretur. » (*De naturâ Deorum*, I, 12.)

non consentiunt; alii, duce Kantio, veritates tantùm rationis puræ seu *speculativæ* dubias esse putant; alii verò, inter quos eminet Th. Jouffroy (1), veritates tùm rationis *speculativæ* tùm rationis *practicæ* dubias esse contendunt.

IV. Quid dicendum de scepticismo universali?

159. Scepticismus universalis, sivè sit absolutus et rigidus, sivè sit mitigatus seu temperatus, est intrinsecè absurdus et a naturâ invictè repellitur; undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Scepticismus universalis, quocumque modo propugnetur, est falsus.

Probatur. — Illud est falsum, imò intrinsecè absurdum, quod naturæ adversatur et contradictiones implicat; atqui, talis est scepticismus universalis; ergò, falsus est, imò intrinsecè absurdus. Major patet. Probatur minor per partes.

Scepticismus universalis *naturæ humanæ* adversatur; undè, dici solet « *naturaliter* » seu *physicè* impossibilis. Illud enim est physicè impossibile, quod innato deside-

(1) « L'esprit humain n'a jamais pu réfléchir sur lui-même, sans se demander si ce qui est vrai pour lui est vrai absolument et en soi... Ce que nous regardons comme la vérité, est-ce vraiment la vérité? Ce problème, l'esprit se le pose en vertu de ses lois. La raison, qui contrôle tout, se contrôle elle-même... Mais de ce que la raison élève ce *doute* sur elle-même, s'ensuit-il que la raison, qui peut l'élever, puisse le résoudre? *Nullement.* Le cercle vicieux serait évident; il suffit d'énoncer la question pour le prouver. Si la raison doute d'elle-même au point de sentir le besoin d'être contrôlée, elle ne peut se fier à elle-même quand elle exerce ce contrôle. Cela est si évident que ce serait faire injure au bon sens d'insister. » *Œuvres de Reid*, Préface.

rio et invictæ propensioni adversatur. Porrò, scepticismus universalis adversatur innato sciendi desiderio et invictæ propensioni, quâ homines assensum præbent rebus « perspicuis, » juxtà Tullium (*Acad.* I, l. II, c. XII). Ergò, scepticismus universalis est physicè impossibilis, ut ipse Pyrrho fatetur, dicens : « Difficile est naturam exuere (1). »

Contradictiones implicat scepticismus universalis; idcircò, dicitur *metaphysicè* seu *speculativè* impossibilis. Re quidem verâ, aut *falsum* est principium quo nititur scepticismus, nempe : *nihil certò cognosci potest;* aut principium illud est *verum*. Si priùs, aliquid certò cognoscitur; nam, falsum est *nihil certò cognosci posse*. Si posteriùs, aliquid iterùm certò cognoscitur; scilicet verum est *nihil certò cognosci posse*.

Notandum est tamen, post sanctum Thomam (IV *Metaphys.;* lect. VI), nullam disputationem institui posse cum sceptico absoluto. Nam, omnis disputatio logica incipere debet a principiis, quæ ut certa et indubia teneantur ab adversariis; porrò, scepticus absolutus de omnibus dubitat; undè, « superfluum » est « cum eo disputare (S. Thom., *Ibidem*). » His verbis solummodò argui potest. « Vel tu scis quod dicis, vel illud nescis. Si tu scis quod dicis; ergò, homo aliquid scire potest. Si nescis

(1) Cf. Lucret. IV, 475. In praxi non dubitant sceptici; nam ipse Pyrrho, quùm pollicitus esset equos et currus in viâ se deinceps non vitaturum, rabido cane occurrente, fugam arripuit, deinquè discipulis arguentibus et amicis respondit : « *Difficile est naturam exuere.* » Ad rem scripsit Pascal : « (L'homme) doutera-t-il de tout?... Doutera-t-il s'il doute? Doutera-t-il s'il est? On n'en peut venir là; et je mets en fait qu'il n'y a jamais eu de Pyrrhonien effectif parfait. *La nature* soutient la raison impuissante et l'empêche d'extravaguer jusqu'à ce point. » (*Pensées*, chap. IV, parag. 25.)

quod dicis; ergò, tacere debes, ne insanus ab omnibus habearis. »

Scepticismus academicus et criticismus, ut notandum est, propellunt ad scepticismum absolutum; eapropter, dictum est in propositione : scepticismus universalis, *quocumque modo propugnetur*, est falsus. Primò scepticismus academicus propellit ad scepticismum rigidum; etenim, si verum sit principium Carneadis : Nihil est certum, sed tantummodò *probabile;* verum est quoque principium Pyrrhonis : Nihil *certò* cognosci potest. Secundò, criticismus propellit ad scepticismum universalem; si enim verum sit Kantii principium : De *realitate objectivâ* conceptuum nostrorum *certitudinem* comparare nequimus; neganda est omnis relatio inter subjectum cogitans et veritatem cogitatam; undè, *nihil certò* cognosci potest.

V. Quomodo diluuntur scepticorum objecta?

(* 160. Prima objectio : scepticismus est remedium dogmatismi effrenati; ergò, prudens est et utilis (Cf. V. Cousin).

Rep. *Distinguo antecedens :* dubium *methodicum* seu fictitium est remedium dogmatismi effrenati, *concedo;* dubium reale, *scepticum* et universale, *nego;* error enim curari nequit pessimo omnium errore. Fatendum est scepticismum, ut advertit V. Cousin (*Hist. générale de la philos.*), causam esse cur philosophi sese cautiores exhibeant in investigatione veritatis, aut nonnulla problemata de certitudine objectivâ idearum nostrarum magis attentè discutiant; scepticismus tamen habetur ut error pessimus, eò quod est negatio omnium veritatum nulloque nititur principio, quo logicè confutari possit.

Secunda objectio : non est credendum ei, qui fallitur; atqui, ratio humana fallitur; ergò, non est credendum rationi humanæ (1).

(1) Cf. Bayle, *Diction.* « La raison n'est qu'une coureuse qui ne sait

Resp. *Distinguo majorem :* non est credendum ei qui fallitur *per se* et necessariò, *concedo;* qui fallitur *per accidens* et propter causam extrinsecam, *nego. Distinguo* quoque *minorem :* ratio humano fallitur *per se* et ex naturâ suâ, *nego; per accidens, concedo.* Reverà, quùm omnibus hominibus insit innatum sciendi desiderium, fieri nequit ut ratio sit per se et essentialiter errori obnoxia; secùs enim natura deficeret in necessariis. Sed, intellectus non fruitur intuitione veritatis, et scientiam comparare debet; undè, per accidens, causæ sibi extrinsecæ impedire possunt quominùs rectè et sanè judicet.

Objectio tertia : ratio fallitur per accidens ; ergò, in praxi, verum a falso secerni nequit, quià ratio semper falli potest per accidens.

Resp. *Concedo antecedens; nego consequens.* Sæpè enim nulla est causa erroris, et veritas adeò est evidens, ut ratio in dubium versari nequeat.

Objectio quarta : relatio esse debet inter objectum cogitationis et subjectum cogitans; sed, relatio hujusmodi non existit; undè, nihil eorum, quæ sunt extrà nos, certò cognosci potest (1).

Resp. *Distinguo majorem :* relatio *logica* requiritur inter objectum cogitationis et subjectum cogitans, *concedo;* relatio *realis, nego.* Ex. gr. ut conclusio, *Deus est prima omnium causa*, sit legitima, necesse est ut logicè defluat ex principio *non est effectus sinè causâ;* sed, non requiritur ut intellectus

où s'arrêter; nouvelle Pénélope, elle défait chaque jour ce qu'elle a fait la veille. » — « Pour juger des apparences que nous recevons des sujets il nous faudrait un instrument judicatoire; pour vérifier cet instrument, il nous y faut de la démonstration; pour vérifier la démonstration, un instrument : nous voilà au rouet... Aucune raison ne s'établira sans une autre raison; nous voilà à reculons jusqu'à l'infini. » (Montaigne, *Essais.*)

(1) Sic se habet Tullius (*Acad.* I. lib. II, 39) : « Modò hoc, modò illud probabilius videtur..... Nulla acies humani ingenii tanta (est), quæ penetrare in cœlum, terram intrare possit. »

Deum immediatè percipiat. *Distinguo* etiam *minorem*, et *nego consequens.*

Quinta objectio : universale, quod est scientiæ objectum, est conceptus rationis; sed, nihil certò cognosci potest de realitate conceptuum nostrorum: ergò, nihil certò cognosci potest de scientiæ objecto (Kantius, *Critique de la raison pure*) (1).

Resp. *Distinguo majorem :* universale est conceptus rationis cum *fundamento* in rebus individuis, *concedo;* secùs, *nego* (Cf. suprà, n. 114). *Nego minorem* et *consequens.* Et verò, Kantii scepticismus falso nititur fundamento, nempè *conceptualismo;* undè, rejiciendus est. Quòd fundamentum scepticismi Kantiani sit conceptualismus, sic probatur :

Ut faciliùs intelligatur Kantii systema, non obliviscendum est hunc philosophum sibimetipsi proposuisse sensualismum, qui tunc temporis Germaniam invaserat, fortiter impugnare, illoque semel everso, philosophiam moralem in *officio* repositam instituere. Idcircò, duæ sunt partes in kantianâ theoriâ, quarum una cognitiones rationis examini submittit, et altera tradit ethicæ regulas et fundamenta, scilicet *ratio pura* et *ratio practica.* Prima pars fusiùs exponitur in opere cui titulus, *Critica rationis puræ.*

Kantius distinguit cognitiones *objectivas* et *subjectivas*, iterumque dividit cognitiones subjectivas in syntheticas *a posteriori*, videlicet ab experientiâ, et in syntheticas *a priori*, scilicet independentes ab experientiâ, in quibus per anticipationem *prædicatum subjecto* conjungitur; de cognitionibus istis a priori præ cæteris agitur in *Criticâ rationis puræ.*

Illas cognitiones acquirimus, aut potiùs a priori possidemus

(1) « Nous ignorons complètement ce que peut être la nature des choses en soi, indépendamment de toute notre capacité (réceptivité). Nous ne connaissons que notre manière de les percevoir, qui est tout à fait notre esprit, et qui ne doit pas être nécessairement celles de de toutes les créatures intelligentes, quoique, à la vérité, elle soit celle de l'espèce humaine. (*Crit. de la raison pure*, 1re partie, sect. 2, § 8.)

ope trium animæ facultatum, *sensibilitatis*, *intellectûs* et *rationis;* elementa cognitionum præbent sensibilitas et intellectus; hæc elementa priùs elaborata ratio conjungit et perficit : Omnis cognitio *per sensum* incipit, ait Kantius; indè transit in *intellectum* et in *ratione* perficitur.

Sensibilitas est facultas passiva, id est, mera receptivitas, cujus auxilio mens humana rerum repræsentationes accipit; illius formæ nativæ seu visiones puræ sunt *spatium* et *tempus*. Intellectus autem non est mera receptivitas, sed potentia activa, quæ cognoscit objecta per sensibilitatem in mente repræsentata.

Huic facultati referuntur judicia, quæ dicuntur intellectûs *forma;* judiciorum verò *materia* celeberrimas categorias componit. Omnes categoriæ revocari possunt, ait Kantius, ad quatuor formas seu conceptus puros, *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem* et *modalitatem;* sed unusquisque conceptus in tres alios dividitur, undè *duodecim categoriæ*.

1. Quantitas;
Unitas,
Pluralitas,
Totalitas.

2. Qualitas;
Realitas,
Negatio,
Limitatio.

3. Relatio;
substantia et accidens,
causa et effectus,
actio mutua.

4. Modalitas;
possibilitas et impossibilitas,
existentia et non existentia,
necessitas et contingentia.

His facultatibus, sensibilitati scilicet ac intellectui, tertia tandem accedit ratio, quæ colligit elementa quasi sparsa et divisa; nativis operationibus tres attingit ideas absolutas et supremas, *psychologicam*, seu τὸ *ego*, *cosmologicam* seu *mundum*, *theologicam*, seu *Deum;* et ita ratio perficit opus humanarum cognitionum.

Omnes illæ cognitiones a priori, sinè experientiâ, formantur, et nativæ dici debent ac necessariæ; producuntur *naturali structurâ* mentis humanæ, ac ideò merè sunt *subjectivæ :* Tempus in se non est aliquid reale, bene verò sensibilitatis forma seu intuitionis conditio subjectiva. Idem est dicendum de conceptibus intellectûs, et de ideis ipsius rationis; nam probare nequimus utrum illis respondeat *objectiva realitas;* quinimò, rationis ideæ magis a realitate distant quam intuitiones intellectûs et categoriæ. Undè, theses et antitheses rationis puræ, id est, *antinomias* indiscriminatim cùm defendere, tùm impugnare possumus, et ità instituitur *paralogismus* rationis puræ, v. gr.

THESES :

Existunt in mundo substantiæ compositæ;
Existit rerum omnium causa necessaria;
Existit in homine libertas, etc.....

ANTITHESES :

Nulla reperitur in mundo substantia composita;
Non existit rerum causa necessaria;
Hominibus nequaquam inest libertas, etc.....

Talis est expositio metaphysicæ; dein, ut sensualismi consequentias morales impugnaret, Kantius exposuit suam ethicam in libro cui titulus, *Critica rationis practicæ.*

Ratio practica differt a ratione purâ; hæc est facultas *cognoscendi*, illa facultas *agendi*, seu potentia, cujus ope homo dirigitur in actibus suis. Vi rationis practicæ homo cognoscit necessitatem *officii*, necnon et obligationis implendæ; sed, ut officium implere possit, necesse est ut *libertate* gaudeat; qui verò liberè fungitur officio, *dignus* est aliquâ *mercede*, dùm econtrà qui munus suum contemnit, plectendus est *pœnâ;* porrò, nec virtus in vitâ præsenti sufficientem mercedem, nec *vitium* pœnam sortiuntur; ergò, necesse est ut *existat vita futura;* sed alterius vitæ necessitas requirit *existentiam Entis Supremi*, virtutum remuneratoris et vitiorum ultoris, id est, *Dei.* Ergò, ra-

tione practicâ homo cognoscit tùm *officii*, tùm animæ *libertatis et immortalitatis*, tum ipsius *Dei* necessitatem et existentiam.

Ex dictis, evidens est systema Kantii, de notionibus syntheticis a priori, esse merum conceptualismum. Sed, ut alibi dictum est, falsus est conceptualismus; undè corruit objectio Kantii. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De certitudine.

I. Quid est certitudo?

161. Certitudo, quæ dubio scepticorum opponitur, est *Firma mentis adhæsio veritati perceptæ.* Seu etiam, nomine certitudinis intelligitur *assensus* ille, quo *mens* firmiter adhæret *objecto* sibi proposito, propter *motivum* quod excludit omnem errandi formidinem.

Quinque enim esse possunt animæ *status* respectu veritatis : *Ignorantia*, *error*, *dubium*, *opinio* et *certitudo;* sed sola certitudo dicitur plena et perfecta possessio veritatis, sine ullo errandi metu (1).

Ignorantia est ille status, in quo mens nullam ideam habet de re ignotâ, et nullum judicium profert. Vel est de veritate quæ cognosci debet, et vocatur *privativa;* vel est tantùm de veritate cujus notitia non requiritur, et dici solet merè *negativa* seu *nescientia.*

(1) « La certitude, ait D. Gratry, est un état de l'âme, qui en exclue le doute. Cet état suppose la possession de la vérité. Il ne peut y avoir certitude de ce qui n'est pas vrai. La certitude d'une affirmation mixte mêlée d'erreur et de vérité, ne porte que sur la vérité renfermée dans l'affirmation. La certitude apparente, qui affirme le faux, n'est qu'un acte de volonté, exécuté malgré l'incertitude de l'esprit, malgré les réticences et les oppositions de la conscience. » (*Logique*, . I, c. II.)

Error est status, in quo judicium ab intellectu enuntiatum non est conforme rei judicatæ; ut si dicas, *circulus est quadratus*. Differt ab ignorantiâ; nam, in errore profertur judicium, et in ignorantiâ nullum judicium habetur.

Dubium est ille status, in quo intellectus veritatem non ignorat, sed eam clarè non percipit, et idcircò inter affirmationem et negationem anceps fluctuat. In eo statu, vel habentur motiva æqualia affirmandi et negandi, vel non habentur; si priùs, dubium est *positivum;* si posteriùs, dubium est *negativum*.

Opinio est status, in quo mens judicium profert, cum aliquâ tamen errandi formidine; seu, juxtà sanctum Thomam, est « adhæsio mentis uni cum formidine alterius (*Sum. Theol.*, 2ª 2æ, q. 2, a. 2). » Metus ille oritur ex eò quod supersunt aliqua dubitandi motiva.

Brevius : in *ignorantiâ*, mens nullam ideam habet de re ignotâ; in *errore*, judicium falsum profertur; in *dubio*, intellectus progreditur ad verum, jam ideam habet de objecto sibi proposito, sed nondùm judicat; in *opinione*, judicium enuntiatur cum quadam errandi formidine; in *certitudine* autem mens *firmiter adhæret veritati, sine ullo errandi metu*.

II. Quæ sunt species certitudinis?

162. Certitudo, inquantùm est assensus seu *actus mentis* veritati firmiter adhærentis, dicitur *subjectiva*. *Veritas* autem, quatenùs assensum hujusmodi rapere potest; seu, ut aiunt scholastici, « *aptitudo* veritatis ad extorquendum » mentis assensum, sinè ullâ errandi formidine, vocanda est *objectiva* (1).

(1) (* Nota : juxtà Kantium et quosdam recentiores, certitudo *subjec-*

Ratione *fundamenti* quo nititur mentis assensus, certitudo potest esse *metaphysica*, *physica* et *moralis*. Certitudo metaphysica nititur ipsâ rerum essentiâ, seu idearum intrinsecâ connexione; v. gr. *nequit idem esse simul et non esse*, *non datur effectus absque causâ*, *duo duoque dant quatuor*. In nullâ quidem hypothesi aliter ac est esse poterit, et nunquam patietur vel minimam exceptionem. Certitudo *physica* dici solet ea, quæ naturæ corporeæ legibus innititur; ex. gr. : *mortui non resurgunt*, *ignis adurit*, *fames pane sedatur*. Nisi legibus istis aliquod obstet miraculum, eadem ratio veritati perceptæ firmiter adhærendi semper existit. Certitudo *moralis* ea est, cujus fundamentum in nostrâ constitutione nativâ, non physicâ, sed *morali*, reponitur; ex. gr. *homines veritatem diligunt*, *senex est prudens*. Illa certitudo *libertati* subest humanæ; proindè non est absoluta, nec universalis sicut ipsa certitudo metaphysica; probè tamen distinguitur a maximâ probabilitate, quæ dubium omne non excludit.

(* Nota : Hominum prava voluntas regulis moralibus potest obsistere; Deus autem, qui mundi physici legibus aliquandò per miraculum derogat, ordini morali sæpissimè derogare nequit; sic non potest, illæsâ sanctitate, sapientiâ, bonitate, amorem vitii et erroris infundere cordibus. Repugnat simul ut homines, aliundè cupiditatibus et commodis alieni, conveniant ad fraudem ineundam, quam sibimetipsis noxiam fore judicant. *)

Ratione *modi* quo producitur in animâ, certitudo dividi potest in *immediatam* et *mediatam*. Nempè, quùm veritas *immediatè*, sinè discursu, fulget intellectui percipienti,

tiva dicitur, cujus objectum est menti nostræ *intrinsecum*, ut *dolor*, *lætitia*; et certitudo *objectiva* illa est, cujus objectum extrà mentem nostram existit, ut *Deus*, *res mundanæ*, et alia hujusmodi. *)

certitudo dicitur *immediata;* v. gr. *existo, cogito, sol lucet, totum est majus sua parte.* Si autem veritas absque discursu comparari nequit; v. gr. *Deus existit, mens humana est simplex atque spiritualis;* certitudo dicitur *mediata.*

Ratione *luminis* quâ veritas innotescit, certitudo est *supernaturalis* aut *naturalis*, prout objectum menti nostræ propositum cognoscitur lumine *fidei*, vel lumine *rationis* (1).

Ratione *motivorum* quibus impellimur ad assentiendum veritati, certitudo est *vulgaris* aut *philosophica.* Certudo *vulgaris*, quæ dicitur etiam *implicita, spontanea*, est mentis assensus, quo firmiter adhæremus veritati, cum *implicita* tantùm cognitione motivorum; ità, puer aut indoctus de propriâ existentiâ sanè non dubitat, sed explicitè ignorat utrum illa veritas sit evidens immediatè; an fundamentum habeat in intimo sensu; utrum necne revocari possit in dubium reale vel methodicum. Certitudo *philosophica, scientifica, reflexa*, supponit *explicitam cognitionem* motivorum, quibus impellimur ad veritatem perceptam, ut ei firmiter hæreamus; sic omnis philosophus qui cognitiones suas examini subdit, certitudinis motiva et rationes expendens, pervenit ad formalem et explicitam veritatis cognitionem.

III. **Utrum certitudo vulgaris est vera certitudo?**

163. Multi recentiores, cum positivistis et sophistis,

(1) Sedulò vitandum est eorum systema, qui « variis ac peregrinis doctrinis adducti, naturam et gratiam, *scientiam humanam et fidem divinam* perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur. » (Concil. Vatic. *Constit. Dog.*)

certitudinem vulgarem contemnunt et eam æquiparant *cæcæ credulitati;* vulgus, ut aiunt, veritatibus religionis, philosophiæ, scientiarum naturalium, fidem adhibent sinè motivo rationali. Fateor certitudinem vulgarem non extendi ad omnes veritates; sed vulgus de quibusdam veritatibus maximi momenti veram certitudinem habet; undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Certitudo vulgaris, in suis limitibus conscripta, non est cæca credulitas, sed vera certitudo.

Probatur *directè.* — Vulgaris certitudo sæpissimè dotibus iisdem quibus certitudo philosophica stipatur; ergò, non est cæca credulitas, sed vera certitudo. Antecedens experientiâ constat; etenim in certitudine vulgari reperitur *veritas evidenter ab intellectu percepta*, adsunt etiam firma mentis adhæsio, metum erroris excludens, et clara perceptio; ità, homo rudis, puer indoctus orbis physici, corporum, solis, hominum existentiam agnoscit et dubitanti sophistæ respondet : Rem adeò claram rejicere non possum (1). Ergò, stat consequens; nempè, certitudo vulgaris, in suis limitibus conscripta, non est cæca credulitas, sed vera certitudo.

Aliundè, natura deficere nequit in necessariis; secùs

(1) « Interrogez l'enfant, comme l'homme mûr, comme le vieillard, sur la certitude qu'ils ont de leur propre existence, de leurs actes internes et externes, sur l'existence de leurs parents, de leurs amis, du lieu où ils résident, vous ne verrez point une ombre d'hésitation. Enfants, vieillards, hommes faits, tous vous répondront de même; et, si les questions philosophiques qui nous occupent sont étrangères à vos interlocuteurs, leur regard étonné vous dira leur pensée : Un homme sérieux s'enquérir de choses *si claires!* » Balmès, l. I, c. III.

Auctor naturæ non esset sapiens rerum Ordinator. Sed, natura deficeret in necessariis, nisi vulgus certò cognoscere posset veritates maximè necessarias ad vitam componendam; ut sunt *existentia Dei*, *vita futura*, *discrimen inter bonum et malum*. Vulgus igitur non cæcam credulitatem habet de quibusdam veritatibus, sed certitudinem propriè dictam.

Probatur *indirectè*. — Scepticismus universalis est rejiciendus, ut dictum est suprà (n. 159); atqui, scepticismus universalis esset lex ferè omnium hominum, nisi vulgus certitudinem propriè dictam comparare posset. Undè, stat propositio.

(* Nota : Necessarium est ut coerceatur intrà limites suos, nec ultrà tendat certitudo vulgaris. Veritates autem hominis vulgaris captum non superantes, hæ potissimum esse videntur : Quidquid ad vitam naturalem sivè materialem, sive moralem instruendam *necessariò concurrit* homines in genere cognoscere debent; aliter enim non possint attingere finem suum, et, fato simul ac ignorantiæ dediti, in dubio versarentur absoluto. Veritates etiam revelatas, mysteriorum existentiam, et divinitatem religionis christianæ verâ certitudine vulgus agnoscit, nec cæcâ credulitate, nec fanatismo « pellitur, » nec mythis et fabulis adhæret, quùm miraculis atque mysteriis assensum liberum præbet (1).

Obj. Vulgus non potest veritatem demonstrare, nec vindicare; ergò, non habet certitudinem, sed meram credulitatem.

Resp. *Distinguo antecedens :* vulgus non potest exponere modo *explicito* rationes et argumenta, quibus veritas demonstratur,

(1) Ad red scriptum est : « Ut... fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritûs Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ quùm Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt *certissima* et *omnium intelligentiæ accommodata*. Quarè tùm Moyses

concedo; non intelligit *implicitè* vim motivorum, quibus impellitur ad assentiendum illis veritatibus, *nego.* Nam, ut ait Fenelonius : « Il ne s'agit nullement de mettre les hommes grossiers et sans étude en état d'expliquer avec précision et méthode ce qui les persuadera en faveur de la vertu et de la religion : il suffit qu'ils parviennent au point d'être persuadés par des raisons droites et solides, quoiqu'ils ne puissent pas développer les raisons qui les persuadent, ni réfuter les objections futiles qui les embarrassent... La vérité n'en est pas moins vraie, et la conviction intime que tous les hommes en ont n'en est pas moins une règle invincible de croyance, quoique chacun soit dans l'impuissance de démêler sa raison de croire. Il y a deux degrés d'intelligence, dont l'un opère une entière conviction, quoiqu'il soit moins parfait que l'autre : l'un se réduit à être dans l'impuissance de douter d'une vérité, parce qu'elle a une *évidence simple*, et, pour ainsi dire, directe ; l'autre a de plus une *évidence réfléchie*, en sorte que l'esprit explique la preuve de sa conviction, et réfute tout ce qui pourrait l'obscurcir. Les plus sublimes philosophes mêmes sont invinciblement persuadés d'un grand nombre de vérités, quoiqu'ils ne puissent les développer clairement, ni réfuter les objections qui les embrouillent. » (*Lettre VI, sur divers sujets.* *)

IV. Quid sentiendum de certitudinis gradibus ?

(* 164. Indubium est certitudinem vulgarem, *a fortiori*, certitudinem philosophicam esse firmissimam veritati adhæsionem, quæ omnem errandi metum excludit. Sed quæritur utrùm adhæsio hujusmodi possit esse major aut minor; id est, utrùm certitudo gradus habeat. Alii affirmant gradus inesse certitudini;

et prophetæ, tùm ipse maximè Christus Dominus multa et *manifestissima* miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus : Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis. Et rursum scriptum est : Habemus firmiorem propheticum sermonem, *cui benè facitis attendentes quasi lucernæ lucenti* in caliginoso loco. » (Concil. Vatic.)

alii negant. Alii verò contendunt nullum esse gradum in certitudine, si spectetur ut dubii *exclusio;* si spectetur autem ut mentis *adhæsio*, major aut minor esse potest.

Hæc ultima opinio probabilior videtur. Nam, ex unâ parte, certitudo est ille status animæ, in quo nulla superest dubitandi ratio; eapropter *excludit omne dubium*, et ut sic major aut minor esse nequit. Sed, ex alterâ parte, objectum, cui mens adhæret, potest esse plùs aut minùs evidens et intelligibile, necnon fundamenta et motiva, quibus certitudo nititur, possunt esse plùs minùsve perfecta; idcircò, major aut minor est mentis adhæsio, « juxtà excellentiam » causarum seu motivorum, quibus producitur (Cf. Suarez, *De Fide*, disp. VI, sect. 5. *)

ARTICULUS TERTIUS.

De fontibus erroris.

I. Quid est error?

(* 165. Error opponitur certitudini; sed, vidimus certitudinem esse firmam adhæsionem veritati, seu propositioni veræ, ut, *Deus est sapiens;* error igitur est *assensus propositioni falsæ*, v. gr. *homo est æternus*. Seu etiam, error est *defectus consensionis judicii cum veritate objectivâ.*

Lues illa erroris, quæ ubique grassatur, ex defectu rationis humanæ dimanat. Ignorantia enim, seu scientiæ carentia, est primùm hominis conditio in statu vitæ præsentis; deinde verò intellectus, qui « naturaliter scire desiderat, » ad cognitionem veritatis gradatim ascendit. Quùm autem veritas comparari nequeat, nisi sedulâ mentis attentione, necnon labore invicto, et ministerio sensuum, aliisve auxiliis tùm internis tùm externis, sæpè accidit ut nos de re aliquâ judicemus, quin eam clarè percipiamus; et idcircò, judicia nostra possunt esse falsa et *erronea.* *)

II. Qui sunt fontes erroris?

(* 166. Baco (*Novum Oroganum*, l. I, 39 et seq.) notiones

falsas seu « *idola* » ex quatuor fontibus repetit. Inter notiones hujusmodi, aliæ oriuntur e « *tribu*, » id est ex ipsâ *hominum naturâ;* homo quidem ex naturâ suâ errori obnoxius est, eò quod sæpiùs inclinatur ad ea, quæ magis placent; aversatur autem ab iis, quæ contraria videntur; aliundè, mens humana sæpè mutatur, et *vi affectuum*, aut *sensuum illecebris* sæpissimè fallitur.

Errores non pauci ortum habent e « *specu,* » scilicet ex *individui singularis naturâ* et *conditione;* qui enim scientiam peculiarem adamat, cæteras facilè contemnit, aut methodo sibi propriâ tractandas esse putat; præterea, homines non sunt ingenio æquales, ità ut alii alia diligant et inquirant; multi etiam educatione et *præjudiciis* decipiuntur.

Ex judiciis falsis, quædam originem sumunt e « *foro*, » id est e mutuâ hominum *societate*, et præsertim e verborum *fallaciâ;* nonnulla enim vocabula, quæ adhiberi solent, nihil significant; ità, vox *casus*, *fortuna*, sæpè designatur ut causa rerum. Sunt etiam nomina, quæ in pravum sensum detorqueri possint et confusionem generent.

Alii tandem errores ortum habent e « *theatro*, » seu ex *opinionibus* et *falsis dogmatibus* apud philosophos receptis; multi quidem decipiuntur argumentis captiosis et sophismatibus, aut opiniones falsas admittunt, quin earum fundamenta cognoscant. *)

III. Quis est specialis fons errorum apud philosophos recentes?

(* 167. Specialis fons errorum apud philosophos ævi præsentis est *neglectus Logicæ* et *Ontologiæ;* reverà, dialecticæ studium in gymnasiis hodiernis breviori tempore absolvitur, et philosophiæ difficultates enodari solent academico sermone, in quâ « sæpè sub eloquentiæ lenociniis turpissima sophismata propinantur (R. P. Liberatore, *Logic.*, p. II, c. 1, a. 5). »

Aliundè, philosophi recentes, qui notiones in Ontologiâ traditas ignorant, in errores teterrimos de vero, bono et pulchro, de substantiis et causis rerum, prolabuntur. *)

IV. Quæ sunt errorum remedia?

(* 168. Inter præcipua errorum remedia, quatuor assignari possunt : *Amor veritatis, sapiens et moderata dubitatio, studium Philosophicæ præsertim Logicæ et Ontologiæ, humilis oratio mentis ad Deum.*

Qui enim amat veritatem, præjudiciis non indulget; qui dubitatione sapienti et moderatâ utitur, non judicat, nisi clarè et evidenter percipiat veritatem; qui firma Logicæ et Ontologiæ fundamenta jecit, veritates altissimas ope ratiocinii demonstrare potest; qui tandem oratione humili auxilium divinum sibi conciliat, vi affectuum et sensuum illecebris non obtemperabit, et ad cognitionem veritatis tutiùs et faciliùs perveniet, secundum ea Psalmistæ : « In lumine tuo videbimus lumen (Psal. xxxv, 10). » *)

CAPUT SECUNDUM.

DE CRITERIO CERTITUDINIS UNIVERSALI.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de criterio certitudinis universali?

169. Postquam dictum est de certitudine, logicè tractandum est de mediis, quibus certitudo gignitur, et primò quidem de medio seu *criterio universali;* de quo tria recensere juvat : nempè, quid sit criterium universale; quodnam sit verum criterium; et quænam sint falsa criteria. Undè, tres erunt articuli : 1^us^, de *naturâ* criterii universalis; 2^us^, de *vero* criterio; 3^us^, de *falsis* criteriis.

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ criterii universalis.

II. Quid est creterium?

170. Κριτήριον græcè, latinè « *judicatorium,* » a voce

κρίνω, *judico*, *discerno*, significat instrumentum et medium, quo veritas secernitur ab errore, et gignitur certitudo. Duplex est, *universale* et *particulare*, seu *primarium* et *secundarium* : universale extenditur ad omnes cognitiones ; particulare autem quibusdam tantùm cognitionibus proprium est.

Criterium universale duplici modo considerari potest : videlicet, ut *signum*, quo veritas ab errore secernitur, vel ut *motivum*, quo gignitur certitudo; undè, vocari solet *primarium criterium veritatis*, aut *ultimum certitudinis motivum*. In quantùm est criterium veritatis, rectè definitur : *Signum universale, quo veritatem ab errore distinguimus;* quatenùs est criterium certitudinis, vocari solet : *Ultimum certitudinis fundamentum*.

III. Utrum existit criterium universale?

171. Duplex est quæstio : primò scilicet, utrùm omnia criteria revocari debeant ad idem criterium, ità ut unicum sit medium veritatem cognoscendi; secundò, utrùm inter diversa criteria quoddam sit *primarium* et *universale*, ex quo cætera vim habeant, et propter quod mens *ultimò* adhæreat veritati. Ad solutionem hujus difficultatis, sit sequens

PROPOSITIO.

Non est unicum veritatis criterium; verumtamen, admittendum est ultimum certitudinis motivum.

Probatur. — Veritates, quæ sunt *specie* diversæ, eodem medio comparari nequeunt ab intellectu. Sed, veritates, quæ habentur ut objectum cognitionis nostræ, specie differunt; aliæ sunt absolutæ, aliæ contingentes; aliæ extrinsecæ, aliæ intrinsecæ. Ergò, non unicum est,

sed plura sunt media, quibus homo veritatem assequitur; ex. gr. dolor, gaudium, cæteraque phænomena mentis nostræ innotescunt ope sensûs intimi; facta verò præterita nonnisi memoriâ vel hominum testimonio cognosci possunt.

Aliundè, diversa criteria, ut consensio generis humani et sensus internus, ità inter se differunt, ut ad unum et idem criterium reduci nequeant; ergò, non est unicum veritatis criterium.

Verumtamem, necesse est quoddam esse ultimum et universale criterium, ut probatur ex naturâ *certitudinis*. — Nam, in certitudine, seu in adhæsione veritati, necessariò reperitur omnis dubitationis exclusio. Sed, illa dubitationis exclusio supponit motivum seu criterium, quod mentis assensum ultimò rapiat; secùs enim superesset aliqua dubitandi ratio. Undè, existit ultimum certitudinis criterium.

Probatur etiam ex naturâ *veritatis*. — Nempè, veritas cognosci nequit ab homine, nisi sit aliquod signum, quo ex se distinguatur ab errore. Sed, signum hujusmodi, ut vidimus, est criterium universale. Ergò, necesse est aliquod esse criterium universale certitudinis.

Probatur tandem *experientiâ*. — Id est, nunquam adhæremus objecto menti nostræ proposito, nisi sit veritas *evidens* et clarè percepta. Existit igitur motivum, propter quod mens ultimò inclinatur ad assentiendum veritati, et illud est ultimum certitudinis criterium.

IV. Quæ sunt dotes primarii criterii?

172. Primarium criterium debet esse *universale*, et hoc duplici modo : 1° ad omnes cognitiones philosophiæ extenditur; aliter non esset ultima ratio omnis certitudinis, neque motivum primarium; 2° veritati simul et cer-

titudini, sensu tamen diverso, competit; scilicet criterium est *nota*, quâ veritas *primariò* ab errore secernitur, et *causa ultima secundum quam*, aiente scholâ Thomistarum, certitudo gignitur. Undè, dici solet *primarium* veritatis criterium, et *ultimum* certitudinis motivum.

Est *per se notum* et omnibus cognitu facile; criterium enim quod non esset per se notum, et demonstrari posset, aliud magis extensum magisque remotum admitteret; pariter, omni certitudini, tùm vulgari, tum philosophicæ convenire debet : nempè, vulgus ignarum et doctus philosophus eodem primario ac ultimo motivo nituntur.

Est ità *necessarium*, ut ab illo vim habeant alia criteria, et, eo sublato, nullum supersit veritatis medium nullaque norma verum a falso distinguendi.

Debet esse *objectivum* simul et *subjectivum* : id est, oportet ut primarium criterium sit aliqua proprietas ipsius veritatis; est enim signum, quo veritas cognoscitur aut cognosci potest; atqui, tale signum inesse debet objecto cognitionis nostræ et illud, ut ità dicam, illuminare. Aliundè, criterio universali mentis assensus rapitur; sed, assensus iste supponit visionem seu perceptionem rationis propter quam mens inclinatur ad veritatem. Eâ de re, necesse est ut primarium criterium habeat *fundamentum* in *objecto* cognito et *terminum* in *subjecto* cogitante; idcircò, debet esse simul objectivum et subjectivum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De vero criterio.

I. Quid est evidentia?

173. Vidimus *quid* sit criterium universale; nunc verò

quærere debemus *quodnam* sit illud criterium. Jam indubium est, juxtà plerosque philosophos, *evidentiam* esse criterium universale.

Duplici autem modo *evidentia* definiri solet : nonnullæ quidem definitiones ad *objectum* præsertim, id est ad veritatem respiciunt, ut sequens : Evidentia est *objecti* « *perspicuitas* » seu « necessaria *veritatis intelligibilitas* (Liberatore et Tongiorgi). » Eodem sensu Tullius scripsit, dicens : « Nihil clarius ἐναργείᾳ, ut Græci, perspicuitatem aut evidentiam nos, si placet, nominemus (*II Acad.*, c. VI). » Aliæ vérò ad *subjectum*, id est ad perceptionem intellectûs referuntur; ut si dicas : « Evidentia est *perceptio clara* convenientiæ et discrepantiæ idearum inter se (Fournier). »

Evidentia, in quantùm est criterium, quo veritas distinguitur ab errore, debet esse primariò et essentialiter *objectiva*, in eoque sensu meritò dicitur veritatis « perspicuitas et intelligibilitas; » sed, mentis assensum rapere nequit, nisi *clarè percipiatur* ab intellectu. Undè, sit sequens definitio : *Evidentia est ipsa veritatis perspicuitas, quatenùs menti nostræ affulgens.*

Hujus definitionis sensus ex dictis facilè concipies. Evidentia dicitur ipsa veritatis « intelligibilitas » quatenùs *affulget* ac necessariò connectitur *hic et nunc* intellectui, seu subjecto *percipienti;* est primariò « perspicuitas; » sed requirit « perceptionem claram; » seu etiam in veritate existit, et ab intellectu percipitur. Respectu veritatis, est *primarius character* et *universale signum*, quo secernitur ab errore; quoad intellectum, est *ultimum motivum*, rapiens adhæsionem firmumque mentis assensum, et excludens omnem errandi formidinem. In objecto spectata, evidentia nihil est aliud ac *proprietas*, quâ veritas percipi potest et certò cognosci; relativè

ad intellectum, est quasi lumen, quo veritas manifestatur. Undè, evidentia dici potest « quædam *manifestatio veritatis* (S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 106, a. 1). »

II. Quæ sunt evidentiæ species?

174. Philosophi recentes evidentiam dividunt in *objectivam* et *subjectivam :* evidentia *objectiva* ea est, quam definimus veritatis « *perspicuitatem* » menti nostræ affulgentem ; evidentia verò *subjectiva* est *clara perceptio* veritatis seu objecti, quod menti nostræ manifestatur per evidentiam objectivam (1).

Evidentia dividitur in *immediatam* et *mediatam :* res scilicet, quæ per se, primo intuitu et sinè discursu innotescit, dicitur evidens evidentiâ immediatâ ; hujusmodi sunt prima principia et facta, quæ directè percipiuntur ope sensuum. Ea verò, quæ nonnisi ratiocinio seu discursu innotescunt, ut syllogismorum conclusiones, habent solùm evidentiam mediatam.

Evidentia quoque dividitur in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*, prout convenit veritati metaphysicæ, physicæ et morali ; ex. gr. duo et duo dant quatuor, mortui non resurgunt, senes sunt prudentes.

III. Utrum evidentia est criterium universale?

175. Evidentia in sensu definitonis allatæ, id est

(1) (* Nota : De divisione evidentiæ in objectivam et subjectivam, sic se habet R. P. Zigliara (*Logic.*, p. II, l. II, c. II, a. 1) : « Hæc duplex evidentiæ acceptatio in scholis jam prævaluit ; attamen quià ex usu vocabulorum sæpissimè pendet claritas idearum, et æquivocationum remotio, velim ut hac in re philosophi mordicùs tenerent rigorosam vocum significationem, ut scilicet nomine *certitudinis* designaremus quid *subjectivum*, nempè firmitatem mentalis adhæsionis alicui cognoscibili ; et nomine *evidentiæ* quid *exclusivè objectivum*, nempè perspicuitatem intelligibilis. » *)

objectivè sumpta, habenda est ut primarium veritatis criterium et ultimum totius certitudinis motivum; undè sit sequens

PROPOSITIO.

Criterium universale est evidentia objectivè sumpta.

Probatur. — Illud est criterium universale, quod *requiritur* et *sufficit*, ut mens veritati adhæreat sinè ullo errandi metu. Sed, ex unâ parte, mens adhærere nequit veritati, nisi veritas ipsa evidenter fulgeat intellectui percipienti; undè, *requiritur* evidentia objectiva, seu perspicuitas objecti. Ex alterâ parte, quoties veritas evidenter fulget intellectui percipienti, mentis assensus rapitur et excluditur omne dubium; undè, *sufficit* evidentia objectivè sumpta.

Item, in evidentiâ objectivâ dotes primarii criterii inveniuntur. Est criterium *universale;* veritas quidem *in se* et ex naturâ suâ necessariò debet esse « *cognoscibilis;* » secùs enim percipi non posset ab intellectu. Est criterium *per se notum;* quid enim *in se* est « clarius » ipsâ evidentiâ, ut loquamur cum Tullio. Est criterium *primariò objectivum;* nam, evidentia nihil est, nisi fulgor ipsius veritatis; *secundariò* autem importat relationem ad *subjectum* seu ad intellectum; nam, ut vidimus, definitur perspicuitas veritatis, *quatenùs* menti nostræ *affulgens*. Ergò, criterium universale est evidentia objectivè sumpta.

Probatur etiam *experientiâ*. — Quippè, semper adhæremus veritati, quià *evidenter fulget* intellectui nostro, et talia proferre consuevimus : *res patet; hoc est evidens; certus sum de meâ existentiâ, de ornatu cœli, de primis principiis, eò quod veritas eorum est evidentissima*. Undè,

perspicuitas veritatis, quatenùs affulgens intellectui nostro, est criterium universale (1).

IV. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 176. Obj. I. Primarium criterium debet esse universale; sed, evidentia competit solùm quibusdam veritatibus; ergò, evidentia non est primarium criterium (ità Cartesius, Malebranchius, Ontologistæ non pauci, et probabiliter ipse Balmès).

Resp. *Concedo majorem. Distinguo minorem :* evidentia *subjectiva* non competit omnibus veritatibus, *concedo;* evidentia *objectiva, nego.* Nempè, fieri potest ut veritas non sit evidens *relativè ad nos;* aut etiam, aliquid potest ut verum haberi, quod reverà sit falsum; sed, *in se*, veritas semper et necessariò habet notam seu « perspicuitatem, » quâ secerni potest a falso. Undè, *nego consequens.*

Obj. II. Id solùm admitti debet, quod est evidens; porrò, nonnullæ veritates, ut *mysteria*, non fruuntur evidentiâ; ergò, admitti non debent (ità rationalistæ quam plurimi) (2).

(1) (* Nota : Ipse sanctus Thomas evidentiam objectivam, « per lumen naturale intellectûs » clarè perceptam, admittere videtur ut primarium criterium : « Certitudo, ait, quæ est in *scientiâ* et *intellectu*, est *ex ipsâ evidentiâ eorum quæ certa esse dicuntur*; » sed ista certitudo, quæ est ex ipsâ evidentiâ, « habet firmam adhæsionem *cum visione intellectivâ;* » undè, « *per lumen naturale* intellectus redditur *certus* de his quæ lumine illo cognoscit, ut in primis principiis. » (*Qq. disp. de veritate*, 3. d. q., a. 2, o; — *Contra gent.*, lib. III, c. CLIV; — *Sum. theol.*, p. I, q. 67, a. 1, o.) *)

(2) « Rendez-vous compte de la nature de ce précepte; mesurez-en la portée, et vous verrez que dans sa simplicité profonde il contient toute une révolution; d'abord il s'applique à tous les emplois de la pensée, ensuite il émancipe l'esprit et le pousse à une juste indépendance... Par là tombent d'un seul coup toutes les autorités..., même les dominations religieuses..., à moins que ces autorités ne prennent la peine, ou ne trouvent le secret de nous rendre évidente, et d'une évidence irrésistible, la vérité qu'elles nous apportent. » (Cousin, *Hist. génér. de la philosoph.*, 8e leçon, Philos. du XVIIIe siècle.)

Resp. *Distinguo majorem :* Id solùm admitti debet quod est evidens, evidentiâ saltem *mediatâ* et extrinsecâ, *concedo;* evidentiâ *immediatâ* et intrinsecâ, *nego. Distinguo minorem :* atqui, nonnullæ veritates, ut mysteria, non fruuntur *relativè ad nos evidentiâ immediatâ* et *intrinsecâ,* id est, non cognoscimus *naturam* earum veritatum, *concedo;* non fruuntur evidentiâ *mediatâ* et *extrinsecâ, nego; existentiam* enim illarum veritatum *certò* cognoscere possumus ope revelationis et testimonii.

Obj. III. Criterium universale est motivum, propter quod mens ultimò adhæret veritati ; sed, *perceptio clara,* seu evidentia *subjectivè* sumpta, est illud motivum; ergò, perceptio clara est criterium universale (ità non pauci inter philosophos recentes).

Resp. *Concedo majorem. Nego minorem;* nam, perceptio clara est *conditio* requisita ex parte intellectûs, et nemo certitudinem habere potest, nisi objectum sibi propositum clarè percipiat; sed, criterium seu medium, quo verum secernitur a falso, est ipsius objecti perspicuitas. Aliter, objectum non est evidens, verum et certum eò quod distinctè percipitur; sed clarè et distinctè percipitur, eò quod in se est evidens et verum. Undè, *nego consequens.* *)

ARTICULUS TERTIUS.

De falsis criteriis.

I. Expone varias philosophorum sententias, de primario criterio.

(* 177. Gravissimæ difficultates exortæ sunt de primario criterio, pluraque systemata prodierunt; verumtamen, ad duas classes reduci possunt opiniones philosophorum, qui admittunt criterium ab evidentiâ objectivâ distinctum : alii enim criterium universale reponunt in ipso *subjecto cognoscente,* id est in perceptione *sensuum,* in *ideâ clarâ,* aut in *instinctu naturæ;* alii autem criterium universale reponunt in principio quodam *extrinseco,* scilicet in *auctoritate.*

Primò, de philosophis, qui ultimum criterium reponunt in

subjecto cognoscente. — Tria concurrunt ex parte subjecti ad formationem cognitionum nostrarum, *sensus*, *intellectus* et *natura;* undè tres philosophorum sententiæ :

(A.) Non pauci contendunt, post *sensistas* et *positivistas*, mensuram seu criterium omnium cognitionum esse *sensus nostros;* idcircò, nullam fidem adhibendam esse veritatibus metaphysicis, quæ sensus non afficiunt.

(B.) Alii, duce Cartesio, primarium criterium reponunt in solâ *visione intellectùs* seu in *perceptione clarâ;* quidquid *clarè percipitur*, aiunt, verum est, et idea clara et distincta, subjectivè sumpta, criterium certitudinis exhibet.

(C.) Reidius, cum suis discipulis, docuit suggestionem aliquam et inspirationem naturæ mentem ad affirmandum aut negandum impellere, sinè motivis et rationibus apertè cognitis; quam inspirationem vocat *instinctum naturæ cæcum*. Juxtà eum, duplex est judiciorum species : alia sunt deducta, cætera verò primigenia; judicia primigenia, de quibus solùm agitur, a nobis ultrò proferri solent, quin de illis rationem ullam reddere possimus. Habentur ergò quasi fundamenta totius cognitionis humanæ, et hujusmodi judiciorum rationem quærenti sequens occurrit responsum : ità vult animæ *structura naturalis*, et ab his proferendis abstinere nequit intellectus.

Fautores scholæ vulgò dictæ *sentimentalis*, quæ patronum in Germaniâ Fredericum Jacobi, Kantiani systematis impugnatorem acerbum, veneratur, aliquam animæ *vim affectivam*, seu propensionem naturæ habent quasi supremam omnium cognitionum regulam.

Secundò, de philosophis, qui non solùm primarium, sed etiam *unicum* veritatis criterium reponunt in principio extrinseco, videlicet in *auctoritate* sivè generis humani, sivè revelationis divinæ. — Imprimis, vir luctuosæ celebritatis, de Lamennais, criterium certitudinis ultimè reposuit in *consensu populorum*, et sic *traditionalismi* fundamenta *jecit*. Illud systema, quod multùm prodest ad historiam philosophiæ sæculi XIXi, exponere juvat. Duplicem certitudinem distinxit de Lamennais, alteram *rationalem*, seu *juris*, et alteram *instincti-*

vam, id est *facti*. Pariter duplex est ratio, *generalis* scilicet et *individua*. Ratio individualis quæ singulis, etiam indoctis, inesse debet hominibus, certitudinem juris conferre non potest; quod probatur, 1°, auctoritate scepticorum antiquorum et recentiorum, 2°, variis argumentis ab ipso de Lamennais nuper excogitatis (1). Attamen dubium universale rationi contradicit, et certitudinem nobis invitis imponit natura; quâ duce, multas veritates ut omninò certas tenemus, etsi rationes earum non fuerint demonstratæ. Talis certitudo vocatur *certitudo facti;* quæ multùm differt a *certitudine juris*, per demonstrationem acquisitâ.

Inter illas veritates, antè omnem probationem habitas, primo loco certè reponitur, ait idem philosophus in opere suo, *Essai sur l'indifférence en matière de religion*, *existentia Entis supremi*. Eam a priori tanquam omnium certissimam admittere debemus, et ab illâ proficisci, velut a primo principio, ex quo scientia philosophica defluit. Sed ista veritas non est certa nisi *certitudine facti*. Mens autem, generali et primario certitudinis fonte detecto, mox acquirit *certitudinem juris*, quæ solùm a Deo confertur; Deus enim in seipso continet rationem omnium; quod facilè constat. Idcircò non habetur certitudo juris, nisi priùs existentia Dei sit cognita palamque demonstrata. Sed argumenta physica, metaphysica, moralia, communiter ab auctoribus allata, vim probantem desumunt ex *humani generis consensu*, cujus auxilio, *certitudo facti* existentiæ Dei fit *certitudo juris*. Talis certitudo juris ità comparatur : tempore creationis, Deus revelare debuit omnes veritates intelligentiæ necessarias, quæ transmittuntur in societate per sermonem et loquelam; ideoque *testimonium humani generis est medium* quo verbum Dei nobis innotescit, et illius auctoritas est

(1) *Essai sur l'indifférence*, t. II : « Rien ne nous est aujourd'hui si évident que nous puissions nous promettre de ne le pas trouver demain ou obscur ou erroné. » p. 8. — Et infrà : « En vain appelons-nous le raisonnement à notre secours : fragile barrière contre le doute! » p. 11.

infallibilis et divina. Hinc natus est *fideismus* absolutus seu *traditionalismus*.

Fideismus, qui jam anteà patronum habuerat Huetium, Abrincensem episcopum, his diebus ut somnium apparuit, ut mox evanesceret. Cæteroquin, instaurator Traditionalismi, celeberrimus in collegio Argentoratensi professor, dominus Bautain, judicio superiorum obsequens, propriam sententiam humiliter et expressè deseruit. Doctissimus ille philosophus, duce de Lamennais, rationem individuam rejecit; sed iisdem argumentis respuit auctoritatem generis humani; reverà, consensus generalis, aiebat, est collectio rationum individualium et fallibilium; atqui, fallibilium rationum collectio nequit infallibilitatem generare. Primarium ergò certitudinis criterium est *fides divina*, cujus principium in gratiâ Spiritûs Sancti, mentem nostram illuminantis et excitantis, reponitur; illius autem objectum immediatum est ipsa *Scriptura*, divinitùs ab eodem Spiritu Sancto revelata. Proindè, qui scientiis instituendis operam navare desiderat, in id incumbere debet, ut, auxilio divinarum litterarum, prima principia, dein omnes etiam remotas conclusiones detegat et evolvat. *)

II. Quid sentiendum de variis philosophorum sententiis, circà primarium criterium?

(* 178. Rejiciendæ sunt sententiæ philosophorum, qui criterium universale ab evidentiâ objectivâ distinctum admittunt; undè sit

PROPOSITIO.

Criterium universale reponi nequit in solo subjecto cognoscente, nec in principio extrinseco, videlicet in auctoritate.

Probatur *indirectè*. — Criterium universale, ut vidimus, est evidentia objectivè sumpta; ergò, aliud criterium admitti nequit.

Probatur *directè* et per partes. — 1°, criterium universale reponi nequit in *perceptione sensuum* sive externorum, sive in-

ternorum. Criterium enim hujusmodi debet esse universale; sed, ope sensuum res materiales tantummodò percipimus.

Aliundè, sensismus falso nititur fundamento. Nam, fautores hujus systematis asserunt nullam esse facultatem a sensibus distinctam, nullamque veritatem metaphysicam; quod falsum est, ut jam multoties diximus.

Item, supremum criterium debet esse primariò objectivum; atqui, perceptio sensuum est subjectiva; ergò, non potest esse criterium universale. Idem est dicendum de *conscientiâ*, quæ nihil est, nisi vis, per quam anima existentiam affectionum suarum seu phænomenorum sibi intimè præsentium agnoscit; vis enim hujusmodi non extenditur ad omnes cognitiones nostras; v. gr. non apprehendit causas rerum ultimas et universales.

2°, *Perceptio clara* non potest esse primarium criterium. Nam, in sensu Cartesii, omnibus in dubium revocatis, effatum, *cogito, ergo sum,* admittitur quià clarè, distinctè, necessariò percipitur, et ista perceptio clara mentis assensum rapit. Sed contrà: primarium criterium non potest esse solum *subjectivum;* atqui, perceptio clara *subjectum*, id est, intellectum percipientem solùm afficit; ergò, nequit esse primarium criterium. Major constat ex modò dictis de criterii dotibus. Minor infertur ex ipsâ perceptionis naturâ; nam, perceptio nihil est aliud quam actus merè subjectivus animæ; sed, intellectus nequit *clarè* percipere nisi rem claram et evidentem; ergò, clara perceptio non est ultimum et universale criterium.

Aliundè, perceptio clara, quum sit merè subjectiva, non solùm admitti nequit ut criterium universale, sed etiam falsæ interpretationi præbet ansam, ut historia sæculi XVIII luculenter ostendit. Etenim Cartesii primarium criterium est mutabile; non supponit veritatem ab intellectu distinctam, universalem, atque necessariam; ad libitum cujuslibet accipi potest et errori locum cedere; non est igitur admittendum.

Undè, evidentia merè subjectiva, quæ definitur « *perceptio convenientiæ, seu discrepantiæ* idearum inter se, » non differt a perceptione clarâ, nec magis convenit ut primarium criterium. Item, intuitio a priori, juxtà quam, in sensu Kantii, ratio pura

veritatem perciperet immediatè, vi structuræ suæ naturalis, a perceptione clarà non multùm differens, admitti nequit ut criterium rationis speculativæ.

3°, *Instinctus cæcus* Reidii non est primarium criterium. Nam, ope criterii universalis mens veritatem a falso secernere debet; sed, absurdum est dicere instinctum cæcum, seu carentiam omnis cognitionis omnisque luminis, esse notam, quâ veritas a falso distingui possit.

Propter eamdem rationem, *vim affectivam* (Jacobi), actum fidei cæcum (Jouffroy), sensum moralem (Buchez), sensum quemdam divinum (Gratry) admittere non possumus ut medium universale, quo veritas certò cognoscitur.

4°, *Consensus generis humani* non est criterium universale. Nam, ut infrà videbitur, consensus generis humani est commune judicium quod ferunt homines de veritate morali, ad vitam instituendam necessariâ, ut sunt, *existentia Supremi Numinis, virtutum remuneratoris et ultoris criminum, non est furandum, non occides;* atqui, nemo cognoscere potest utrùm homines talia judicia proferant, nisi mediante quodam criterio ab ipsâ consensione generis humani distincto; ergò, consensus hujusmodi supponit aliud criterium universalius et non est primarium certitudinis medium.

Item, pars hominum maxima, consensu generis humani tanquam universali criterio semel habito, versaretur in dubio perenni, quia consensùs illius existentiam agnoscere non posset, solique sapientes et eruditi veritatis insigni beneficio gauderent; quod sanè repugnat et ab ipsis Mennesianis rejicitur; ergò, consensus generis humani esse nequit ultimum certitudinis motivum (1).

(1) Mennesianismum sic egregiè confutat D. de Margerie : « Pour la plupart des membres de la famille humaine, la consultation du témoignage universel est impossible; il faudrait donc, si elle était nécessaire, que le paysan, qui n'a que le témoignage des gens de son hameau..... fût disposé à croire..... que sa vache n'est qu'un fantôme, ou bien qu'il s'abuse quand il croit avoir un mal de tête. » *Philosophie contemporaine*, p. 375.

Instare possumus : aut certitudo *facti* quæ præcedit certitudinem *juris* in systemate Dⁱ de Lamennais, est vera certitudo, vel non; si priùs, generis humani consensus non est fundamentum omnis philosophiæ; si posteriùs, jam nulla veritas agnosci poterit, atque sceptiscimus absolutus erit lex humanitatis necessaria et naturalis. Ideoque, Mennesiani sæpiùs habentur ut pyrrhonismi fautores; sed potiùs, revelationem tanquam universale certitudinis medium admittentes, ad fideismum absolutum abeunt; nam, aiente de Lamennais, certitudo juris in divinâ revelatione, sermonis ope transmissâ, nititur.

3°, *Revelatio divina* non est *tempore* primarium certitudinis motivum. Existentiam enim revelationis divinæ, necnon auctoritatem Scripturæ Sacræ certò cognoscere debemus, priusquam illis utamur ut motivo certitudinis. Undè, vim rationis et scientiam humanam impugnans, ipsius revelationis argumenta penitùs evertit, nec minùs contradicit fidei quam rationi; nam, « *recta ratio fidei fundamenta* demonstrat, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolit (Concil. Vatic.) » (1). *)

(1) (* Nota : Sacra Congregatio Indicis, 11 junii 1855, celeberrimas edidit propositiones a Summo Pontifice Pio Nono Maximo, 15 junii ejusdem anni 1855, approbatas, in quibus fideismi doctrina plectitur. Juxtà secundam et tertiam propositionem, « ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum *certitudine* probare potest. *Fides posterior* est *revelatione,* proindeque ad probandum Dei existentiam contrà atheum, ad probandum animæ rationalis spiritualitatem contrà naturalis ni ac fatalismi sectatores *allegari convenienter nequit.* Rationis usus fidem præcedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit. » Ergò, rejiciendus est fideismus; contendit enim usum fidei rationem præcedere, Dei existentiam, animæ spiritualitatem adversùs atheos et naturalistas lumine rationis probari non posse. *)

CAPUT TERTIUM.

DE CRITERIIS CERTIDUDINIS PARTICULARIBUS.

I. Quomodo dividitur caput tertium, de criteriis certitudinis particularibus?

179. Inter omnia certitudinis *media*, quibus *intellectus* utitur, quædam sunt *objectiva*, scilicet *evidentia* seu *primarium criterium*, et *principia logica*, ut, *idem non potest simul esse et non esse;* alia sunt *subjectiva*, nempè *ratio deductiva* et *inductiva* seu *syllogismus* et *inductio*, *perceptio sensuum*, *conscientia* et *memoria;* nonnulla verò sunt *extrinseca*, videlicet *consensus generis humani*, *testimonium hominum* et *revelatio divina*. Jam alibi dictum est de evidentiâ (n. 173) et de principiis logicis (n. 116), necnon de ratione sive deductivâ (n. 66), sive inductivâ (n. 82); aliundè, in capite sequenti, tractandum est de revelatione divinâ. Undè, caput tertium dividi potest in quinque articulos : 1^us^ erit de *perceptione sensuum;* 2^us^ de *conscientiâ;* 3^us^ de *memoriâ;* 4^us^ de *consensu generis humani;* 5^us^ de *testimonio hominum*. Ex his criteriis particularibus, tria sunt *subjectiva*, et duo *extrinseca*.

ARTICULUS PRIMUS.

De perceptione sensuum.

II. Statue sensum quæstionis, de perceptione sensuum.

180. In præsenti quæstione, non suscipitur descriptio sensuum, neque tractatus de naturâ facultatum nostra-

rum; sed agitur tantummodò de *veracitate* perceptionis sensuum externorum. Alio modo, quæritur utrùm, debitis conditionibus habitis, sensus externi, scilicet *visus*, *auditus*, *odoratus*, *gustus* et *tactus* sint legitima certitudinis *media*.

Ad solutionem hujus quæstionis, quæ acerrimè controvertitur inter philosophos, tria dicenda sunt: 1°, Quid sit perceptio sensuum et quot requirantur conditiones, ut motivum certitudinis esse possit; 2°, quid scholastici doceant de veracitate sensuum et immediatâ corporum perceptione; 3°, quæ sint falsæ recentiorum opiniones de vi sensuum externorum et corporum existentiâ.

III. Quid dicendum de naturâ perceptionis sensuum et de conditionibus requisitis, ut legitimè exerceri possit?

181. In perceptione sensuum, tria distinguuntur : *organa*, *sensatio perceptioque* propriè dicta. Organum est instrumentum et medium naturale, quo sensatio recipitur : hi sunt quinque sensus, *tactus*, *gustus*, *odoratus*, *auditus* et *visus*, qui varia corporum phænomena, figuram, colorem, distantiam, quietem, motum, saporem, mensuram, quantitatem, qualitatem nobis exhibent.

Sensatio dici potest, *impressio passiva, quæ fit in animâ ope corporum et organo mediante;* seu ut aiunt philosophi : « Agentis externi in corpus animatum impressio quædam animæ præsens. » Quasi medium tenet inter organum et perceptionem.

Perceptio sensuum est *actus facultatis sensitivæ quo rerum materialium accidentia exteriora, mediantibus organis et sensatione, cognoscuntur.* Illa verò cognitio multùm differt a cognitione intellectûs; « anima (quidem), aiente sancto Thoma, per *intellectum* cognoscit *corpora*

cognitione *immateriali*, *universali* et necessariâ (*Sum. Theol.*, p. I, q. 84, a. 1). » Per sensus autem externos cognoscimus tantùm accidentia *materialia* et *singularia*.

Sed, ut objectum illud materiale perceptioni verè subjiciatur, necessariæ sunt aliquæ conditiones : a veteribus quatuor assignari solent, ex parte scilicet *objecti*, *organi*, *facultatis* et *medii*.

Prima conditio : *objectum non sit extrà sensûs limites positum :* sic, ex. gr. solis et lunæ superficies plana nobis apparet, ex eò quod ultrà captum oculi sit posita.

Secunda conditio : *requiritur organum sanum, et ad finem suum naturalem aptè dispositum;* id est, somno morboque, vel aliis vitiis, ut sunt amentia, delirium, impediri non debet; etenim in somno, v. gr., quot videre, palpare, tenere credimus, quæ reverà nec videmus, nec palpamus, nec tenemus.

Tertia conditio : *facultas habeat objectum sibi proprium;* scilicet, perceptio sensuum circà veritates absolutas, universales, aut circà leges orbis physici generales, quæ pertinent ad intellectum, versari non potest; oculus, v. gr., impar est ad judicandum solis et terræ motum, aliaque similia.

Quarta conditio : *inter objectum et organum nihil obstet, ne fiat perceptio juxtà leges consuetas;* sic, in aquâ fluente, baculus percipienti videtur effractus. Addunt recentiores quintam conditionem his verbis expressam : *relatio sit constans et uniformis;* quatuor autem veterum regulæ sufficiunt.

IV. Quid docent scholastici de perceptione sensuum?

182. Tria propugnant scholastici de veritate sensuum externorum : 1°, perceptio sensuum, debitis conditioni-

bus habitis, est *legitimum* certitudinis motivum; 2°, vi perceptionis hujusmodi, res corporeas *immediatè* conspicimus (1); 3°, ex dictis concluditur indubiam esse corporum *existentiam*. Hæc doctrina tenenda est, et jurè statuitur sequens

PROPOSITIO.

Perceptio sensuum, debitis conditionibus habitis, verax est et meritò habetur ut legitimum certitudinis motivum, quo immediatè corporum existentia percipitur.

Probatur ex naturâ evidentiæ. — Illud est secundarium certitudinis motivum, quo res corporeas evidentissimè et sinè metu errandi percipimus. Atqui, talis est perceptio sensuum. Ergò, perceptio sensuum est secundarium certitudinis motivum. Constat major. Minor probatur. Sæpissimè, sensûs auxilio, res corporeas *evidenter*, sine metu errandi, percipimus; illa certitudo dubium omne penitùs excludit, et tunc evidentia dotibus requisitis vestita gignitur; ergò, perceptio sensuum primario criterio verum et efficax auxilium porrigit, et meritò dicitur secundarium certitudinis medium.

(1) Juxtà scholasticos, perceptio sensuum non est *id quod*, sed *id quo*, seu medium quo facultas cognoscit; objectum autem, scilicet id quod propriè cognoscitur, esse potest in sensu triplici modo : « Similitudo alicujus rei, inquit sanctus Doctor, est in sensu tripliciter. Uno modo, primo et per se; sicut in visu est similitudo colorum et aliorum propriorum sensibilium. Alio modo, per se sed non primo, sicut in visu est similitudo figuræ, vel magnitudinis et aliorum communium sensibilium. Tertio modo, nec primo nec per se, sed per accidens; sicut in visu est similitudo hominis, non in quantùm est homo, sed in quantùm huic colorato accidit esse hominem (*Sum. Theol.*, p. I, q. 17, a. 2). » Undè, triplex est sensibile, ut aiunt, « *sensibile proprium*, *sensibile commune*, *sensibile per accidens*. »

Item, probatur *experientiâ.* — Multa enim existunt *phænomena :* quotidiè solem, terram, homines, animalia, suum corpus proprium unusquisque videt, ut fatentur adversarii; objecta sensibilia tangimus, sonos audimus, olfacimus odores et cibaria gustamus; naturæ spectacula, montes, sidera, maria, ædificia miratur viator. Atqui, nemo est qui dubitet hæc omnia realiter existere. Ergò, de veritate sensuum dubitari nequit.

Aliundè, probatur ex *organorum naturâ.* — Natura enim « nil facit frustrà, » ut aiunt. Sed, organa corporis aptissimè disponuntur ad recipiendas impressiones rerum externarum. Undè, veritas sensuum negari nequit, nisi priùs rejiciatur naturæ humanæ rectitudo.

Probatur etiam ex *naturâ sensationis.* — Quippè, inter causam et effectum proportio requiritur. Sed, in facto sensationis, effectus est sensibilis, ut experientiâ constat; v. gr. qui manum ad ignem apponit, sensationem caloris experitur. Ergò, necesse est ut sit objectum materiale et sensibile, quod effectum hujusmodi producat. Undè, perceptio sensuum est verax in referendâ nobis corporum existentiâ.

Insuper, illa perceptio est *immediata*, quæ objectum aliquod nobis exhibet sine discursu, seu nullo mediante ratiocinio. Atqui, talis est perceptio sensuum; omnes enim corporum existentiam admittimus sinè ullo discursu et ratiocinio. Eâ de re, meritò diximus existentiam corporum *immediatè* percipi sensibus externis. Ergò, stat propositio.

V. Quid dicendum de falsis recentiorum opinionibus, seu quomodo solvuntur difficultates?

(* 183. Obj. I. Imprimis Cartesius veracitatem sensuum in dubium revocavit, et corporum existentiam ex ipsâ veracitate

divinâ demonstrare conatus est. Eccè illius argumentum : inest hominibus *propensio* constans et universalis, quâ invincibiliter credunt res materiales existere, talisque propensio Deum habet auctorem ; sed, Deus genus humanum in errorem inducere nequit ; ergò, realiter existunt corpora.

Cartesius etiam ejusque discipuli veracitatem sensuum enthimemate sequenti directè impugnant : experientiâ constat sensus nostros haud semel decipi ; ergò, haberi non possunt ut criteria veritatis.

Resp. *Distinguo antecedens :* sensus decipiuntur, si una aut altera e conditionibus requisitis *deficit, concedo ; secùs, nego.* Reverà, quandoquè falluntur sensus nostri, propter impedimenta quædam ; v. gr. in somnio, multa videre credimus, quæ reapsè non existunt. Sed, ut probatum est suprà, sensus falli non possunt, si nullum adsit impedimentum.

Prætereà, argumentatio quâ utitur Cartesius est in se *inutilis ;* nam existentia corporum nobis sanè magis est obvia quam existentia Dei. Aliundè, *perniciosa* est, præcipuè contrà naturalistas et atheos ; inficit enim *argumentum physicum*, quo probatur existentia Dei. Objectio etiam hoc modo retorqueri potest : Ratio ipsa decipitur, ut experientiâ constat ; ergò, non est criterium veritatis, et idcircò de omnibus dubitare oportet.

Tandem, ut objectio Cartesii faciliùs solvatur, distinguere debemus, post sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, p. I, q. 17, a. 2), triplex objectum sensationis : « *objectum proprium* seu *sensibile proprium*, *objectum commune* seu *sensibile commune*, et *objectum per accidens* seu *sensibile per accidens.* » Id est, sensus habet objectum, quod alii sensus percipere non possunt ; ex. gr. oculus videt *lucem*, quam nasus non sentit ; et hoc dicitur sensibile proprium. Idem verò objectum percipi potest pluribus sensibus ; ità, *extensio visu* simul et *tactu* cognoscitur ; et hoc est sensibile commune. Imò, sensus non solùm percipiunt colorem, gustum, extensionem et alia hujusmodi, sed etiam distinguere possunt *hominem* a cæteris animalibus, *arborem* a lapide ; et in eo sensu, *homo*, *arbor* aut similia, sunt per accidens objectum perceptionis nostræ. Jam Cartesianis

concedere possumus testimonium sensûs non esse infallibile, si agitur de sensibili communi et præsertim de sensibili per accidens; sed quilibet sensus non errat circà objectum sibi proprium, secundùm ea sancti Thomæ (*Contr. Gent.*, l. III, c. 107, r. 8) : « Nulla potentia cognoscitiva deficit a cognitione sui objecti, nisi propter aliquem defectum aut corruptionem. »

Object. II. Alii sensuum veracitatem, in dubium a Cartesio revocatam, negarunt. E primis Malebranchius putavit corporum existentiam ope sensationum, sinè *revelationis auctoritate*, demonstrari non posse.

Humius, Pyrrhonis dubium universale profitens, corporum realitatem omninò rejecit; dùm aliqui, post Germanum Fichte, idealismum « *dogmaticum, transcendentalem* et *subjectivum* » excolentes, finxerunt imagines corporum ab ipsâ mente produci. Nonnulli autem, Berkeleio duce, contenderunt phænomena corporum a Deo directè procreari, sensûsque perceptionem in se nullam vim habere.

Objectiones horum philosophorum in unam reduci possunt: nempè : sensuum veracitas, in systemate scholasticorum, supponit immediatam corporum perceptionem. Sed, perceptio hujusmodi est impossibilis; corpus enim in animam agere non potest, nec anima in corpus. Undè, sensuum veracitas negari debet, et perceptio nihil est, nisi modificatio animæ merè *subjectiva*.

Resp. *Concedo majorem. Distinguo minorem.* Res enim materiales agere non possunt in animam *separatam* a corpore, *concedo;* in animam cum corpore *conjunctam, subdistinguo : deficientibus* conditionibus requisitis, *concedo;* sed, *habitis* conditionidus requisitis, *nego.* Imò, nulla sensationibus nostris assignari potest causa sufficiens, nisi realitas objectiva corporum, et hypotheses quas finxerunt Malebranchius, Humius, Fichte et Berkeleius, sunt omninò gratuitæ, rationi repugnant et contradicunt experientiæ. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De conscientia.

I. Quid est conscientia seu sensus intimus?

184. Inter criteria subjectiva, quædam sunt *externa;* nempè, sensus externi, de quibus dictum est in articulo præcedenti. Alia verò sunt *interna;* e quibus est conscientia, quæ stricto sensu definiri potest : *Vis, cujus ope cognoscimus omnia phænomena nobis intimè præsentia.* Quippè, non solùm sentimus, videmus, audimus; verùm etiam *scimus* nos sentire, videre, audire; porrò, vis, quâ mentis nostræ affectiones seu phænomena interna cognoscimus, est *conscientia*, juxtà modum loquendi recentiorum.

Conscientia autem, in hoc sensu desumpta, vocatur *sensus intimus* a veteribus philosophis, qui conscientiæ vocabulo utuntur ad designandam solummodò regulam proximam actionum humanarum. Aliundè, per conscientiam intelligimus hanc potentiam, quâ cognoscimus affectiones internas animæ; quùm autem affectiones hujusmodi possint esse sensibiles aut rationales, conscientia dividitur a quibusdam in « *sensitivam*, » quâ percipiuntur affectiones sensibiles, et in « *intellectivam*, » quâ percipiuntur affectiones rationales. Alio modo, per conscientiam « sensitivam » *sentimus nos sentire;* per conscientiam autem « intellectivam » *intelligimus* nos *intelligere.*

II. Quodnam est objectum conscientiæ?

185. Ex dictis, facilè colligitur quodnam sit objectum conscientiæ; scilicet, *affectiones* animæ nostræ, ut *dolor, gaudium, spes, amor, ira,* et *facta quælibet in nobis actua-*

liter existentia cognoscuntur *primariò* et *directè* testimonio conscientiæ. *Indirectè* autem et *secundariò* conscientia testatur *existentiam subjecti*, quod affectiones illas in se recipit, aut propriâ virtute producit; undè, erravit Kantius, juxtà quem *phænomena* tantùm animæ nostræ præsentia, minimè verò ipsius animæ *existentiam* percipimus conscientiæ auxilio.

Sed, ut notandum est, conscientia non cognoscit causas affectionum nostrarum, nec earum relationes, nec animæ naturam; « hæc enim omnia investigare et definire officium est rationis (Zigliara). » Ideoque, conscientia dici nequit motivum primarium et criterium universale certitudinis.

III. Utrùm conscientia est criterium certitudinis particulare?

186. Etsi conscientia non sit criterium universale, meritò tamen dicenda est motivum certitudinis secundarium et particulare; sit igitur, contrà Fichte, Lamennais et quosdam alios, sequens

PROPOSITIO.

Conscientia, intrà limites objecti sui, est criterium certitudinis.

Probatur experientiâ. — Id revocari nequit in dubium, quod experientiâ constanti et universali probatur. Sed, juxtà experientiam constantem et universalem, anima non solùm sentit et intelligit, sed certò « cognoscit se sentire » et intelligere (Cf. S. Thom., *Qq. Disp.* De veritate, a. IX); id est, habet conscientiam affectionum suarum. Ergò, testimonium conscientiæ in dubium revocari nequit.

Prætereà, probatur ex *naturâ conscientiæ*. — Illud

enim admitti debet tanquam medium certitudinis, quod adeò est *evidens*, ut nullâ demonstratione egeat, imò nec demonstrari, nec etiam impugnari possit. Atqui, tale est conscientiæ testimonium; proindè, habendum est, ut certitudinis medium. Major patet. Minor probatur per partes. Primò, testimonium conscientiæ est verax et ex se perspicuum; nam, propositio hujusmodi, *scio me sentire, intelligere, velle, amare,* nullâ demonstratione indiget; imò, evidentior est omni demonstratione. Secundò, demonstrari non potest, eò quod omnis demonstratio supponit conscientiæ testimonium; demonstratio enim est intellectûs operatio, quâ duo pluraque judicia inter se conferuntur, ut ex illis eruatur aliud judicium; sed, talis operatio fieri nequit, nisi ratio « redeat » in actus suos ope reflexionis et conscientiæ. Tertiò, impugnari non potest; nemo enim testimonium conscientiæ in dubium revocare debet, nisi certus sit de dubii existentiâ; dubii autem existentiam cognoscere nequit, nisi testimonio conscientiæ.

Probatur etiam ex *naturâ objecti,* quod refert conscientia. — Nempè, quoad objectum directum, nulla est difficultas; affectiones enim animæ, sunt facta seu phænomena, quæ immediatè, vividè et intimè mentem nostram afficiunt; proindè, conscientia de eorum existentiâ falli non potest. Quoad objectum indirectum seu subjecti cogitantis existentiam, non est etiam difficultas; nam, ut ait sanctus Thomas, ex eò quod aliquis percipit « se sentire et intelligere et alia hujusmodi vitæ opera exercere, » necesse est ut percipiat « se animum habere et vivere et *esse;* » nemo quidem potest sentire et intelligere, nisi sit realiter existens, et pariter nemo percipere potest se sentire et intelligere, quin percipiat se esse realiter existens (Cf. S. Thom., *loc. cit.*).

IV. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 187. Obj. I. Id, quod probari nequit, in dubium revocari debet; atqui, veracitas conscientiæ probari nequit; ergò, in dubium revocari debet.

Resp. *Distinguo majorem :* in dubium revocari debet id, quod probari nequit, propter *defectum luminis, concedo;* propter *abundantiam luminis; nego. Distinguo* etiam *minorem :* atqui, veracitas conscientiæ probari nequit, propter *abundantiam luminis, concedo;* propter *defectum* luminis, *nego.* Nam, testimonium conscientiæ est evidens evidentiâ *immediatâ* et intuitivâ; sed, ut vidimus (n. 175), ea quæ sunt ex se et immediatè perspicua, demonstrari non possunt, eò quod primarium criterium, seu evidentia, demonstrari non potest.

Obj. II. Subjectum cogitans factum existentiæ propriæ cognoscit ope ratiocinii; sic enim ratiocinari solet : *cogito, ergò sum* (1).

Nego antecedens. Subjectum cogitans existentiam suam primariò cognoscit analysi hujus facti : *cogito;* id est, eò quod percipit se cogitare, percipit etiam se esse. Nam, existentia subjecti cogitantis essentialiter includitur in facto cogitationis; quià, nemo cogitare potest, nisi sit realiter existens. *)

(1) Sic se habet Cartesius : « Je me résolus de feindre que toutes les choses qui m'étaient jamais entrées dans l'esprit, n'étaient non plus vraies que les illusions de mes songes. Mais, aussitôt après, je pris garde que pendant que je voulais ainsi penser que tout était faux, il fallait nécessairement que moi qui le pensais, fusse quelque chose; et remarquant que cette vérité : *je pense, donc je suis,* était si ferme et si assurée, que toutes les plus extravagantes suppositions des sceptiques n'étaient pas capables de l'ébranler, je jugeai que je pouvais la recevoir sans scrupule pour le premier principe de la philosophie que je cherchais. » (*Discours sur la Méth.,* 4e partie.)

ARTICULUS TERTIUS.

De memoria.

I. Quid est memoria?

188. Non solùm percipimus phænomena nobis actualiter præsentia; sed etiam ea in mentem nostram servare et iterùm agnoscere possumus ope facultatis, quæ idcircò dicitur *memoria* et definiri solet : *Vis servandi conceptus olim habitos, eosque « recognoscendi. »* Ut ipsa conscientia, memoria versatur circà mentis affectiones et cogitationes; sed ab illâ differt, in eo quod facta *præterita* revocat, dùm conscientia facta tantummodò *præsentia* cognoscit.

II. Quid dicendum de vi memoriæ?

189. Memoria deficere potest; nam, ut experientiâ constat, vel affectiones olim habitas in mentem nostram revocare nequit, vel eos tantùm ex parte, aut obscurè et confusè restaurat. In multis tamen habenda est ut criterium veritatis. Undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Memoria, ex se et intrà limites objecti sui, est criterium certitudinis.

Probatur. — Illud est criterium, cujus ope veritas evidenter percipitur; atqui, sæpiùs, ope memoriæ, cognitiones olim habitæ evidenter percipiuntur; ergò, memoria est criterium certitudinis. Major ex dictis constat. Probatur minor. Non solùm ope sensûs intimi evidenter percipimus phænomena mentis interna, dolorem, gau-

dium, spem, timores; sed etiam ope memoriæ phænomena præterita revocamus iterumque simili modo cognoscimus; v. gr. nos olim talia vel talia fecisse, voluisse, amavisse. In his et in multis hujusmodi memoria nos fallere nequit; ergò, memoria est legitimum certitudinis motivum.

Aliundè, illud est criterium certitudinis, quo sublato, cognitiones jam habitas servare non possumus, nec idcircò scientiam propriè dictam seu seriem cognitionum acquirere. Sed, sublatâ memoriâ, tollitur omne medium cogitationes olim habitas iterùm agnoscendi, et proindè intellectus spoliatur adjumento sibi necessario. « Omnis disciplina memoriâ constat, ait Quintilianus, frustraque docemur, si quidquid audimus præterfluat. »

Prætereà, ut memoria certitudinem, eamque immediatam, nobis conferat, duo sufficiunt : 1°, affectiones habitæ servari debent in animâ; 2°, necesse est illas cognitiones iterùm cognosci posse. Sed, ex unâ parte, anima servare debet quasdam affectiones et cognitiones olim habitas; omnis enim substantia, modificatione quadam affecta, hanc modificationem servat, nisi obstet impedimentum. Ex alterâ parte, nihil vetat quominùs affectiones in animâ servatæ iterùm agnoscantur; si enim anima cognoscere potest ea, quæ sunt extrà seipsam, quarè non perciperet ea, quæ sunt in seipsâ?

III. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 190. Obj. I. Memoria fallax dicitur; ergò, non est criterium certitudinis.

Resp. *Distinguo antecedens :* Memoria est fallax, *per accidens, concedo; ex se, nego.* Id est, propter defectum attentionis et reflexionis, affirmare possumus ea, quorum memoriam seu recordationem non habemus; sed, defectus hujusmodi facilè

corrigi possunt, et memoria *ex se*, scilicet ex naturâ suâ, jurè dicitur criterium certitudinis.

Obj. II. Memoria ex se est labilis; multa quidem referre non potest, et alia nonnisi confusè restaurat. Ergò, ex se, memoria non est criterium certitudinis.

Resp. *Distinguo antecedens :* memoria est labilis, *quandoque, concedo; semper, nego.* Memoria enim, sicut et ipse intellectus, est finita et imperfecta; proindè, in nonnullis deficere potest; sed, exindè non sequitur memoriam non esse motivum certitudinis.

Obj. III. *Subsumo :* atqui, nullum est medium, quo secerni possit quandò memoria est verax; ergò, haberi nequit ut motivum certitudinis.

Resp. *Nego subsumptum.* Datur enim medium, quo secerni potest quandò memoriæ testimonium est verax, id est *evidentia*, seu criterium universale. Re quidem verâ, sæpè sæpiùs memoria nobis *evidentissimè* refert affectiones et cogitationes olim habitas, et de illius testimonio dubitare non possumus.*)

ARTICULUS QUARTUS.

De consensu generis humani.

I. Quid dicendum de consensu generis humani?

191. Alibi dictum est consensum humani generis, seu *commune judicium quod ferunt homines de veritatibus ad mores instruendos necessariis*, esse unum e fontibus veritatum, quæ ordinem philosophicum constituunt, duoque stabilita sunt principia; nempè : *Genus humanum, circà veritates nonnullas morales, universales, ad vitam componendam necessarias, in errorem invincibilem versari nequit; et : amor veri congenitus est hominibus.* In præsenti quæstione duo sunt dicenda : 1°, quænam sint dotes requisitæ, ut consensus generis humani, seu « *sensus*

communis naturæ, » haberi possit ut criterium certitudinis; 2°, utrùm, consensus generis humani, dotibus hujusmodi habitis, sit reapsè legitimum certitudinis motivum.

II. Quæ sunt dotes requisitæ, ut consensus generis humani possit esse motivum certitudinis?

192. Consensus generis humani debet esse *constans* et *universalis*, non *physicè*, sed *moraliter;* id est, maxima pars hominum, monstris quibusdam solùm exceptis, requiritur. *Objectum* autem hujusce consensus non est veritas merè speculativa, aut sensibus impervia, qualis est terræ solisque motus; omnes autem veritates ad vitæ securitatem et moralitatem directè spectantes, *existentia Supremi Numinis, criminum ultoris et virtutum remuneratoris, naturalia morum præcepta communi sensu hominum* cognosci debent.

III. Utrùm, consensus populorum, habitis conditionibus requisitis, est legitimum certitudinis motivum?

193. Indubium est consensum generis humani, si adsunt conditiones necessariæ, habendum esse ut motivum certitudinis, non *primarium*, nec a fortiori *unicum*, ut voluit de Lamennais, sed particulare seu secundarium. Undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Consensus populorum, requisitis conditionibus habitis, est legitimum certitudinis motivum.

Probatur ex naturâ consensûs. — Nam, ut consensus generalis omnium temporum atque gentium esse possit

infallibile judicandi motivum, duo *requiruntur* et *sufficiunt : objectivè* sumptus, id est *in se* debet esse unus e fontibus veritatum, quæ ordinem philosophicum constituunt; *quoad nos* autem, necesse est ut consensûs illius existentiam certò cognoscere possimus. Atqui, utrumque verum esse constat; ergò, consensus humani generis, dotibus requisitis vestitus, est infallibile certitudinis motivum. Prima pars ex dictis probatur; secunda verò nullam difficultatem præbet; sensuum enim auxilio, collocutione cum aliis hominibus, actionum et morum observatione, consensûs existentiam apprimè cognoscere possumus.

Item, ut loquamur cum Tullio (*Tuscul.*, I, 13) : « Omni in re omnium *gentium consensio lex naturæ putanda est;* » sed, omnes populi consentiunt in nonnullis veritatibus admittendis; ergò, consensio illa est lex naturæ, quæ idcircò habenda est ut motivum certitudinis, seu criterium veritatis.

Probatur etiam ex *objecto*, quod refert hominum consensus. — Videlicet, omnes homines errare non possunt de rebus maximi momenti, pravis cupiditatibus naturæ adversis, quæ nec ab *errore* communi, nec a *præjudiciis*, nec ab *educatione* originem habent. Atqui, tales sunt veritates, quæ hominum consensione referuntur, ut *existentia Dei, animæ immortalitas*, et aliæ similes. Ergò, circà veritates hujusmodi, omnes homines errare non possunt. Meritò igitur dicimus, post Aristotelem et Senecam : « quod naturale, illud commune est. Quidquid enim omnes homines quasi instinctu judicant, id naturaliter justum vel injustum est (Arist., *Rhet.*, l. I, c. XIII). » « Argumentum veritatis est, omnibus aliquid videri (Senec., *Epist.* 117). »

Undè, consensus populorum, intrà limites suos, est

motivum legitimum certitudinis, et hodierni philosophi *auctoritatem* generis humani in scientiis philosophicis et deinceps omnem auctoritatem falsò contemnunt, aut saltem deprimere nituntur.

IV. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 194. Obj. I. Hominum pars maxima fallitur circà veritates non paucas; ergò, consensus populorum haberi nequit ut motivum certitudinis.

Resp. *Distinguo antecedens:* homines falluntur circà veritates, quæ non possunt esse objectum consensûs populorum, *concedo;* talis est, ex. gr., motus solis et terræ. Sed, *nego* partem maximam hominum errare circà veritates morales, ad vitam componendam necessarias.

Obj. II. Genus humanum fallitur etiam circà veritates morales; ex. gr. homines credunt plures deos existere. Ergò, sensus communis non est lex naturæ.

Resp. Homines errare possunt circà *naturam* Dei et animæ, *concedo;* circà *existentiam, nego.* Undè, sensus communis quandoque habendus est ut lex naturæ et medium certitudinis. *)

ARTICULUS QUINTUS.

De Testimonio hominum.

I. Quid est Testimonium?

195. Testimonium, latissimè sumptum, est *signum sensibile*, *factum externum*, et, mediante facto, *veritatem aliquam nobis referens.*

Quandò signum illud est gestus, prolatio vocis aliaque similia, testimonium dicitur *orale;* quùm consistit in narratione scriptâ, cujus auxilio factum, in uno loco patratum, ubique divulgatur, testimonium dici solet *historicum;* si verò exprimitur opere quodam arte facto, qualia

sunt templa, statuæ, numismata, columnæ, testimonium, ut mos invaluit, vocatur *monumentale*. Testis autem dicitur *oculatus* vel *auritus*, prout factą, quæ refert, vel propriis oculis vidit, vel ab aliis accepit.

Testimonium nobis immediatè refert factum externum, sivè *humanum*, sivè *divinum;* at, mediante facto, veritas aliqua innotescit; sic, v. gr. miraculum est factum sensibile, in quo religionis divinitas, non testibus solùm oculatis, sed et *auritis*, *coævis* et *non coævis* elucet.

Stricto sensu, testimonium hominum est *narratio scripta* vel *oralis alĭcujus facti*. Proindè differt a consensu generis humani; consensio enim populorum est *judicium* de *veritate* quadam morali, et testimonium est *narratio* alicujus facti; prætereà, consensus non est legitimus, nisi sit *moraliter universalis*, dùm unus testis certitudinem nobis conferre potest, modò probetur eum non esse deceptum nec deceptorem.

II. **Quid sentiendum de utilitate testimonii** (1)?

196. Testimonium humanum validam opem affert rationi, et adjuvat philosophiæ progressum; non est scientiæ criterium ultimum, sed in multis intellectum ad veritatem perducit viâ *breviori*, *communiori*, *tutiori*.

Testimonium enim, sivè sit humanum, sivè sit divinum, est expressio sensibilis judiciorum et scientiæ aliorum hominum; aliquandò etiam Infinitæ Sapientiæ nos participes efficit. In junioribus rationis usum tempore præcedit, et, aiente sancto Augustino : « Divinâ providentiâ et ineffabili beneficentiâ geritur animæ medicina,

(1) Bossuet, *Discours sur l'histoire universelle;* Fénelon, *Lettre à l'Académie;* Baco, *De augm. scient.*, lib. II, c. v; d'Aguesseau, *Deuxième instruction à son fils;* Rollin, *Traité des études*, III, 1; Leibnitz, *Nouveaux essais*, l. IV, c. xvi; C. Sanseverino, *Compendium.*

quùm *auctoritas* præcedit, et rationi præparat hominem.»

Insuper, utilitas testimonii in dubium revocari nequit; nam, experientiâ constat et adversarii fatentur scientiæ progressum validè promoveri culturâ historiæ. Quod sanè verum est a fortiori de testimonio divino; multa quidem ignota, captum rationis humanæ superantia, revelatio nos edocet atque scientias lumine naturali comparatas illustrat et perficit.

Breviùs : testimonium est in multis via *brevior*, *communior*, et *tutior* ad veritatem inveniendam; insuper, cognitiones humanas *illustrat* et *perficit;* ergò, maximam opem affert ad scientiam philosophiæ comparandam atque perficiendam.

Quod testimonium sit via *brevior*, *communior* et *tutior*, facilè demonstrari potest ex dictis de Fide, apud sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, 2^a $2^æ$, q. 2, a. 4). Primò, est *via brevior*. Qui enim testimonio sivè humano, sivè divino nititur, citò pervenit ad veritatis cognitionem; qui autem ratiocinio utitur, « nonnisi post multum tempus vitæ suæ » pervenit ad cognitionem quarumdam veritatum. Ex. gr. « scientia ad quam pertinet probare Deum esse, et alia hujusmodi de Deo, ultimò hominibus addiscenda proponitur, *præsuppositis multis aliis scientiis*. » Secundò, est *via communior*. Nam, ut experientiâ constat, multi veritatem non agnoscunt nisi ope testimonii humani aut divini; et hoc propter tria; scilicet, « vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes et necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscendi. » Tertiò, est *via tutior*. Ratio enim humana etiam « de rebus humanis » in multis erravit, et philosophi « sibi ipsis contraria senserunt; » sed, « indubitata et certa cognitio » accipitur ope testimonii præsertim divini; nam, Deus « mentiri non potest. »

III. Utrùm testimonium sit motivum certitudinis?

197. De auctoritate divini magisterii tractandum est in capite sequenti; nunc ergò solùm agitur de vi seu « valore » testimonii hominum. Quùm autem hujusmodi testimonium sit *orale*, *historicum*, aut *monumentale*, tres sint etiam propositiones.

PRIMA PROPOSITIO.

Testimonium orale, quibusdam conditionibus habitis, est legitimum certitudinis motivum.

Ad vim testimonii oralis tria *requiruntur* et *sufficiunt:* testes non sint *decepti*, nec *deceptores*, nec, etiam si vellent, *decipere possint;* atqui tres istæ conditiones in multis inveniuntur; ergò, testimonium orale, his dotibus vestitum, est medium legitimum certitudinis. Major est evidens. Probatur minor. Sæpissimè testes non sunt *decepti;* factum enim est sensibus obvium et immediatè percipitur, uti Summi Pontificis existentia, mors cujusdam hominis, incendium Lutetiæ Parisiorum, et alia similia. Non sunt *deceptores*, quandò factum est maximi momenti, cupiditatibus et commodis oppositum; præcipuè, si fraus futura sit inutilis et noxia; tunc enim impossibile est homines, præsertim inter se divisos, fortuito casu vel inito pacto, mendacium sinè causâ proferre. Testes *decipere non possunt*, quoties alii fraudem certò detegerent: sic frustra, nostris diebus, Papam e vivis esse sublatum nuntiarent ephemerides, quià testes alii, probitatis famâ insigniores et fide digni, Summum Pontificem vivere nobis quotidiè referunt.

Vis testimonii oralis eadem est de factis *præteritis* ac de factis *coævis;* nam sæpè constat testes, quibus traditio

oralis coalescit, non esse deceptos neque deceptores, nec decipere posse. Testes enim vel sunt oculati, vel auriti, factorum coævi vel posteriores; atqui, sæpiùs in his et in illis error concipi nequit; scilicet, quùm agitur de factis gravissimi momenti, cupiditatibus et commodis hominum oppositis, quæ cæteroquin facilè cognosci possunt; ergò, testimonium orale, de factis coævis aut præteritis, dotibus assignatis munitum, est motivum certitudinis.

Sic etiam argumentari licet : Testes innumeri et fide digni referunt nobis facta *coæva* vel *præterita*. Sed, hujusmodi testimonia explicari non possunt nisi veritate factorum, quæ referuntur; nam, ex unâ parte, facta sunt cognitu facilia, gravis momenti, publica, cupiditatibus adversa; ex alterâ parte, testes sunt innumeri, probitatis famâ insignes, conscientiâ conspicui, nec decepti, nec deceptores. Ergò, testimonium orale potest esse motivum certitudinis.

Ope testimonii facta sive coæva sive præterita cognoscimus; undè, *traditionis* auctoritas non minuitur lapsu temporis, nec fides minor adhibenda est testi aurito quam oculato; et indè patet solutio difficultatum, quæ inveniuntur apud Locke, d'Alembert, Lacroix, Laplace et omnes scepticos historicos.

SECUNDA PROPOSITIO.

Testimonium historicum, requisitis dotibus vestitum, est motivum certitudinis legitimum.

Testimonium historicum *authenticum*, *integrum* et *verax*, nobis evidentiam confert et proindè certitudinem de factis relatis; atqui, sæpè constat librum esse veracem, integrum et authenticum; ergò, sæpè liber nobis evidentiam et certitudinem confert de factis in ipso narratis.

Liber ille dicitur *authenticus*, qui scriptus est ab auctore cui vulgò tribuitur, aut saltem assignato tempore prodiit ad lucem; qui verò pervenit ad nos absque gravi mutatione, vocatur *integer*, non absolutè, sed quoad *substantiam;* verax autem esse dicitur, qui vera narrat et describit.

Authenticitas alicujus libri duplici modo constare potest, signis *extrinsecis* et *intrinsecis;* extrinseca signa sunt *traditiones orales*, quarum vis astruitur in propositione præcedenti; intrinseca verò sunt *doctrina*, *stylus* et *mores*. Fatendum tamen hac viâ, signis scilicet intrinsecis, non nisi maximam probabilitatem sæpiùs obtineri; undè fautores Novæ Criticæ, qui rejiciunt aut deprimunt signa extrinseca, v. gr. Strauss et Renan, scepticismum historicum in multis logicè profiteri debent. Adversùs illos facilè probatur extrinseca signa sufficere, præsertim quùm agitur de factis gravissimi momenti, sensibus obviis, ad vitam et religionem populorum directè spectantibus; in his enim oralis traditio de libri cujusdam authenticitate dotibus requisitis vestitur, et nobis confert veram certitudinem.

De librorum integritate non est major difficultas; nam, alteratio, viventibus aut mortuis auctoribus, sæpissimè fit impossibilis; huic obsistunt *usus* librorum quotidianus, et *diffusio* variorum exemplarium, quæ conferri possunt cum suis textibus primigeniis, et *gravitas* factorum, quæ testimonio orali, monumentali et historico simul memorantur : « Un événement intéressant qui fait prendre la plume à un historien, met le ciseau à la main du sculpteur, le pinceau à la main du peintre, échauffe le génie de presque tous les artistes... Les peuples jaloux d'en perpétuer le souvenir, emploient le marbre et l'airain pour en transmettre la mémoire (Daunou). » Ergò, circà

facta gravissimi momenti, substantiam alicujus operis componentia, alteratio, vel interpolatio essentialis, fit impossibilis; ideò, constare potest librum esse integrum.

Militant eadem argumenta in gratiam veracitatis historiæ; nam, sæpissimè factum relatum tale est, ut narrator coætaneos omnes decipere, falsumque narrare non possit. Aliundè, præ se fert historia notas veracitatis intrinsecas, id est, auctoris qualitates, narrandi modum et in factis relatis unitatem; ergò, sæpè constat librum esse *veracem*, *integrum* et *authenticum*, et historia confert evidentiam et certitudinem de factis sive coævis, sive præteritis etiam remotissimis.

Propositio confirmatur argumento *præscriptionis*, quod facilè revocari potest, in præsenti casu, ad *argumentum inductivum*. « Ità apud jurisperitos vocatur, ait D. Brugère, quædam argumentandi ratio, quâ e *facto* possessionis concluditur ad *jus*, eò quod usurpatio sit ordinariè improbabilis aut etiam moraliter impossibilis. Eodem porrò argumentandi modo critici utuntur : iis verò ad decidendam litem non sufficit probabilitas, sed requiritur vera impossibilitas moralis. »

De *facto*, multi sunt libri qui fide constanti universalique tenentur ut authenticitate, integritate, veracitate donati, sed illa fides constans et universalis mutationi non fuit unquam obnoxia, nec illi *ratio sufficiens* alia potest assignari ac hujusmodi librorum auctoritas; ergò, vis historiæ, quatenùs motivum certitudinis, præscriptione vel *inductione* stabiliri potest.

TERTIA PROPOSITIO.

Testimonium monumentale, necessariis conditionibus habitis, est legitimum certitudinis motivum.

Monumentum, hominis arte confectum, qualia sunt ædificia, statuæ, templa, pyramides, inscriptiones, palatia, columnæ, non solùm evidentiam et certitudinem conferre, sed etiam progressui scientiarum et veritati opem maximam affere potest, ut experientiâ constat.

Reverà, monumentum factum aliquod et mediante facto veritatem commemorat, quià nullus est homo, tantâ pollens audaciâ, qui audeat adstruere monumentum, uti statuam, arcum triumphalem, inscriptiones (1), columnam, pyramides, in memoriam hominis penitùs ignoti, vel facti cujus falsitas nota sit omnibus. Sic apud nos, Ludovici quarti decimi et Henrici quarti monumenta non repræsentant heroes merè fictitios. Ergò, testimonium monumentale est aliquandò legitimum certitudinis motivum.

Aliundè, probata est vis testimonii oralis et historici; undè, *testimonium*, sive sit *orale*, sive *historicum*, sive *monumentale*, veritatem nobis conferre potest de factis coævis aut præteritis, et meritò dicitur certitudinis motivum.

(1) De inscriptionum vi et utilitate, lege D. Fortoul : « Souvent des inscriptions sont venues révéler des faits importants, qui avaient échappés à l'attention des écrivains occupés des grandes questions de l'histoire générale, ou éclairer d'un jour nouveau des faits déjà connus. C'est aux inscriptions que nous devons presque tout ce que nous savons sur l'organisation administrative de l'Empire romain. » D. Fortoul, *Circulaire;* 16 aprilis 1856.

IV. Quid dicendum de arte criticâ (1)?

(* 198. Testimonii vim et utilitatem *in genere* probavimus ; at in *praxi* regulæ particulares requiruntur, ut scepticismus historicus et cæca credulitas vitari possint, iisque judicium omne circà testimonia, cùm divina, tùm humana, subjiciendum est; undè gravitas, imò necessitas hujus quæstionis neminem fugiet.

Critica, græcè κριτική, a κρίνω *judico*, latissimè significat *judicium de qualibet hominum productione;* quatenùs haberi solet a philosophis, definitur : *Complexio regularum quæ dirigunt intellectum ad hominum productiones rectè judicandas.*

Objectum autem illius judicii triplex est, *verum, pulchrum* et *bonum;* undè, critica dividi potest in *philosophicam, æstheticam* et *nomologicam.* Ad hanc generalem partitionem omnes aliæ referuntur, ut *hermeneutica, philologia, poesis, litteratura, pictura, religio, sociologia, politica.*

Sæpiùs eædem productiones, qualia sunt monumenta, statuæ, columnæ, sub his diversis aspectibus *veri, pulchri* et *boni* spectantur; ex. gr. picturæ celeberrimi *Lesueur,* vulgo dicti *le Raphaël français,* triplicem qualitatem veritatis, pulchritudinis et bonitatis exhibent, nec minùs prodesse possunt philosopho et moralistæ quàm artistæ (2). In præsenti quæstione pars philo-

(1) Sanseverino, *Methodologia, Appendix;* Liberatore, *Logic., Appendix;* Antonius Genuensis, *Elementa artis logico-criticæ;* Ubaghs, *Logic.,* p. II, c. III; auctor *Compend. philos.* ad usum semin. edit. IX^{a}, p. 194; Contzen, *Logic.,* p. IV; Lenglet-Dufresnoy; Honoré de Sainte-Marie, Mabillon; adversùs Novam Criticen, DD. Dupanloup, *Avertissement aux pères de famille;* P. Félix, 1864, *Première Conférence :* et etiam Leclerc et Daunou, sed cautè legendi; Bénard et Jourdain, *Logique.*

(2) Hujus illustrissimi pictoris opera nostram assertionem confirmantia sunt præcipuè : *La vie de saint Bruno; l'histoire de saint Martin; l'histoire de saint Benoît; saint Paul guérissant les malades devant Néron; saint Paul prêchant à Ephèse; la salutation angélique; le martyre de saint Laurent; Tobie donnant des instructions à son fils; la descente de la croix.* — « Lesueur a été chrétien; il est le christianisme dans

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

sophica tantummodò tractatur, et etiam in istâ parte seligenda sunt summisque labiis delibanda quæ referri debent ad testimonium, præsertim historicum.

Inter eos qui tradiderunt regulas ad rectè judicandum de auctoritate testimonii, nonnulli tria præ oculis habuerunt, *rem* narratam, *subjectum* narrans, et *modum* narrandi. Communiter requirunt *ex parte rei narratæ*, ut sit in se *possibilis*, imò *verisimilis;* non videatur *fabulosa*, quales sunt poetarum fictiones et illusiones sensuum ac phantasiæ; factis aliundè cognitis non repugnet; moribus, præjudiciis et cupiditatibus non indulgeat; v. gr. victoriæ apud Tacitum relatæ moribus Romanorum prænimis favere videntur. Ista verò signa vocari solent *negativa;* requiruntur, at minimè sufficiunt; scilicet eorum absentia testimonii falsitatem probat, sed illorum sola præsentia veracitatem ejusdem testimonii stabilire nequit.

Ex parte narrantis, iidem auctores perpendunt an testis scientia sit sufficiens; utrùm ritè usus fuerit organis; si testificationes diversæ sint concordes; utrùm testis sit fide dignus: « Si quis semel pejeraverit, ait Tullius (*Pro Lig.*), ei credi posteà, etiamsi per plures Deos juret, non oportet. » Ità, qui proprio commodo, pravis affectibus et opinionibus præjudicatis favere studet, numero mendacium ascribitur; v. gr. Sleidanus, quem Carolus Quintus *mendacem suum* vocabat, et apud nos Saint-Simon, cæteroquin acutus ac in arte dicendi peritus.

Ex parte narrationis, respuunt critici nimiam acerbitatem, elegantiam et oblectationem, in citandis auctoribus infidelitatem, silentium consulto servatum in adversantibus, et aliquandò pseudonymum aut anonymum. Econtrà, narratio simplex, stylus naturalis, aliaque similia præ se ferunt signa veritatis et bonæ fidei characteres.

Alii verò testimonii valorem in praxi distinguunt indiciis in-

l'art. » V. Cousin, *Du beau, du vrai et du bien.* Eamdem veritatem evolvimus in opusculo cui titulus, *Aperçu sur l'art*, 1872. Alia porrigunt exempla Giotto, Le Pérugin, Michel-Ange, Raphaël, saltem ordinariè; isti nuncupantur indistinctè *theologi*, *philosophi*, *artistæ*. Vide *la Chapelle-Sixtine*, auctore de Sayn-Wittgenstein, Palmé, 1867.

ternis et externis. Inter quos eminet R. P. Liberatore, cujus verba referre liceat (Cf. *Logic.*, Append.).

« Quoad media interna.

I. Si liber aliqua habeat quæ non conveniunt tempori quo ipsum auctor scripsisse perhibetur; certè suppositus aut saltem interpolatus habendus erit. Multò magis id dicendum, si aliqua narrantur quæ posteriora sint ætati, quâ scriptor floruit.

II. Genuinus existimari non potest liber, cujus stylus maximè discrepat ab eo quo constat scriptorem constanter usum fuisse; nisi tamen materia aut finis aut alia adjuncta prudentem conjecturam præbeant stylum de industriâ fuisse mutatum...

III. Non leve suppositionis aut interpolationis indicium est differentia doctrinæ ab eâ, quam scriptor in aliis non dubiis suis operibus profitetur; nisi aliundè sciatur aut prudenter conjici possit auctorem mutasse sententiam...

IV. Nequit auctori adscribi liber, qui ab ejus moribus evidenter abhorreat. Sic opus levitate scatens aut impietate, viro gravi et pio adjudicari non potest.

V. Incorruptionis est argumentum, si omnes libri partes aptè conveniant inter se, aut si sententiæ, quæ in eo continentur, ad unguem respondeant testimoniis indè desumptis et citatis ab aliis auctoribus fide dignis. Si unum aut alterum desit, corruptionis prudens suspicio ingeritur. »

His dotibus intrinsecis, quæ parùm differunt a regulis aliorum, præcipuè doctoris Ubags, addit idem philosophus :

« Quoad indicia externa.

I. Summæ dementiæ esset habere pro suppositis aut corruptis libros, quos constans traditio, etiam sapientium, semper pro genuinis atque incorruptis habuit. Itemque stultum esset contrarium, in contrariâ hypothesi.

II. Liber, cujus autographus nomen auctoris ab eodem subscriptum præ se fert, sine ullâ dubitatione genuinus haberi debet.

III. Quod si, nullo exstante autographo, exemplaria indè derivata diversis auctoribus tributa esse reperiuntur, vetustiorum testimonium præferendum est, cæteris paribus.

IV. Si recentiores codices aliquid contineant, quo carent an-

tiquiores, interpolationis argumentum præbent. Si contrà aliquid in ipsis desideretur, quod in antiquioribus invenitur, mutationis vitio jurè arguuntur.

V. Ad integritatem et incorruptionem librorum discernendam, magni adjumenti est collatio plurium codicum, præsertim vetustiorum et in diversis locis existentium. Probabile enim non est omnes codices et ubique fuisse depravatos. »

Tales regulæ, quarum aliæ sunt *negativæ*, aliæ *positivæ*, sufficiunt ad authenticitatem et integritatem librorum invictè probandam; sed ut omnes testimonii dotes requisitæ simul in lucem prodeant, et potissimùm adversùs falsa systemata Germanorum, Tubingianorum et Gallorum, alia principia regulasve generales proponere necessarium videtur.

Mythismus, qui patronos habuit de Wette, Strauss et alios, præcipuè Germanos et Nova Critice, cujus fautores numerantur Baur, Bauer et Renan, cum Gallis nonnullis, in expositione systematis aliquatenùs differunt, ut infra videbitur; at in principiis universalibus et in consequentiis ultimis omninò consentiunt.

Omnes enim eamdem *methodum*, idem *criterium*, et eamdem *consequentiam* generalem admittunt; id est: 1, Viam *a priori*, *syntheticam* et *transcendentalem* frequenter excolunt in criticâ testimonii, sivè sit orale, historicum aut monumentale : dùm econtrà, methodus experimentalis, exclusâ synthesi, Positivistis arridet.

2, Iidem mythismi et Novæ Critices acerrimi defensores, electâ methodo syntheticâ, notis *intrinsecis* vim præcipuam concedunt, et rejectis aut habitis ut parvi momenti signis *extrinsecis*, authenticitatem, integritatem et veracitatem librorum a priori judicant; undè, philosophia transcendentalis et Critica subjiciuntur eidem *criterio*, nempe *judicio privato*.

3, Sed, miraculum, factum supernaturale, revelatio philosophiæ repugnant, juxtà Criticos, Hegelii discipulos; idcircò rejicitur a priori ut *authenticitate* carens, inquit Strauss, ut *integritate* seu *veracitate* spoliatus, aiunt Baur et Renan, omnis liber in quo factum supernaturale, seu miraculum narratur.

Adversùs hos mythismi et Criticæ magistros, tria principia tenenda sunt ut rationi et experientiæ consentanea.

I. *Methodus inductionis*, præsertim in criticâ testimonii, tum oralis, tum historici, methodo syntheticæ multò præstare videtur. Id est, e *facto* seu *testimonio* nunc extante proficisci debet philosophus, et gradatim ad *originem* ascendere, ut illius testimonii rationem sufficientem inveniat.

II. *Criteria extrinseca*, scilicet, traditiones orales, assensus hominum constans et universalis, fraudis impossibilitas, testium qualitates anteponuntur notis intrinsecis et sæpissimè, præsertim *rudioribus* et indoctis sufficiunt.

III. Factum, sivè naturale, sivè divinum, admittendum est ut verum, etiamsi rationis limites superet, quandò experientiæ constantis et universalis et traditionum, aliundè certò existentium, *rationem sufficientem solum* exhibere potest.

Hæc tria principia veræ critices elementa constituunt, et illis inniti debet qui veracitatem, integritatem et authenticitatem testimonii humani cognoscere et judicare desiderat.

Ex his manifestè apparet error D^i^ Cousin. Ille philosophus, doctrinis germanorum imbutus et plus æquo sanè laudatus a catholicis, methodum Hegelii transcendentalem a priori, non tantùm in scientiis metaphysicis, sed et in *historiâ* colendam esse voluit : « On le vit adopter avec une confiance étonnante les procédés sommaires de la science hégélienne, et construire les yeux fermés, non-seulement la philosophie de l'histoire, mais l'histoire elle-même, remplaçant ainsi l'investigation laborieuse des faits par la déduction rapide des idées (De Margerie, *Philos. Contemp.*). »

Ità distinguebat a priori tres periodos in humanitate, quià triplex est elementum, videlicet, *infinitum*, *finitum* et *relatio* finiti ad infinitum : « Il y a dans l'humanité trois éléments : l'infini, le fini, le rapport du fini à l'infini. Donc il doit y avoir, donc il y a, ni plus ni moins, trois époques correspondantes. »

Illud systema contradicit experientiæ simul et rationi; ergò, rejiciendum est ut falsum. Cæteroquin, ipse D. Cousin, labentibus annis, Hegelianismum deseruisse et ad meliorem frugem se recepisse visus est. *)

CAPUT QUARTUM.

DE ANALOGIA FIDEI ET RATIONIS.

I. Quomodo dividitur caput quartum, de analogia fidei et rationis?

(* 199. Prima pars Philosophiæ confecta est, si Logica solummodò spectatur relativè ad scientias, quæ rationis lumine comparantur; sed philosophus christianus ad altiora se erigit, et analogias fidei et rationis investigat. De illis analogiis duo sint articuli : 1^us^, de *criterio* revelationis divinæ, 2^us^, de mutuis *juribus* et *officiis* rationis et fidei.

ARTICULUS PRIMUS.

De criterio revelationis divinæ.

II. Utrùm, ope rationis, possibilitas et existentia revelationis demonstrari possunt?

200. Ratio humana *possibilitatem* revelationis demonstrare potest; sic enim ratiocinari possumus cum theologis : *revelatio*, seu manifestatio alicujus veritatis, a Deo facta præter ordinem naturæ consuetum, et ab homine accepta, propter auctoritatem Dei revelantis, est possibilis ex parte *Dei*, seu *Auctoris;* maximè enim convenit ut Creator omnipotens et optimus hominem doceat veritates, quæ captum rationis superant, aut nonnisi arduo labore addisci possunt. Revelatio est possibilis, ex parte *hominis*, seu *subjecti;* nam, omnes homines *immediatè*, vel *mediantibus* quibusdam hominibus, doceri possunt a Deo. Revelatio est possibilis ex parte *objecti*, seu *veritatis* revelatæ; vel enim veritas superat captum rationis humanæ, vel non : si priùs, existentiam hujus veritatis homines addiscere possunt; si

posteriùs, non est difficultas, eò quod homo accipere potest ope magisterii veritates, quæ captum rationis non superant. Revelatio est possibilis ex parte *modi;* Deus enim, quùm sit omnipotens, hominem alloqui potest et edocere sive signis externis, sive illuminatione internâ.

Ratio etiam demonstrare potest *existentiam* seu *factum* revelationis divinæ; v. gr. sic argumentari licet : Existit in orbe terrarum religio christiana, quæ constanti et universali fide tenetur ut a Deo revelata; quæ, vaticiniis prænuntiata et miraculis innixa penè innumeris, apud omnes gentes multis abhinc sæculis viget; quæ tandem, impietate grassante, nec minori lumine fulget, nec hostium furores et minas timere videtur. Quin etiam, nostris diebus, non tantùm in Gallià, sed et in aliis regionibus vita christiana velut ex effluvio prosilit, ut testantur piæ fidelium peregrinationes.

Sed, ratio sufficiens fidei constantis et universalis hominum de miraculorum existentiâ et divinitate religionis, est error aut veritas; atqui, priùs dici nequit; ergò, posteriùs admitti debet; error enim tùm ex parte rei, tùm ex parte subjecti fuit impossibilis. Agitur quidem de veritate maximi momenti, præjudiciis et cupiditatibus oppositâ; in se miraculum non est impossibile; aliundè, non minùs in factis supernaturalibus quàm in phænomenis naturæ, perceptio sensuum, dotibus requisitis vestita, veram certitudinem nobis conferre potest; insuper, hominum testimonium, in circumstantiis assignatis, errori obnoxium esse nequit, etiam in miraculis et revelatione divinâ referendis; ergò multotiès factorum etiam supernaturalium ratio sufficiens, et explicatio non est error communis.

Superstitio credentium et ignorantia non magis assignari possunt ut causæ fidei constantis et universalis ; etenim, quot et quanti sapientiâ, virtutibus et scientiâ notissimi numerantur inter viros, qui fidem eamdem profitentur! « Est-ce que, parmi ces intelligences que l'on juge inférieure, ait D. de Champagny, il ne faut pas compter les plus illustres savants des siècles passés, Newton, Euler, Leibnitz, Descartes, Pascal, Linné, et les plus illustres aussi de notre siècle, Cuvier, Ampère, Biot,

Blainville, Flourens, Récamier et tant d'autres qui sont encore au milieu de nous et dont les noms que je ne dois pas prononcer retentissent encore sous ses voûtes? (*Discours prononcé à l'Acad.*, 1873). » Insuper in fide sæculorum universali non fuit mutatio; quod probari potest argumentis ex historiâ desumptis; ergò, ex dictis infertur existentia revelationis et miraculorum, quibus divinitas hujus revelationis innotescit.

Alia in gratiam miraculorum afferri possunt argumenta; scilicet, authenticitas, integritas et veracitas librorum in quibus hæc miracula narrantur. Undè, sic argumentari licet : Factum, quod refertur in libris authenticis, integris et veracibus, est admittendum, sivè sit humanum, sivè divinum; atqui, talia sunt miracula in gratiam revelationis patrata; ergò, miracula et idcircò revelationis divinitas logicè demonstrari possunt.

Obj. Ex his apparet solutio difficultatis a quibusdam impiis allatæ : Major est, ait J.-J. Rousseau, testium numerus inter Deum et hominem; ergò, factum revelationis certò cognoscere non possumus.

Resp. Factum experientiâ universali probatum et in libris authenticis, integris ac veracibus consignatum, non attento tempore, semper et ubique verum est et ab omnibus admittendum.

III. Utrum revelatio semel inventa habenda est ut motivum certitudinis?

201. Legitimè deducitur revelationem semel inventam esse motivum infallibile certitudinis; nam, illud est certitudinis motivum infallibile quod nititur auctoritate divinâ; sed revelatio nititur auctoritate divinâ, seu potiùs est Dei testimonium; ergò, habenda est ut motivum infallibile certitudinis; « Deus (enim negare seipsum non (potest), nec verum vero contradicere (Concil. Vatic.). »

Illud cognoscendi medium duplici modo, testante Vaticano Concilio, rationem humanam illustrat et perficit : 1°, eam scilicet ab erroribus liberat et tuetur; 2°, multiplici cognitione instruit : « Neque solùm, inquit, fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, quùm recta

ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata, rerum divinarum scientiam excolat : fides verò rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici *cognitione* instruat. »

Fides, innixa testimonio divino, rationis impotentiam adjuvat etiam in veritatibus quæ captum humanum non superant, ut sunt creatio, animæ spiritualitas, immortalitas, attributa divina. Multas quoque nos edocet veritates impervias hominum rationi, ut sunt mysteria, Trinitas, Incarnatio, Redemptio, quæ mentis humanæ quidem limites excedunt, sed rationi non adversantur; undè, propositio sequens fuit legitimè damnata : « Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solùm nihil prodest, verùm etiam nocet hominis perfectioni (Syllab., prop. VI. ») Undè, breviùs : revelatio semel inventa est motivum certitudinis, etiam de veritatibus imperviis rationi humanæ; nam, divina revelatio est testimonium Entis summè perfecti; sed, Ens summè perfectum nec falli nec fallere potest.

Ex illâ propositione deducitur corollarium maximi momenti; scilicet, quùm aliqua doctrina prædicatur tanquam a Deo revelata, philosophus jus habet inquirendi vim argumentorum, quibus innititur illa revelatio; sed primariò non debet ipsam doctrinam ad rationis trutinam, ut aiunt, revocare. Idcircò, rejiciendus est error perniciosus Rationalistarum, qui contendunt omnes veritates, etiam mysteria divinitùs a Deo revelata perindè ac philosophiam esse tractanda (1).

IV. Expone et confuta Mythismum et Novam Criticen.

202. Inter philosophos qui factum revelationis et proindè ma-

(1) Ità passim in operibus V. Cousin. Inter amicos hujus philosophi, v. gr. Jouffroy, Damiron, de Rémusat, Garnier, J. Simon, Jacques, Lemoine, Lévêque, Janet, Saisset, alii vitâ cesserunt; alii methodum, emendatam ab ipso magistro, deseruerunt. Attamen Eclectici vocari solent, et Kantismum mitigatum, seu spiritualismum, ut aiunt, profitentur. Plerique sunt *rationalistæ* absoluti, ex. gr. J. Simon, *Religion*

gisterium divinum impugnant et nomine communi vocari solent *rationalistæ*, multi simpliciter dici possunt naturalistæ, alii mythismum et cæteri novam criticen excolunt. Ideò, rationalismus in præsenti quæstione triplicem formam induit, *Naturalismum*, *Mythismum* et *Novam Criticen*.

Naturalismus, qui omne factum divinum rejicit, naturæ viribus, vel arti magicæ tribuit miracula; juxtà eum « Omnes religionis veritates, ex nativâ humanæ rationis vi derivant. » De illo nihil dicemus; at mythismum et novam criticen, pro temporum necessitate, exponere et confutare necessarium videtur. Quatuor sunt dicenda : 1°, Historia mythismi et Novæ Critices; 2°, utriusque principia communia; 3°, unius et alterius differentia; 4°, confutatio logica.

1°, Historia mythismi et Novæ Critices.

Miraculorum existentiam et vim probantem in gratiam revelationis ab omnibus ferè philosophis alicujus nominis, antè sæculum proximè elapsum, admissas, impugnarunt increduli, serviles Voltarii sectatores; sed informem tantùm cumulaverunt objectionum congeriem, nihil aliud quam ignorantiæ seu malæ fidei characteres præ se ferentem. Nostris autem temporibus, de Wette, Neander, Kern, Tholuck, Weisse et potissimùm doctor Strauss, novum systema, scientiis transcendentalibus accommodatum, excoquere tentarunt, ut miracula factumque revelationis e medio tollerent. Strauss, natione Germanus, in libro famoso quem edidit anno 1835, omnia miracula fabulas esse seu mythos ostendere conatus est; undè, nomen *Mythismi*. Mythus in genere definiri potest : Narratio primò vera, sed lapsu temporum aucta et adornata; non est expressio facti, sed ideæ; v.

naturelle; P. Janet, qui dixit : « Nous ne pouvons oublier que si nous avons avec les théologiens des croyances communes, nous avons aussi des principes absolument différents. Comme eux nous croyons à Dieu et à l'âme; mais, pour eux, la liberté de penser est un crime; pour nous, c'est le droit et la vie, et nous aimons mieux l'erreur librement cherchée que la vérité servilement adoptée. » De idealismo mitigato vide opus V. Cousin, *Du Vrai, du Beau et du Bien.*

gr. : « Nous nommons mythe évangélique un récit qui se rapporte immédiatement ou médiatement à Jésus et que nous pouvons considérer, non comme l'expression d'un fait, mais comme celle d'une idée de ses partisans primitifs. » Historiæ primævæ facta numeranda sunt inter mythos, juxtà dictum Heynii : « A mythis omnis priscorum hominum cùm historia tùm philosophia procedit; » sed prætereà, quæ nonnisi longè post eventum fuere scripta, mythis ascribuntur.

Hujus systematis difficultates intellexerunt hodierni quidam increduli, qui, sub falso nomine Novæ Critices, renovarunt vetus portentum scholæ neoplatonicæ, cujus regulas exposuit D. Schérer. Præcipuos habuit fautores Tubingianum Baur et D. Renan, quibus sociare licet Bauer, Vacherot, Schérer, Havet. Extrà Novam Criticen, aiunt, scientia nequit existere : « Il n'y a plus de philosophie vraiment vivante et actuelle que celle qui procède de la grande école critique du dernier siècle. Tout ce qui précède cette révolution est mort. »

2°, Mythismi et Novæ Criticæ principia communia.

Mythismus et Nova Critice communem originem sumunt in philosophiâ transcendentali Germaniæ, et in tribus præcipuè consentiunt, ut dictum est suprà; scilicet :

(A.) Methodum *a priori* syntheticam, non solùm in veritatibus rationis puræ, sed etiam in historiæ factorumque divinorum criticâ, potiùs adhibendam esse contendunt.

(B.) Signa veracitatis, integritatis et authenticitatis extrinseca minimè sufficiunt; notis autem intrinsecis, ex materiâ formaque testimoniorum desumptis, fidem præbere debemus; undè, critica subjici debet iisdem regulis quam philosophia transcendentalis, illiusque verum *criterium* est *judicium privatum* a protestantismo mutuatum.

(C.) Sed miraculum et revelatio, juxtà eos, repugnant rationi; proindè, factum supernaturale rejiciendum est a priori : « L'essence de la critique, ait D. Renan, est la négation du surnaturel (1). »

(1) Strauss, nuper e vivis sublatus, febr. 1874, dixit : « Dieu ne

Ideò, Mythismus et Nova Critice scientiis theologicis adversantur, et omnis religio divinitùs a Deo revelata, præcipuè dogmata mentem humanam ad inanem empirismum propellunt : « Dans les études historiques, en particulier, que j'envisage comme fournissant les vraies bases de la science de l'humanité, il est clair qu'une grande indépendance de la théologie est nécessaire, puisque l'esprit de la théologie est justement l'inverse de celui de la vraie critique, et que l'histoire, en subissant le joug d'un dogme religieux, se condamne ou à une partialité avouée, où *à l'empirisme vulgaire* qui, sous les faits matériels, ne sait pas saisir l'esprit (Renan, *Essai de Morale*). »

3°, Mythismi et Novæ Criticæ differentia.

In nonnullis autem differunt Mythismus et Nova Critice. Strauss quatuor assignat conditiones ut factum inter mythos ablegari possit : factum scientiæ contradicat, ex. gr. miraculum; narrationes sibimetipsis opponantur; narratio sit poetica vel enthusiasta; factum narratum quibusdam opinionibus communiter acceptis conveniat. Duo signa priora, quæ vocantur « *negativa*, » critici saltem ad sensum admittunt; ultima verò, quæ sunt « *positiva*, » specialiter mythis historicis et philosophicis competunt.

Sed mythismus et criticè præcipuè dissentiunt in eò, quod prior *authenticitatem* sacrorum librorum rejicere contendit; dùm critice eorumdem *veracitatem* et *integritatem impugnat*, ut vi-

peut s'incarner dans un homme; mais il est dans l'espèce humaine; voici la clef de la vraie christologie. » *Vie de Jésus*. Ita Ferd., Chris. Baur, Schwegler, Zeller, Ritschl, Wolkmar, Wette, Ovald, Eichorn, Grast, Marsh. — « Jusqu'à nouvel ordre, nous maintenons ce principe de critique historique, qu'un récit surnaturel ne peut être admis comme tel, qu'il implique toujours crédulité ou imposture, que le devoir de l'historien est de l'interpréter et de rechercher quelle part de vérité, quelle part d'erreur il peut recéler (Renan, *Vie de Jésus*). » Idem auctor, de contradictionibus non curans, miraculi possibilitatem non semel profiteri videtur : « Nous ne disons pas : « Le miracle est impossible; » nous disons : « Il n'y a pas eu jusqu'ici de miracle constaté. »

dere est in operibus D[i] Renan (1), et apud Baur, criticismi patronum in scholâ Tubingianâ.

Altera quoque differentia desumitur ex parte narrationis. Juxtà Strauss, fabula, poesis et enthusiasmus in narratione factorum divinorum subrepunt; critici verò narratores mendacibus, arti præstigiosæ vel magiæ deditis, assimilant.

In eo quoque differt a mythismo criticismus E. Renan, quod dici potest *æsthetica transcendentalis* potiùs quam systema philosophicum, iisdem principiis innixum. Contradictiones etiam pullulant in operibus ejusdem auctoris. Quinimò, sæpiùs auctor ille, religionem odio prosequens, argumentis jocosis, ut criticismi vim astruat, utitur; v. gr. quis eum talia proferentem non miraretur : « L'extinction de l'esprit critique amène nécessairement le béotisme ou la frivolité, qui marquent la fin de toute moralité sérieuse. » Et alibi : « L'histoire n'a pas quarante ans et se rattache à une série d'études qui se continue et s'achève sous nos yeux. » Addit etiam fratres ordinis sancti Benedicti veram historiam ignorasse; reverà : « Pour construire l'histoire,..... le concours de l'homme du monde et de l'homme politique est nécessaire. »

4°, Mythismi et Criticæ confutatio.

Mythismus et Critica passim in decursu tractatûs confutantur; hic igitur pauca sunt dicenda. Rejicitur utrumque systema propter allatas rationes, scilicet :

(1) « En somme j'admets comme *authentiques* les quatre Evangiles canoniques, » Renan, *Vie de Jésus;* sed addit adversùs *integritatem :* « (Les textes évangéliques) jouirent de peu d'autorité durant près de cent ans. On ne se faisait nul scrupule d'y insérer des paragraphes, de combiner diversement des récits, de les compléter les uns par les autres. Le pauvre homme qui n'a qu'un livre veut qu'il contienne ce qui lui va au cœur. On se prêtait ces petits livrets; chacun transcrivait en marge de son exemplaire les mots, les paroles qu'il trouvait ailleurs et qui le touchaient. » *Loc. cit.* « Les évangiles sont des biographies légendaires. » *Ibidem.* « Que les Evangiles soient en partie légendaires, c'est ce qui est évident, puisqu'ils sont pleins de miracles et de surnaturel. » *Loc. cit.*

Factum supernaturale, seu miraculum in se non est impossibile; nam, effatum inductionis, *transacto futurum erit consimile*, non est absolutum, et axiomatibus ordinis metaphysici, *duo duoque dant quatuor, idem non potest simul esse et non esse*, comparari nequit (Cf. n. 125).

Perceptio sensuum et testimonium legitima sunt motiva certitudinis, et in relatione factorum, sive sint humana, sive divina, constare potest aliquando testes non esse deceptos, seu « hallucinatos, » neque deceptores.

Methodus a priori synthetica Mythismi et Novæ critices contradicit experientiæ, et, ad vim historiæ judicandam, inductionis via, non exclusâ synthesi, potiùs adhibetur (Cf. n. 198).

Aliundè, Mythismus et Critice seriâ confutatione non indigent; in his enim contradictiones pullulant. Strauss authenticitatem Evangelii secundum Joannem, anteà rejectam, negare non audet in editione tertiâ *vitæ Jesu*, sicque tendit ad novam criticen; econtrà, Renan in editione tredecimâ libri cui titulus, *Vie de Jésus*, authenticitatem hujus Evangelii priùs admissam rejiciens, mythismo dexteram porrigit.

Hinc, 1°, Summus Pontifex meritò damnavit sequentem propositionem : « Prophetiæ et miracula in Sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libri *mythica* continentur inventa; ipseque Jesus Christus est *mythica fictio*. » Hinc, 2°, Concilium Vaticanum eosdem errores legitimè damnavit in definitione solemni : « Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacrâ Scripturâ contentas, inter *fabulas* vel *mythos* ablegandas esse, aut miracula certò cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem ritè probari; anathema sit. » In hac definitione miraculorum possibilitas, existentia, cognoscibilitas et vis astruuntur. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De mutuis juribus et officiis rationis et fidei (1).

I. Quid sentiunt rationalistæ de analogiis fidei et rationis?

(* 203. Ratio possibilitatem et existentiam revelationis ritè demonstrat; revelatio autem semel inventa est motivum certitudinis. Undè, meritò inferre possumus fidem et rationem habere jura et officia, necnon opem mutuam sibi præbere. Analogias autem hujusmodi non admittunt rationalistæ, quorum difficultas his verbis aliisve similibus exprimitur : Revelatio rationi, philosophiæ theologia, progressui fides adversatur; undè philosophia tractanda est, « nullâ supernaturalis revelationis habitâ ratione. »

Error ille non est recens, et in primævis Ecclesiæ sæculis, testantibus Justino, Clemente Alexandrino, Athenagorâ, Minutio Felice, Arnobio multisque Patribus, non defuêre qui, *nomine rationis*, homines a fide Christi avertere connisi sunt; sed idem error, ætate præsenti, communis est ferè omnibus philosophis, quos impuguavimus in decursu Logicæ.

Hanc difficultem peregregiè solvit Concilium Vaticanum, cujus verba referri possunt ad ista : fides et ratio distinguuntur et duplicem cognitionum ordinem instituunt. Fides est suprà rationem, sed fides et ratio inter se dissidere non possunt; imò fides et ratio sibi mutuam opem ferunt. Ratio fidei fundamenta demonstrat, dùm fides rationem multiplici cognitione instruit; ratio, lumine fidei illustrata, scientiam rerum divinarum excolit, et fides rationem ab erroribus liberat. Objectum a fide proposi-

(1) Inter alios consulere potes R. P. Perrone, *De analogiâ fidei et rationis;* R. P. Matignon, *La liberté de l'esprit humain dans la foi catholique,* 1864; R. P. Monsabré, *Rationalisme contre Radicalisme;* R. P. Caussette, *Le bon sens de la foi,* 1870; Leibnitz, *De conformitate fidei cum ratione.*

tum mutari nequit, sed cognitio rationis crescere potest ac augeri. Hæc omnia fusiùs evolvere liceat.

II. Quid dicendum de rationis juribus et officiis?

204. *Ratio*, quæ non est specialis facultas, sed intellectus ipse, quatenùs virtute propriâ, diversis operationibus, præcipuè judicio et *ratiocinio*, veritatem assequitur, non paucas ordinis philosophici cognitiones acquirere potest etiam sinè fide. Idcircò, non solùm veteres ac recentiores sceptici, sed et multi reformatores de vi rationis erraverunt : « Reformatores, ait Leibnitzius, ac Lutherus præcipuè, locuti quandoque sunt, quasi philosophiam omninò rejecerint, fideique inimicam esse judicaverint. » Ità philosophi qui nomine communi traditionalistæ vocantur, et etiam nonnulli naturalistæ, v. gr. materialistæ, positivistæ, rationis jura vel existentiam impugnant. Rationalistæ verò quam plurimi revelationem divinam rejiciunt, ut regnum et « independentia » rationis stabiliri possint.

Adversùs errores prædictos legitimè deducuntur ex dictis conclusiones istæ :

Prima conclusio : humana ratio, suâ virtute nativâ, multas veritates ordinis empirici et philosophici, sinè fidei auxilio, comparare potest. Nam, intellectus est capax veritatem assequendi, mediis utens requisitis, et de facto multa cognoscit sinè fidei adjumento : talia sunt, juxta sanctum Doctorem, « præambula ad articulos fidei. »

Secunda conclusio : Ratio humana fidei fundamenta demonstrare potest, et, etiam in rudioribus, fides non est cæca credulitas. Revelationis enim notæ decretoriæ sunt prophetiæ, miracula, sanctitas, mira religionis in orbe terrarum diffusio ; sed intellectus, id est ratio humana, de miraculorum aliorumque factorum supernaturalium existentiâ veram certitudinem comparare potest; ergò, ratio humana fidei fundamenta demonstrare potest, et, etiam in rudioribus, fides non est cæca credulitas.

Tertia conclusio : Etsi fides et ratio simul existant in homine christiano, rationis usus fidem præcedit. Vix opus est hanc conclusionem exponere; nam, eò quod ratio fundamenta fidei de-

monstrat, sequitur usum rationis fidem, quoad tempus, necessariò præcedere.

Obj. Sed objiciunt aliqui : Si rationis usus fidem præcedat, dubium in materiâ fidei esset legitimum ; sed, dubium in materiâ fidei est rejiciendum ; ergò, rationis usus fidem præcedere nequit.

Resp. Negatur major, et idcircò falsum est consequens. Philosophus qui fidei argumenta *explicitè* cognoscere desiderat, non necessariò veritates revelatas in dubium revocare debet. Sic, ope rationis inquirimus miraculorum existentiam et auctoritatem ; attamen divinam Christi missionem nequaquam in dubium revocamus ; nec illa sapiens investigatio simplicitati fidei contradicit, aliter enim Ecclesiæ patres et doctores, « qui tot vigiliis laboribusque rem christianam adjuvarunt (Perrone), » essent damnandi.

Quarta conclusio : Ratio humana, suis limitibus conscripta, libertate gaudet et non adversatur progressui legitimo. Rationis libertas defluit ex ipsâ philosophiæ naturâ ; nam, philosophia dicitur scientia ex *ratione ;* atqui, sine libertate legitimâ, non esset scientia rationis, sed *auctoritatis*. Progressus, etiam post lapsum humanitatis, legibus viribusque rationis non repugnat ; nam, intellectus, qui primùm, respectu veritatis, est tantùm in potentiâ, mox ad actum prosilit et deinceps perfici potest ac augeri.

Rationis humanæ libertatem et progressum agnoscit Ecclesia : « Nec sanè ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinæ in suo quæque *ambitu* propriis utantur principiis et propriâ methodo ; sed justam hanc *libertatem* agnoscens, id sedulò cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea, quæ sunt fidei, occupent et perturbent... *Crescat* igitur et multum vehementerque *proficiat*, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia ; sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententiâ (Concil. Vatic.). » Ratio justâ *libertate* fruitur, *crescere* potest ac *proficere*, ut ait Sacrosanctum Concilium, sed fines proprios transgredi non debet ; undè :

Quinta conclusio : Rationis licentia, progressus infinitus et independentia rejiciuntur. *Licentia* prohibetur, quià non est libertas, sed libertatis abusus : « Être libre sans une loi, ait ipse Julius Simon, c'est être abandonné. La vraie liberté, celle qui fait de l'homme une image de Dieu, c'est la liberté réglée, dominée, sanctifiée, réalisée par la loi morale... Qu'est-ce que la pensée vague, sans direction, reflétant comme dans un prisme tous les phénomènes du monde, accueillant la vérité et l'erreur sans discernement, et se laissant couler au hasard comme une source qui s'épanche? Cette pensée est un rêve (*La liberté de conscience*, lect. IV, p. 301). »

Progressus infinitus est impossibilis; illi enim opponuntur rationis humanæ limites. A fortiori falsus est progressus qui revelationi divinæ contradicit, et cum eo Summus Pontifex non potest « sese reconciliare et componere (Syllabus). »

Etsi ratio humana, in suo ambitu propriisque finibus libertate gaudeat, non est *independens,* quià fides rationem superat, et ejus errores corrigere debet.

III. Quid dicendum de fidei juribus et officiis?

205. Ex dictis tres conclusiones deduci possunt de fidei juribus et officiis.

1°, Fides multis cognitionibus, quæ captum hominum excedunt, rationem instruit. Ad hoc requiritur et sufficit ut existant veritates hominis captum superantes; ut eas Deus nos edocere possit; ut hujusmodi veritates a Deo revelatas certò cognoscere possimus; atqui hæc tria constant; ergò, fides multis cognitionibus, quæ captum hominis excedunt, rationem instruit. Probatur minor. Intellectus non est infinitus; sed econtrà, veritas objectivè sumpta est æterna, necessaria, infinita; proindè multas veritates ignoramus. Deus autem, scilicet Intelligentia Infinita, veritates illas apprimè cognoscens, earum existentiam hominibus manifestare potest et signis internis aut externis revelare. Talia sunt mysteria Sanctissimæ Trinitatis. Incarnationis ac Redemptionis, quæ non minus certè quam Dei existentiam, animæ spiritualitatem et immortalitatem agnoscimus.

2°, Fides, et in principio, et in objecto, et in certitudine, est suprâ rationem, et ab istà corrigi non debet. Fides rationem superat in suo principio; nam, fides cognoscit lumine supernaturali, et ratio lumine naturali. Objectum fidei, præter veritates ordinis empirici et philosophici, complectitur mysteria, quæ, nisi sint revelata, cognosci non possunt. Fidei certitudo, non humanâ, sed divinâ veracitate ultimò reponitur, non est errori obnoxia; Deus enim « seipsum negare non potest, nec verum vero unquam contradicere. »

Hinc, meritò damnatur sequens propositio : « Divina revelatio est imperfecta et idcircò subjecta continuo et indefinito progressui qui humanæ rationis progressioni respondeat (Syllabus). »

3°, Fides rationis progressum non impedit, sed illius errores corrigit, saltem in eis quæ directè vel indirectè revelationem attingunt. Hæc gravissima quæstio in dubium revocari nequit, et tùm experientiâ, tùm auctoritate confirmatur. Quinimò, testante Concilio Vaticano, progressum non infinitum in sensu Rationalistarum, sed realem et sanum, fides « juvat atque promovet, » ut dictum est suprà. Rationem etiam ab erroribus liberat, et cavet ne ultrà proprios limites progrediatur. Undè, falsa est positio Rationalistarum, juxtà quam « Ecclesia non solùm non debet in philosophiam unquam animadvertere, verùm etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat (Syllabus). »

Verumtamen Ecclesia de rebus ad fidem nec directè nec indirectè spectantibus, non curat; ex his sunt multæ quæstiones astronomiæ, physicæ, aliarumque scientiarum ordinis naturalis. Differunt etiam fides et ratio in ordine quo procedunt; ratio e creaturis tendit ad Deum, et fides, quæ ratione perfectior est, e consideratione Dei descendit ad creaturas : « Non eodem ordine utraque doctrina procedit, ait S. Thomas : nam in doctrinâ philosophiæ, quæ creaturas secundùm se considerat, et ex eis in Dei cognitionem perducit, prima est consideratio de creaturis, et ultima de Deo. In doctrinâ verò fidei, quæ creaturas nonnisi in ordine ad Deum considerat, primò est consideratio Dei et postmodùm creaturarum, et sic est perfectior, utpotè Dei

cognitioni similior, qui seipsum cognoscens alia intuetur (*Sum. contrà* Gent., P. II, c. IV).

IV. Quid dicendum de mutuo fidei et rationis auxilio?

206. Jus et officium fidei rationisque breviter exposuimus, juxtà mentem Ecclesiæ; pauca tantùm addemus, ut magis ac magis innotescant fidei et rationis analogiæ.

De facto, fides et ratio sibi mutuam opem ferunt : « neque solùm fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, ait Concilium Vaticanum, sed opem quoque sibi mutuam ferunt. » Undè, « inanis... contradictionis species indè potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. » Illa Sacrosancti Concilii verba duplici assertione confirmari possunt.

Prima assertio : Nunquam geologus, physicus, historicus, philosophus factum vel minimum, in quo fides et ratio inter se dissiderent, afferre potuerunt.

Secunda assertio : quo perfectior est scientia, eò magis analogiæ, concordia, mutuumque fidei et rationis auxilium in lucem prodeunt.

In gratiam harum propositionum militant præsentis ætatis auctores non spernendi, qui promoverunt scientiarum ordinis naturalis progressum et diffusionem. Aliundè, omnes rationalistarum objectiones, libelli deistarum sæculi proximè elapsi, materialistarum et positivistarum opera quotidianis experientiis confutantur. Ex his sunt recentiorum experientiæ de humani generis origine, de generationibus quæ dicuntur « *spontaneæ*, » de creatione variisque modificationibus orbis terræ.

Item, ut paululùm attendenti constat, fides rationis errores in multis correxit, et revelatio veritates etiam ordinis philosophici, omnibus ferè hominibus ignotas, manifestavit; nam, etsi fides essentialiter a ratione distinguatur, scientia tamen et fides de eodem objecto possunt haberi : « Sivè igitur diversa spectemus principia ex quibus eædem veritates dimanant, ait doctis-

simus Perrone, sivè earumdem naturam, sivè denique sentiendi et agendi rationem quam Ecclesiæ Patres et doctores tenuerunt, patet quod proposuimus, posse videlicet de uno et eodem objecto scientiam simul ac fidem haberi (*De Loc. Theol.*). »

Meritò igitur asserimus fidem et rationem inter se non dissidere, sed sibi mutuam opem afferre; proindè scientiam veram atque completam, progressum hodiernæ societatis rationisque sanam libertatem in lumine revelationis et assensu fidei validum, et moraliter necessarium invenire auxilium (1).

« Crescat igitur et multum vehementerque *proficiat*, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in *suo* duntaxat *genere*, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententiâ (Concil. Vatic.). »

Tandemque fulgeant dies illi felices, diù desiderati et ab illustrissimo viro prænuntiati : « Nous la verrons, inquit J. de Maistre, la superbe alliance de la religion et de la science; ils reviendront ces beaux jours du monde, où toute science remontait à sa source (*Les délais de la justice divine*). » *)

(1) De auxilio quod rationi præstat fides, scripsit R. P. Matignon : « Pourquoi donc, ô philosophes, défendez-vous à la révélation de venir s'ajouter aux vues trop courtes de la nature? Quoi! vous êtes inondés de sa lumière, et vous révoquez en doute sa possibilité! Vous discutez sur l'existence du soleil alors que ses rayons éclairent pour vous toutes choses; ah! c'est en vain que vous épaississez sur vos têtes le nuage des préjugés aveugles et les ombres volontaires de votre docte ignorance, l'astre que Dieu a fait briller pour vous, perce tous ces brouillards, et vous force à confesser, malgré vous, son action bienfaisante sur le monde. » *La liberté de l'esprit humain dans la foi catholique*, p. 322.

I.

ONTOLOGIA.

DE ONTOLOGIÆ NATURA ET DIVISIONE.

I. Quid est Ontologia quoad nomen?

1. *Ontologia*, quæ dici solet apud veteres *Metaphysica generalis*, ut secerni possit a metaphysicâ speciali, est pars philosophiæ realis, disserens de ente in se inspecto et de illius attributis, in quantum sunt omnibus communia (1).

Quoad nomen, Ontologia eruitur e vocibus græcis ὄν et λόγος; id est, *scientia* de *esse* seu de *ente*. His verbis

(1) Positivista E. Littré falsò contendit Ontologiam esse Metaphysicæ synonymiam : « Ontologie, théorie de l'être, science de l'être; c'est en général le synonyme de métaphysique. » *Diction. de la langue française*, t. II, p. 827. Ontologia est pars Metaphysicæ; sed Metaphysicam integram non complectitur. Wolfius prior inter philosophos eâ voce, *Ontologia*, usus est ad designandam partem Metaphysicæ generalem. Cf. *Corpus philosophiæ*, 1728-1746. Gioberti Metaphysicam generalem appellat *Protologiam;* alii autem eam vocant *Ideologiam;* ex. gr. de Tracy, *Éléments d'Idéologie*.

exprimuntur objectum et excellentia hujus partis philosophiæ; videlicet, altissimas et omnibus communes, necnon supremas ac nobilissimas entis rationes ut objecta speculatur. Eâ de re aptissima est ad acuendum animi ingenium, ad obturandam viam erroribus, et ad sanandam materialismi luem, qua jamdiù fœdantur scientiæ naturales et philosophicæ (S. Thom., IV *Metaphys.*, lect. 1) (1).

II. Quid est Ontologia quoad rem?

2. Quoad rem, *Ontologia* rectè definiri potest : *Pars philosophiæ realis, quæ ens in se et quatenùs omnibus commune speculatur.*

Dicitur *pars philosophiæ realis;* et ideò non est, ut falsò contendunt positivistæ, extrà scientias ableganda. *Ens in se* contemplatur; et ità discrepat a Logicâ, quæ tradit regulas ad verum assequendum, seu disponit actus diversos rationis et alia media, quibus utimur ad rectè judicandum. Ontologia inspicit ens *quatenùs est omnibus commune;* et sic differt a Cosmologiâ, Psycologiâ et Theodiceâ, quæ speciatim de mundo, de mente humanâ et de Deo disserunt. Pars illa philosophiæ est quasi synthesis amplissima, in quâ *speculamur* supremas, altissimas, et maximè communes entis rationes seu principia. « Considerat ens et ea, quæ consequuntur ipsum, » ut ait sanctus Thomas (*In Metaphys.*, Procem.).

(* Nota : Ontologistæ nonnulli hanc partem philosophiæ definiunt : « veritatem spectatam ut legem seu formam cogitatio-

(1) Secundum E. Littré, « les notions absolues ne sont susceptibles ni de démonstration, ni de réfutation. » *Conservation*, p. 38. H. Taine asserit scientiam metaphysicam nondum existere; sed addit : « Nous sommes au seuil de la Métaphysique; à mon sens elle n'est pas impossible. » *De l'Intelligence*, l. IV, t. II, p. 492.

nis. » Ea definitio admitti nequit; Ontologiam enim non discriminat a ceteris scientiis; nam omnes versantur circà veritatem. Insuper, illa definitio et aliæ similes non exhibent objectum Ontologiæ proprium; hæc enim scientia non aspicit ens in quantùm dicitur forma subjecti cogitantis, sed quatenùs est in se, *objectivè* sumptum. *)

III. Quod est objectum Ontologiæ?

3. Ut apparet ex dictis, objectum adæquatum Ontologiæ est *ens*, non *logicè*, seu in quantùm afficit subjectum cogitans, nec etiam in quantùm terminatur ad rem unam aut alteram; sed quatenùs est *in se*, et *omnibus commune;* notio quidem entis sub duplici respectu considerari potest : 1°, *subjectivè et abstractè*, in quantùm est in intellectu, a quo concipitur; 2°, *objectivè et concretè*, quatenùs habet fundamentum seu realitatem in rebus. Porrò, in Ontologiâ ens objectivè sumitur (1); quod sedulò notandum est, ut ea pars philosophiæ secernatur a Logicâ.

Prætereà, ens in se et objectivè sumptum considerari potest in rebus ipsis particularibus; ex. gr. dicimus lapidem, plantam, animal, hominem, Deum esse *ens*. Scientiæ verò speciales de ente sic sumpto disserunt. Sed ens etiam considerari potest « sine hac vel illâ substantiâ; » nempè, speculari possumus ens *in se* et *in commune;* quod est objectum adæquatum Ontologiæ. « In quantùm (substantiæ) sunt talis vel talis substantia, ut leo vel bos, inquit sanctus Thomas (IV *Metaphys.*, lect. 1), pertinent

(1) (Cf. *Logic.*, n. 114). Sanctus Thomas, cum Aristotele, distinguit « ens rationis, » quod pertinet ad ordinem idealem, et « ens naturæ, » de quo Metaphysica disserit; additque S. Doctor ens logicum et ens naturæ *quodammodò* « æquiparari; » undè, objectum totius Philosophiæ est ens sub *diverso respectu* habitum. *Metaphys.*, lib. IV, lect. 1.

ad scientias speciales, » Metaphysica autem generalis « ens » in genere « considerat, « seu ea, « quæ sunt *omnium communia.* »

IV. Quid dicendum de Ontologiæ historiâ?

4. Ontologia, quam Aristoteles vocavit *Philosophiam primam*, et quæ posteà dicta est *Metaphysica generalis*, maximo in honore fuit apud veteres, et præsertim in academiis Ævi-Medii.

Sæculis autem proximè elapsis, multi post Baconem, scientiis experimentalibus, aut, duce Cartesio, observationi psychologicæ præcipuè studuerunt, et quæstiones ontologicas habuerunt ut subtilitates vanas et inutiles. Undè, mos paulatim invaluit in scholis notiones Ontologiæ penitùs omittendi, aut solùm explanandi, ut fit pro lexicorum vocabulis.

In gymnasiis hodiernis, ea pars philosophiæ, quæ meritò dicitur totius metaphysicæ janua et fundamentum, non habetur nisi ut quoddam Theodiceæ præambulum. In seminariis autem Ontologia tractari solet eâ diligentiâ, quæ in rebus hujus momenti adhibenda est.

V. Quomodo Ontologia dividi potest?

5. Objectum Ontologiæ sub triplici respectu considerari potest : quæritur, 1°, *quid sit ens;* 2°, quænam sint entis *proprietates* omnibus communes; 3°, quomodò ens *dividi* possit in *categorias generales*, quæ dicuntur *suprema* rerum *genera.*

Ontologia igitur rectè dividi potest in tres partes : prima disserit de *entis notione;* secunda, de *entis proprietatibus;* tertia, de *entium categoriis.* Ut alibi dictum est (Procem., n. 10), prima pars dirigitur præsertim adversùs *idealistas* et *lockianos;* in secundâ parte, explo-

duntur falsæ recentiorum theoriæ de *vero*, *pulchro* et *bono;* in tertiâ parte, *positivistas* et *cartesianos* præ cæteris impugnamus.

VI. Expone synopsim totius Ontologiæ.

(* 6. Hæc divisio fusiùs exponenda est, ut tractatus ille faciliùs intelligi possit.

Ontologia tractat de ultimis et maximè communibus entis notionibus; de ente verò in commune inspecto, tria recensere oportet : nempè, *quid sit ens; quæ* sint attributa seu *proprietates* omnibus entibus communes; quomodò ens in *suprema genera* dividi queat.

Prima pars, de entis *notione*. — *Ens* in se verâ definitione exprimi non potest; verumtamen, latissimè sumptum, designat quidquid existit, aut habet aliquam realitatem. — Huic opponitur *nihilum*, quod dicitur *non-ens*, seu negatio omnis realitatis. — *Essentia*, id est *esse essentiale* designat *id quo* res in suâ *naturâ*, vel in suâ *specie* collocatur. — *Existentia* autem est *actus*, quo essentia dicitur *esse*, aut *extrà causam* sistere; undè, relativè ad existentiam, essentia est quasi *potentia* relativè ad actum; et consequenter essentia et existentia differunt distinctione reali; idem est dicendum de essentiâ et ejus attributis. — Ens autem est *possibile* in quantùm non *distinguitur a suâ causâ*, et *possibilitas* est simplex *aptitudo* ad existendum; et ideò, respectu essentiæ, possibilitas est quasi entis *attributio*. — Ex dictis, prima pars subdividi potest in tria capita :

Caput primum, *De ente et nihilo;*
Caput secundum, *De essentiâ et existentiâ;*
Caput tertium, *De possibilitate.*

Secunda pars, de entis *proprietatibus*. — Omne ens debet esse *unum;* id est, *in se* indivisum et a quolibet alio distinctum. — Ens autem in suis *relationibus* ad *intellectum* et *voluntatem*, aut *lucet*, aut *placet*, aut *allicit*. — Ex his tribus relationum speciebus oriuntur tria entium attributa : *verum* scilicet, *pulchrum* et *bonum*. Verum dicitur ens quatenùs denotat *adæqua-*

tionem rei et intellectûs. — Pulchrum est ens quatenùs visum placet. — Bonum est ens quatenùs voluntatem allicit et movet. — Eaque rerum attributa jurè habentur ut ima scientiæ, artis et ethicæ fundamenta; necnon ex eorum harmoniâ resultat entium perfectio, cujus nota et conditio essentialis, in rebus *singularibus*, est *unitas*, et *ordo* in rebus *inter se comparatis*. Veri autem, pulchri et boni, unitatis et ordinis principium et exemplar, finis et consummatio, *apex* scilicet omnium, est *Deus*. — De his omnibus quatuor sint capita :

Caput primum, *De uno;*
Caput secundum, *De vero;*
Caput tertium, *De pulchro;*
Caput quartum, *De bono.*

Tertia pars, de entium *categoriis*. — Ens *actuale* et reale meritò dicitur principium a quo repetitur *categoriarum* divisio; undè, categoriæ non exhibent entis genera et species, sed essendi *modos;* duplex est autem essendi modus, videlicet esse *in se*, vel *in alio*, seu esse *substantia* et esse *accidens*. Et ità categoriæ omnes repræsentant rerum substantiam, vel earum accidentia.

Substantia in se sumpta rectè definitur, *res cui convenit esse in se*, nec consequenter indiget alio subjecto cui inhæreat. — Jam si substantia consideratur in suis evolutionibus, vel est principium *quo* fit actus, vel principium seu subjectum *quod* operatur. — Principium *quo* operationis, dicitur *natura*, et principium *quod*, est *suppositum*. — Suppositum, quod definitur, substantia individua, completa et incommunicabilis, vel est irrationale, vel *rationale*. — In hoc ultimo sensu, dicitur *persona;* undè, persona est suppositum rationale, seu fusiùs, *substantia individua*, completa, incommunicabilis et rationalis, quatenùs est subjectum operationum sibi propriarum. — Quùm autem natura sit principium *quo*, et persona principium *quod* operationum nostrarum, sequitur personam in rebus creatis objectivè, realiter et modaliter a naturâ distingui.

Accidens definitur *res cui convenit esse in alio* tanquam *in*

subjecto. — Novem accidentia numerantur, quæ, cum substantiâ, decem categorias exhibent; hæ sunt, *substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs* et *habitus.* — Omnia accidentia a substantiâ quodammodò differunt; nonnulla etiam sunt accidentia *absoluta* et fundamentalia, nempè quantitas et qualitas; cetera verò *modalia* dicuntur. — Accidentia absoluta non solùm discrepant a substantia, sed etiam, ex virtute Dei infinitâ, possunt a substantiâ separari. — Inter accidentia modalia seu relativa, quædam a substantiâ tanquam a *principio* defluunt; hujusmodi sunt relatio, actio, passio, et situs; quædam autem, videlicet ubi, quando et habitus, ad substantiam velut ad *terminum* referuntur. — De his omnibus sint quatuor capita :

Caput primum, *De substantiâ;*
Caput secundum, *De accidentibus in genere;*
Caput tertium, *De accidentibus absolutis;*
Caput quartum, *De accidentibus relativis.*

Ontologia igitur rectè definitur : *Ea pars philosophiæ realis, quæ ens in se et quatenùs est omnibus communc speculatur;* nempè, disserit de supremis, altissimis et maximè communibus entium rationibus seu principiis. *)

PRIMA PARS ONTOLOGIÆ

DE

ENTIS NOTIONE.

I. Quomodo dividi potest prima pars Ontologiæ, de entis notione?

7. Notio *entis*, cui opponitur notio *nihili*, est prima quæ « cadit » in intellectu, ut loquamur cum sancto Thomâ (I *Sent.* dist. VIII, q. I, a. 3); ens verò concipi nequit sinè proprietatibus seu notis, quibus constituitur; nam, omne ens habet suam *essentiam;* » essentia autem vel *actu existit*, vel est *merè possibilis*. Undè, prima pars, de entis notione, dividi potest in tria capita : I, de *ente* et *nihilo;* II, de *essentiâ* et *existentiâ;* III, de *possibilitate*.

CAPUT PRIMUM.

DE ENTE ET NIHILO.

II. Quomodo dividitur caput primum, de Ente et Nihilo?

8. Primùm innotescit *entis* notio; deindè verò concipitur *nihilum* ut entis negationem aut privationem. Undè,

caput primum, de ente et nihilo, rectè dividitur in duos articulos : 1^us^ erit de *conceptu entis;* 2^us^, de *conceptu nihili.*

ARTICULUS PRIMUS.

De conceptu entis.

III. Quid est ens quoad nomen ?

9. Vox illud, *ens,* nihil est grammaticè, nisi participium verbi *esse;* et in hoc sensu designat aliquid realiter et actualiter *existens* (1). Sensu autem latissimo ens sumitur ut *nomen,* et exprimit *essentiam* rei, seu « id per quod quælibet res in suâ specie constituitur (Sanseverino, *Ontol.,* c. VI, n. 208); » et sic extenditur ad omnia, etiam merè possibilia. Prætereà, verbum *esse* usurpari solet ut *copula* seu vinculum inter duos propositionis terminos; ità, dicimus Petrum *esse* hominem.

IV. Quid est ens quoad rem ?

10. Quoad *rem, ens* propriè definiri nequit; omnis enim definitio logica genere et differentiâ conflari debet; entis autem notio, quùm sit simplicissima, non pluribus, sed uno constat elemento; eâ de re *transcendit* omne genus et differentiam; ac ideò definiri non potest, et meritò dicitur a philosophis notio *transcendentalis.* Aliundè, notio entis est communissima et in omnibus aliis notionibus contineri debet; eapropter, in qualibet definitione invenitur; undè, quùm res definienda ipsam definitionem in-

(1) « Ens multipliciter dicitur. Uno enim modo dicitur ens quod per decem genera dividitur; et sic ens significat aliquid in naturâ existens, sivè sit substantia, ut homo, sivè accidens, ut color. » S. Thomas, II *Sent.,* dist. XXXIV, q. 1, a. 1; Aristoteles, V. *Metaphys.*

gredi nequeat, notio entis non est capax definitionis logicæ.

Verumtamen entis notio explicari potest et evolvi : imprimis, ut apparet ex dictis, ens propriè et *objectivè* designat *quidquid existit* aut *habet aliquam realitatem;* seu *quidquid existit* vel *existere potest.* Ens autem hujusmodi duplici modo reale dicitur; id est, vel jam habet *actu* existentiam; vel existit tantum *in potentiâ,* et ut tale non distinguitur a causis e quibus procedere potest. Undè, philosophi ens dividunt in *actuale* et in *possibile.*

Ens verò, si spectetur relativè ad *intellectum* a quo velut a *subjecto* dignoscitur, vocari solet *ideale*, et in eo sensu designat *quidquid per se est intelligibile*, seu *positivè concipi potest.* Ens hujusmodi ideale et logicum non est actualiter extrà mentem nostram; ut sunt notiones *generis* et *speciei*, quæ nuncupantur a scholasticis « *notiones secundæ*, » aut « *entia rationis.* » Et hoc modo, aiente sancto Thoma, « potest dici ens omne illud de quo affirmativa propositio formari potest, etiamsi illud *in re nihil ponat* (*Opuscul. de Ente et Essentiâ*). » Adnotandum est autem ens ideale non esse omninò *subjectivum*, sed habere quoddam fundamentum *reale*, ut ceteræ notiones abstractæ et generales (1). Differt tamen ab ente reali propriè dicto.

V. Quæ sunt dotes conceptûs entis?

11. Primò quidem, ratione *modi* quo concipitur notio ipsius entis est *abstracta*, id est per abstractionem

(1) Ad rem scripsit Sanseverino (*Ontol.*, 42), dicens : « Notio entis communissimi non est adeò subjectiva, ut nullum in naturâ rerum fundamentum habeat. Etenim, cum intellectus notionem entis communissimi sibi comparet, removendo a rebus notas individuales, quibus in ipsis determinatur, fundamentum objectivum illius notionis dicendæ sunt. »

nnotescit. — Notio enim entis procul dubio est *pluribus ommunis;* sed, notiones hujusmodi per abstractionem omparantur, ut vidimus in Logicâ (*Logic.*, n. 113); rgò, notio entis non est idea innata, nec a priori concepta; sed ope abstractionis innotescit.

Abstractio illa est simplicissima, immediata et facilima; non fit, aiente sancto Thoma, per « compositionem, » aut « divisionem; » sed « per modum simplicis onsiderationis. » Id est, sensus percipit res materiales t corporeas; intellectus autem, cujus « objectum » proportionatum in statu vitæ præsentis est « ens et verum onsideratum in rebus materialibus, » notitiam per sensum acceptam exuit ab omni proprietate individuali, et notionem entis communem assequitur ope abstractionis maximè simplicis (1).

(* Undè, erraverunt idealistæ recentes qui, duce Kantio, te-

(1) « Abstahere contingit dupliciter : uno modo per modum compositionis et divisionis, sicut cum intelligimus aliquid non esse in alio, vel esse separatum ab eo. Alio modo per modum simplicis et absolutæ considerationis; sicut cùm intelligimus *unum*, nihil considerando de alio. » S. Thomas, *Sum. theol.*, p. I, q. 85, a. 1, ad 1^um. — Et infrà : « Objectum intellectûs est commune quoddam, scilicet ens et verum... Primum objectum intellectûs nostri secundùm præsentem statum (non) est quodlibet ens et verum, sed ens et verum consideratum in rebus materialibus..., ex quibus in cognitionem omnium aliorum devenit. » *Sum. theol.*, p. I, q. 87, a. 3, ad 1^um. — Et iterùm : « Quædam sunt quæ possunt *abstrahi* etiam a materiâ intelligibili communi, sicut *ens*, unum, potentia, et actus, et alia hujusmodi : quæ etiam esse possunt absque omni materiâ, ut patet in substantiis immaterialibus. » *Sum. theol.*, p. I, q. 85, a. 1, ad 2^um. — « Les sens perçoivent la réalité concrète dont l'imagination reproduit l'image, et par elle la réalité se présente à l'âme avec ses notes individuelles. L'intellect, ou pour mieux dire, l'âme par l'intellect se tourne vers le *phantasma* pour y percevoir son objet propre, et connaître à sa manière l'objet représenté dans l'imagination. » A. Dupont, *Ontologie*, p. 24.

nuerunt ideam entis esse a priori conceptam, sine abstractionis auxilio. Itemque Rosmini falsò docuit notionem entis communem non esse acquisitam, sed innatam. *)

Secundò, ratione *temporis* quo concipitur, notio entis est prima omnium notionum *chronologicè* et *logicè*. — Re quidem verâ, notio entis, ut patet, est maximè *communis*, omnibus enim convenit; ergò, maximè est « intelligibilis; » nam, aiente sancto Thomâ, veritas eò magis est intelligibilis, quò magis est generalis. Verum autem magis intelligibile est primum *chronologicè*, scilicet antè alia innotescit, quià intellectus procedere debet e magis notis ad minùs nota; undè, notio entis est prima chronologicè.

Notio entis est prima *logicè;* videlicet omnes aliæ notiones ab illâ pendere debent; etenim, ceteræ notiones resolvuntur in entis notionem; hæc verò in aliam magis communem resolvi nequit; ergò, logicè prima est, secundùm ea sancti Doctoris : « Primum quod cadit in imaginatione intellectûs est *ens*, sine quo nihil potest apprehendi ab intellectu (1). »

(* Undè, Reidiani, Kantiani et Ontologistæ non pauci, qui, ducibus Reid, Cousin, Damiron, Kant, Gioberti et Rosmini, docuerunt primam intellectûs operationem non esse perceptionem per quam entis notio comparatur, sed judicia quædam primigenia, prolapsi sunt in errorem (2). *)

(1) I *Sent.*, dist. VIII, q. 1, a. 3. et alibi : « Præexistunt in nobis quædam scientiarum semina, scilicet primæ conceptiones intellectûs, quæ statim lumine intellectûs agentis cognoscuntur, per species a sensibus abstractas, sive sint complexa, sive incomplexa, ut ratio *entis* et unius et hujusmodi quæ statim intellectus apprehendit. » *De Magistro*, q. 11, a. 1.

(2) Cf. Reid, *Essais sur les facultés intellectuelles;* Cousin, *du Vrai, du Beau et du Bien.* Iidem auctores quandoque scepticismum profiten-

Tertiò, ratione *significationis*, seu *objecti* quod designat et *ontologicè* sumpta, notio entis primò repræsentat id quod est in omnibus magis commune et cognitu magis facilè, videlicet esse *aliquid reale et actuale*. Deindè verò concipimus rem *esse talem;* eapropter notio entis secundò nobis exhibet rerum *essentiam*. Tertiò tandem notio illa extenditur *ad omnia*, sive realia sive possibilia, sive necessaria sive contingentia; verumtamen, ut sedulò notabis, non est « *generica* » aut « *univoca*, » sed tantum *analoga :* videlicet *esse* non prædicatur eadem ratione de omnibus, v. gr. de Deo et de rebus finitis; Deus enim non continetur in genere et specie; prætereà in Deo *esse* et *essentia* sunt unum et idem; quod dici nequit de rebus creatis.

A. Notio entis primò repræsentat *aliquid reale et actuale*. — Quippè, notio entis, objectivè sumpta, fundamentum habet in rebus ipsis singularibus, et primò repræsentat aliquid omnibus *commune*. Sed, commune est omnibus esse aliqua *realitas;* v. gr. *essentia*, *existentia*, *substantia*, *accidens dicitur aliquid reale*. Id primùm igitur quod entis notio repræsentat, est esse *aliqua realitas*.

Aliundè, juxtà sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, p. I, q. 85, a. 3), actus cognitionis nostræ est primò « incompletus et imperfectus; » eâ de re, objectum quod primùm à nobis percipitur esse debet aliquid « indistinctum, » et minùs præcisum. Sed, talis est *mera realitas* omnibus communis; indistinctè quidem asserimus *Petrum*, *Joannem*, *existentiam*, *essentiam*, *materium*, *formam esse ali-*

tur de primigeniâ intellectûs operatione : « Les premiers pas de la conception et du jugement, ait Reid, sont cachés dans une région inconnue, comme les sources du Nil. » Et addit Cousin : « Comment pénétrer jusqu'à ces sources de la connaissance humaine qui se cachent comme celles du Nil? »

quid reale; ens igitur primò repræsentat meram entis realitatem non tantummodò possibilem, sed actualem.

(* Et ideò, manifestè apparet error eorum idealistarum qui, duce Rosmini, propugnant ens non reale et actuale, sed merè *possibile* priùs a nobis cognosci. *)

B. Notio entis secundò designat *essentiam* rerum. — Nihil enim « est magis intimum et essentiale cuique rei, quam *esse aliquid* et habere *aliquam essentiam* (R. P. Liberatore, *Metaphys. gener.*, c. 1, a. 1); » Undè, dicimus *omne ens habere essentiam sibi propriam*, seu *omne ens esse tale* aut *tale*. Prætereà, non solùm percipimus *an res* sit aliquid reale et actuale, sed *quid sit res;* « ens » autem in quantum exprimit quid sit aliqua res, ut ait sanctus Thomas (*Quodlib.* II, a. 3), « designat *essentiam* rei; » v. gr. homo dicitur *esse* animal rationale).

(* Undè, Locke et sensistæ, Taine et positivistæ; necnon sceptici omnes perperam asserunt entis notionem nihil exprimere, nisi quosdam modos essendi. *)

C. Notio entis extenditur ad *omnia;* non est autem notio *generica*, nec *univoca*, sed tantùm *analoga*. — Notio entis extenditur ad *omnia;* nam, ut dictum est suprà (n. 1), *ens*, in quantùm sumitur ut participium verbi *esse*, significat aliquid realiter existens; si autem ea vox habetur ut nomen latissimo sensu desumptum, ad omnia, sive realia sive possibilia, sive contingentia sive necessaria, sive subsistentia sive accidentalia, extenditur. Re quidem verâ, nihil existere, nihil esse, nihil concipi potest, nisi habeat rationem entis et veri; quocircà necesse est entis notionem de omnibus prædicari.

Ens, latissimè sumptum, non exprimit *genus* supremum sub quo omnia continentur; nec *univocè* de omnibus prædicari potest. Quippè, notio generica importat

aliquid commune entibus specie tantùm diversis. Itemque notio univoca designat id quod secundùm eamdem naturam in pluribus invenitur; v. gr. vox *homo* univocè tribuitur Petro et Joanni, quià unicuique competit esse animal rationale. Sed, Deus in nullo genere continetur; undè, notio entis, in quantùm convenit omnibus, non potest esse generica : « (Ens), ait sanctus Thomas, nec est genus nec differentia (*Quodlib.* II, a. 3). » Prætereà, esse infinitum et finitum, esse subsistens et accidens, et alia hujusmodi non sunt entia univoca; ens igitur univocè de omnibus dici nequit; secundùm ea sancti Doctoris : « Non eadem ratione competit omnibus esse; sed substantiæ per se, aliis autem aliter (*Ibidem*). »

Verumtamen, etsi notio entis non sit generica nec univoca, jurè dicitur analoga; analogia enim invenitur inter ea quæ, licet omninò diversa, quamdam relationem, « habitudinem, » aut dependentiam implicant. Sed, notio entis de Deo dicitur essentialiter, de creaturis autem per quamdam participationem et dependentiam; ens igitur latissimè sumptum omnibus analogicè tribui debet. Ad rem appositè scripsit sanctus Thomas, dicens : « Dupliciter aliquid de aliquo » dicitur : « uno modo essentialiter, alio modo per participationem. » Undè dicendum est, « quod *ens* prædicatur de solo Deo essentialiter, » ò quod in Deo *esse* et *essentia* sunt unum et idem; « de qualibet autem creaturà » *esse* dicitur per participationem : nulla enim creatura est essentialiter et necessariò » (*Loc. cit.*) (1).

(1) De utilitate hujus theoriæ scripsit A. Dupont : « Pour montrer l'utilité de ces doctrines qui peuvent paraître trop abstraites, il suffit de rappeler que l'erreur fondamentale du panthéisme consiste dans l'affirmation de l'*univocité* de l'être. En partant du principe que l'être est genre s'appliquant de la même manière à tout ce qu'il dénomme,

(* Errant igitur philosophi qui contendunt entis notionem esse genus supremum, omnia, sive infinita sive finita, tanquam in species constituta et per categorias divisa, complectens. A fortiori pantheistæ omnes pessimè asserunt ens univocè de omnibus esse prædicandum. *)

VI. Utrum ens, res et aliquid inter se differunt?

(* 12. Sæpè sæpiùs *ens* et *res* eumdem sensum exhibent; attamen, juxtà nonnullos philosophos, duo in ente concipimus, *subjectum* quod est aut existit, et ipsam *existentiam* quâ subjectum illud afficitur. Porrò, subjectum hujusmodi vocatur *res* seu ens « *substantivè* » et « *nominaliter* » sumptum; existentia autem dicitur *ens* « simpliciter, » seu ens sumptum « ut participium (Zigliara). » *Aliquid* designat ens a quolibet alio *distinctum*. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De conceptu nihili.

I. Quid dicendum de notione nihili?

13. Entis notio, etiam subjectivè sumpta, supponit quoddam fundamentum in rebus (Cf. n. 10); econtrà, notio nihili est merè et omninò *subjectiva :* « Notio nihili, ait Sanseverino, adeò subjectiva est, ut nullum fundamentum in rerum naturâ habeat (*Ontol.*, c. II, a. 2). » Undè, *nihilum* dici potest *non-ens*, seu, *negatio omnis entitatis* (1).

on aboutit nécessairement à identifier Dieu avec les créatures. » *Ontologie*, p. 40.

(1) Sic se habet S. Augustinus, *Op. imperf. contrà Julian.*, c. v, n. 44 : « Nihil nec corpus est ullum, nec spiritus, nec his substantiis aliquid accidens, nec ulla informis materies, nec inanis locus, nec ipsæ tenebræ, sed prorsùs nihil. » Addit S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 16, a. 3, ad 3um : « *Non-ens* et privationes non habent ex seipsis veritatem. »

Philosophi secernunt nihilum *negativum* et nihilum *privativum*. Nihilum negativum et *absolutum* significat simpliciter aliquid non esse; v. gr. non existere, non intelligere, non loqui. Nihilum autem privativum seu « *positivum*, » ut aiunt, exprimit defectum perfectionis cuidam subjecto debitæ; sic, Petrus non videt, Joannes ægrotat, Paulus mortuus est. In eo sensu nihilum quandoque dicitur a scholasticis ens seu *conceptus* rationis, etsi de facto nullum habeat fundamentum reale et positivum in rebus, et reapsè distinguatur ab ente rationis proprie dicto (S. Thomas, *Opuscul.*, XXVI, c. I; *Sum. Theol.*, p. I, q. 16, a. 5, ad 3^um^).

Notio entis prior est notione nihili; entis enim negationem, absentiam, privationem aut defectum concipere non potest intellectus, nisi priùs sciat quid sit ens in se sumptum. Et verò, ens solum est cognitionis objectum; sed, nihilum non est ens; ergò, concipi nequit nisi ut mera entis negatio vel privatio. Undè, notio entis est prior notione nihili : « La science, ait Balmès (*Philos. fondament.*, t. III, c. III, p. 338), ne peut avoir le néant pour objet... Le néant n'a ni essence, ni propriété, ni rapports. »

Deinceps, ut alibi dictum est (*Logic.*, n. 122), omnes aliæ notiones omniaque principia fundantur in entis et nihili notionibus; ut sunt notiones veri et falsi, boni et mali, justi et injusti, causæ et effectûs, entis omnium limitum expertis entisque finiti; talia sunt etiam principia identitatis, contradictionis, exclusi medii (1) et causalitatis, quibus omnes scientiæ innituntur.

(1) Principium exclusi medii sic exprimitur : *Impossibile est duas contradictorias esse simul falsas.* — « La notion de l'être donne naissance à trois principes, savoir : aux principes d'identité, de contradiction et du tiers exclu. » A. Dupont, *Ontologie*, p. 44.

II. Qui sint præcipui philosophorum errores, de conceptu nihili?

(* 14. Præcipua philosophorum commenta, de notione nihili, ad tria revocari possunt : primum est quorumdam *ontologistarum;* secundum verò *pantheistarum;* et tertium *sophistarum.* De illis pauca dicenda sunt.

1°, De errore *ontologistarum.* — Quidam ontologistæ, duce Gioberti (*Introduct. à l'étude de la Philos.*), falsa propugnant de conceptu nihili. Asserunt enim ens illud, quod mens humana primùm assequitur, non esse aliquid omnibus commune, sed Ens absolutum, nempe Deum. Posteà autem e notione Infiniti realis ad notitiam limitis, negationis et nihili descendimus.

Et sanè, notio entis communissima prior est notione nihili; sed nihil nobis exhibet, nisi *esse* in quantum est omnibus commune. Prætereà, non desunt ontologistæ et spiritualistæ qui censeant nihilum nullo modo cogitari posse. Fatendum est nihili notionem esse omninò subjectivam : attamen, ut sedulò notandum est, etiam in conceptu negativo, activitas rationis fertur in terminum aliquem positivum et realem : ex. gr. quum dicimus asinum non esse *rationalem,* directè percipimus attributum rationale, et illud removemus ab asino. Ità dicendum est de omnibus aliis notionibus negativis.

2°, De errore *pantheistarum.* — Hegeliani pantheistæ ordinem *ontologicum* ab ordine *logico* non secernunt. Juxtà eos ens universale, quod primum ab intellectu concipitur, non est abstractum, sed *concretum;* illudque vocatur *ens-idea,* et ipsum solum existit. Ens autem absolutum et nihilum negativum indeterminata sunt et correlativa; et jure habentur ut ens unum et idem, quod appellatur *ens-nihilum.*

Tale portentum non est solùm atheismus fucatus, ut videbitur in Theodiceâ; sed etiam omnem ordinem ontologicum et realem evertit; ens enim ideale tantùm existit, secundum Hegelii sententiam. Aliundè, philosophus germanus, qui Parmenidem in multis secutus est, notionem nihili privativi et mali moralis in pravum sensum detorquens, fundamentum omnis moralitatis diruit.

3°, De errore *sophistarum*. — Hodierni sophistæ non secernunt ens reale ab ente ideali, neque categorias ontologicas a categoriis logicis; deindè perperam asserunt ens non esse potiùs reale quam nihilum : « Le néant est une catégorie plus riche que l'être, ait unus ex illis. Le néant a donc autant de droit à l'existence que l'être lui-même (Michelet, *Esquisse de Logique*). » Juxtà eos, ens et non-ens sunt notiones contrariæ simul et contradictoriæ : « Il n'y a qu'un exemple, inquit idem philosophus, où des notions soient contradictoires et contraires en même temps. C'est l'opposition primitive d'où nous étions partis, l'être et le rien ou néant. » *)

CAPUT SECUNDUM.

DE ESSENTIA ET EXISTENTIA.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de essentia et existentia?

15. Ens concipi nequit, nisi habeat *essentiam* sibi propriam; aliundè, essentia fit realis et actualis ope *existentiæ*. Idcircò, postquam inspeximus notionem entis maximè communem, et declaravimus quid de ejus definitione sit sentiendum, dicendum habemus de entis *essentiâ* et *existentiâ;* undè, sint duo articuli : 1^us^, de *essentiâ;* 2^us^, de *existentiâ*.

ARTICULUS PRIMUS.

De essentiâ.

II. Quid est essentia quoad nomen, et quæ sunt variæ hujus vocabuli acceptiones?

16. Entis vocabulum, ut vidimus, dicitur de omnibus; strictè verò et propriè designat aliquid reale et actuale,

et respondet quæstioni : *An sit* res. Aliud autem nomen excogitatum est ad respondendum quæstioni : *Quid sit* res. Et illud est vocabulum *essentia*, quod e verbo *esse* eruitur (1).

Sedulò notandum est, post sanctum Thomam (*Opuscul. de Ente et Essentiâ*), varias esse apud philosophos hujus vocis acceptiones; videlicet *essentia* dicitur etiam *quidditas*, *definitio*, *forma*, *ratio* rei, *substantia* et *natura*. 1°, Dicitur *quidditas*, eò quod respondit quæstioni : *Quid* sit res. 2°, Vocatur *definitio*, quià definitio exprimit genus et differentiam, id est essentiam rei. 3°, Quandoque essentia dicitur *forma*, eò quod per formam res determinatur in suâ specie et perficitur. 4°, Essentia est *ratio* rei, nam exprimit rationem seu causam proprietatum, quæ in rebus inspiciuntur. 5°, Designat *substantiam* seu rem quæ *in se* est et non eget alio subjecto, cui hæreat. 6°, Nuncupatur etiam *natura*, in quantum est principium intrinsecum operationis rei cuilibet proprium et inhærens (2).

(1) Cf. R. P. Liberatore, *Metaphys. gener.*, n. 3. « Sicut ab eo, quod est sapere, vocatur sapientia, ait sanctus Augustinus; sic ab eo, quod est esse, vocatur essentia. » *De civitate Dei*, l. XII. Et alibi : « Ab eo, quod est esse, dicta est essentia. » *De Trinitate*, l. V, c. II.

(2) Essentia « etiam alio nomine natura dicitur... secundum quod natura dicitur illud quod quocumque modo intellectu capi potest... Nomen autem naturæ hoc modo sumptæ videtur significare essentiam rei secundum quod habet ordinem vel ordinationem ad propriam *operationem* rei, cum nulla res propria destituatur operatione. » S. Thomas, *De Ente et Essentiâ*. In eo sensu Aristoteles ait essentiam esse substantiam « et substantiam esse naturam. » V. *Metaphys.* — « Forma *substantialis* et completiva... potest considerari in se, et sic dicitur essentia. Potest considerari in comparatione ad operationem propriam, et sic dicitur natura. » S. Bonaventura, I *Sent.*, dist. XXXI. Cf. S. Aug. *De Moribus Manich.*, l. II, c. II.

III. Quomodo essentia definiri potest?

17. Essentia rectè definiri potest : *Id quo* res *in suâ naturâ*, vel *in suâ specie collocatur*. Seu fusiùs : essentia jurè dicitur id, quo res in se constituitur, ità ut reapsè sit id quod est, et a qualibet aliâ discriminari possit. Ex. gr. voces esse *animal rationale* designant essentiam hominis; vocabula enim *animal* et *rationale* naturam humanam exprimunt, et eam a quolibet alio ente secernunt.

Dixi : essentia est id quo res in sua *naturâ*, vel in suâ *specie* constituitur; ut ea definitio non solùm de essentiis rerum contingentium, verùm etiam de Ente necessario prædicari possit. Deus enim ex essentiâ suâ constituitur in suo esse et in suâ *naturâ;* sed, ut videbimus in Theodiceâ, sub *specie* contineri nequit.

(* Hìc tria notanda sunt : 1°, Sanctus Thomas, in *Opusculo de Ente et Essentiâ*, non exhibit essentiæ definitionem propriè dictam, sed potiùs meram declarationem; essentia quidem est una e notionibus primigeniis, et clarior est omni definitione. Sic se habet sanctus Doctor : « Oportet quod essentia significet aliquod commune omnibus *naturis* per quas diversa entia in diversis generibus, in diversis *speciebus collocantur :* sicut humanitas est essentia hominis, et sic de aliis. »

2°, Plerique philosophi essentiam definiunt : *Id per quod ens est id quod est et non aliud;* vel etiam : *Id per quod res primò concipitur ab intellectu*. Prior ex his definitionibus est præsertim *objectiva*, et a scholasticis sæpiùs usurpari solet; posterior verò est præcipuè *subjectiva*, et ordinariè, licet non exclusivè, apud idealistas invenitur. Deinceps omnes aliæ definitiones ad unam aut alteram ex his duabus revocantur.

3°, Hodierni positivistæ et sensistæ essentiam ab existentiâ aut ab *esse* minimè secernunt; undè, cum E. Littré, essentiam appellant : « Ce qui *est*, ce qui *existe*. » Sed, ut jam vidimus, ens ab essentiâ discriminari debet; aliundè, dicemus in articulo sequenti, essentiam ab existentiâ differre. Undè, definitio a posi-

tivistis et sensistis allata falsa est et eversiva scientiæ metaphysicæ. *)

IV. Quotuplex est essentia?

18. Duplex est essentia, *physica* et *metaphysica*. Nempè, in essentiis distinguuntur *elementa* seu *principia*, quibus essentiæ constituuntur; ex. gr. in homine inveniuntur « *animalitas*, » ut aiunt, et « *rationalitas*. » Sed, elementum hujusmodi potest esse aliquid concretum, reale, actuale et *physicum;* v. gr. Petrus habet *corpus organicum* et *animam rationalem;* aut potest esse aliquid abstractum, « notionale, » rationale et *metaphysicum;* ex. gr. esse *animal* rationale. Jam essentia physica, quæ sæpiùs appellatur *natura*, seu principium intrinsecum activitatis et operationis, ea est, cujus elementa sunt realia et concretè spectata; essentia verò metaphysica ea est, cujus elementa sunt rationalia et abstractè considerata (1).

Elementa, quæ reperiuntur in essentiis metaphysicis, ut « animalitas » et « rationalitas » in homine, seu genus, species, differentia, constituunt « *gradus metaphy-*

(1) De essentiâ physicâ et metaphysicâ opportunè scripsit A. Dupont : « Nous pouvons considérer et expliquer l'essence d'une chose de deux manières : (A) sans abstraction aucune en prenant les éléments constitutifs tels qu'ils se présentent dans l'ordre physique et concret. Ainsi l'âme et le corps constituent réellement la nature humaine : (B) par une considération abstraite et logique nous distinguons dans l'essence une partie commune et indéterminée (genre) et une partie propre et déterminante (différence). Ainsi en analysant mentalement l'essence humaine j'y trouve deux éléments : l'un générique et commun (animal), l'autre différentiel et propre (raisonnable). Voilà en quel sens les philosophes distinguent l'essence *physique* et l'essence *métaphysique* d'un être, non pas comme deux choses, mais comme deux manières de considérer une seule et même chose. » *Ontologie*, p. 54.

sicos; » et hoc propter duo, juxtà nonnullos auctores : 1°, eò quod sunt veluti gradus, quos percurrere debemus, ut perfectam rei notitiam adipisci valeamus; 2°, eò quod exprimunt gradus perfectionis, quæ in rebus creatis invenitur; ità, magis perfectum est esse *rationale*, quàm esse *animal*.

V. Quid docent scholastici de cognitione et dotibus essentiæ?

19. Doctrina, quæ a scholasticis et a maximâ parte philosophorum traditur de *cognitione* et *dotibus* essentiæ, ad quatuor puncta revocari potest.

Punctum primum : Essentias haud paucas *certò cognoscimus*.

Probatur *experientiâ :* nam, in rebus physicis, et in veritatibus metaphysicis, multa certò dignoscuntur, ità ut definiri possint; sed, omnis definitio, quæ constat ex genere et differentiâ, supponit notitiam essentiæ; ergò, essentias haud paucas certò cognoscimus.

Probatur *ratione :* scientia enim propriè dicta rationes seu causas rerum investigat; sed, sublatâ essentiarum cognitione, jam nihil nisi phænomena solùm externa percipere possumus; undè, vel essentias ipsas cognoscimus, vel in scepticismo versamur absoluto circà veritates sive ordinis physici, sive ordinis philosophici (1).

(1) Aristoteles, VIII *Metaphys.* et sanctus Thomas, *Qq. disp. De Pot.*, q. 9, a. 2, ad 5^{um}, asserunt multas essentias, *a priori* quidem nobis « ignotas et innominatas, » *a posteriori* tamen, ex eorum scilicet proprietatibus vel accidentibus certò cognosci posse. — « Si nullius rei essentia comperta nobis esset, nonne purus putusque scepticismus obtineret? » Sanseverino, *Ontologia*, c. II, a. 3, n. 83. » — « Res, ait sanctus Thomas, per suam essentiam cognoscibilis est, et in specie ordinatur, vel in genere. » *De Ente et Essentiâ*, c. II.

Punctum secundum : Essentiæ non sunt merè *nomina*, neque *proles phantasiæ*, vel *rationis humanæ*.

Probatur : essentiæ vel physicè et concretè, quatenùs sunt in rebus, vel metaphysicè et abstractè considerari possunt; sed, in utroque casu supponunt fundamentum reale et objectivum in rebus; ergò, non sunt tantummodò nomina, neque proles rationis humanæ. Major patet ex dictis (n. 18) de duplici essentiarum specie. Minor quoque est certa; nam, ut vidimus in Logicâ (n. 114), universale etiam reflexum habet fundamentum in rebus; sed, essentia est notio communis aut universalis; undè, fundamentum habet in rebus, et dici nequit merè nominalis.

Punctum tertium : Essentia Dei est *simplicissima;* ceteræ verò essentiæ *pluribus* constant *principiis*, ità inter se connexis, ut, uno aliove sublato, jam essentia ipsa destruatur.

Probatur in Theodiceâ essentiam Dei esse simplicem. In essentiis autem rerum creatarum invenitur compositio e pluribus elementis seu principiis intrinsecis; etenim, in quolibet ente reperiuntur *genus* et *differentia*. Genus significat id quod est diversis rebus commune; per differentiam autem res specificè discriminantur. Sed genus et differentia supponunt elementa distincta; ergò, essentia in rebus creatis constat pluribus elementis.

Elementa autem hujusmodi ità cohærent, ut gradus metaphysicos haud interruptos in entibus constituant; necnon ità sunt *indivisibilia*, ut ne unum addere aut tollere possimus, quin essentia destruatur; ex. gr. hominis essentia constat duobus elementis aut principiis : esse *animal*, et esse *rationale;* porrò, si tollitur esse animal, homo ampliùs non differt ab angelis; si verò tolli-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tur esse rationale, jam homo non discrepat a belluis (1).

Punctum quartum : Essentiæ, spectatæ relativè *ad principia* quibus constituuntur, itemque in *intellectu Dei* consideratæ, sunt *æternæ*, *necessariæ* et *immutabiles;* si spectentur autem in rebus creatis, non sunt, nisi tantùm *hypotheticè*, *immutabiles* et *necessariæ*.

Probatur : essentiæ ne uno quidem elemento destitui possunt, quin esse desinant; aliundè, si spectantur in Deo, non differunt ab ideis seu archetypis divinis, ut infrà dicemus; indubium est igitur essentias et relativè ad sua principia, et in intellectu Dei spectatas, esse prorsùs immutabiles, æternas et necessarias.

Sin considerantur in rebus ipsis contingentibus, dici neque unt absolutè immutabiles et necessariæ; Deus enim ea, quæ sunt, *liberè* condidit. Verumtamen, creatione statutâ, necesse est Deum omnia condere secundùm *archetypa æterna;* resque simul creatæ suis essentiis destitui non possunt, et novas acquirere; secùs enim essent simul et non essent. Eâ de re meritò dicuntur, non absolutè, sed hypotheticè immutabiles et necessariæ.

VI. Quid ex dictis infertur adversùs errores philosophorum ?

(* 20. Errores philosophorum hac in re pullulant; verumta-

(1) Sanctus Thomas rem illustrat exemplo numeri ternarii : « Si aliquid addatur, ait, vel subtrahatur alicui numero, etiamsi sit minimum, non erit idem numerus secundum speciem. Minimum enim in numeris est unitas, quæ si addatur ternario, surgit quaternarius, quæ est alia species numeri. » Et addit similiter fieri in definitionibus essentiæ : « Quia quocumque minimo addito vel ablato, est alia definitio, et alia natura speciei. Sic enim substantia animata sensibilis tantùm est definitio animalis : cui si addas et rationale, constituis speciem hominis; si autem subtrahas sensibile, constituis speciem plantæ. » VIII *Metaphys.*, lect. III; *Sum. Theol.*, p. I, q. 50, a. 2, ad 1^um^. In eo sensu, scholastici dicunt essentias consistere *in indivisibili*.

men ad duas classes revocari possunt : quidam enim de *cognitione*, alii verò de *dotibus* essentiæ præsertim errarunt.

1°, De erroribus qui præcipuè versantur circà essentiæ *cognitionem*. — Juxtà positivistas hodiernos, essentia propriè dicta a rerum existentiâ et attributis secerni non potest; entitates autem illæ quæ, in sensu scholasticorum, intimam rerum essentiam constituunt, certò probari nequeunt et extrà scientiam ablegari debent : « (L'essence est) la nature intime des choses que nous ne pouvons pas bien connaître ni démontrer, » ait E. Littré.

Condillac, C. Bonnet, Locke, et ferè omnes sensistæ contendunt essentias, in quantùm differunt a rerum existentiâ et attributis, esse merè *nominales;* quarè dicuntur phantasiæ proles, et conceptus sinè fundamento reali in rebus ipsis singularibus. Ipsamet essentia *realis,* quæ non discrepat ab existentiâ, certò detegi non potest. Ab eadem sententiâ vix abscedit ontologista Gioberti; quippè docuit essentias *nominales* seu « *rationales* » solummodò cognosci, essentias autem *reales* esse penitùs « inintelligibiles, sive inexcogitabiles (1). »

2°, De erroribus qui præcipuè versantur circà *dotes* essentiæ. Cartesius et deinde nonnulli ejus discipuli duos errores propugnarunt circà naturam et principia, quibus essentiæ conflantur.

(1) « *Essence* des choses, causes dernières, questions théologiques et métaphysiques, tout cela est en dehors de l'expérience. L'esprit humain, de quelque manière qu'il s'ingénie, n'a aucun moyen d'y atteindre. » E. Littré, *Conservation, Révolution, Positivisme*, p. 53. — « Lorsqu'on s'obstine à disputer sur les essences, il arrive que l'on ne sait plus ce que les choses sont. » Condillac, *Art d'écrire,* IV, 5. — « N'oubliez point que ce que nous appelons essence des choses, n'est que leur essence *nominale.* » C. Bonnet, *Essai analytique*, Ame, c. IV, — « Il paraît clairement que les essences de chaque espèce de choses ne sont que des idées abstraites. » Locke, *Essai sur l'entend. humain,* l. III, c. III, n. 12. — « La doctrine de l'école s'étant exercée sur le genre et l'espèce, qui y ont été le sujet de bien des mots, le mot essence a presque perdu sa première signification, et au lieu de désigner la constitution réelle des choses, il a presque été entièrement appliqué à la constitution artificielle du genre et de l'espèce. » Locke, *Ibidem,* 15.

Imprimis, Cartesius putavit essentias non pluribus elementis seu principiis constitui ; sed enixè contendit illas esse simplices. Undè una tantum proprietas in quolibet ente reperitur ; eaque proprietas est *cogitatio* in rebus incorporeis, et *extensio* in rebus mundanis. Omnia deinceps attributa sunt tantummodò cogitationis, vel extensionis modificationes. Præterea idem philosophus asseruit omnes essentias a voluntate Dei pendere ; et ideò, sive spectentur in intellectu divino, sive considerentur in seipsis, non sunt necessariæ, nec immutabiles (1). *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De existentia.

I. Quid est existentia et quid rerum proprietas?

21. Essentia realis et *actualis* concipi nequit sine *existentiâ ;* eapropter existentia definiri potest : « *actualitas* » seu « *actuatio* » *essentiæ*. Undè, ut vidimus, essentia respondet quæstioni : *quid sit* res ; existentia autem respondet quæstioni : *an sit* res (2).

(1) Hæc sunt Cartesii verba : « Il est inutile de demander comment Dieu eût pu faire de toute éternité que deux fois quatre n'eussent pas été huit ; car j'avoue bien que nous ne pouvons pas comprendre cela : mais puisque d'un autre côté je comprends fort bien que rien ne peut exister, en quelque genre d'être que ce soit, qui ne dépende de Dieu, et qu'il lui a été très-facile d'ordonner tellement certaines choses que les hommes ne pussent pas comprendre qu'elles eussent pu être autrement qu'elles sont, ce serait une chose tout à fait contraire à la raison de douter des choses que nous comprenons fort bien, à cause de quelques autres que nous ne comprenons pas, et que nous ne voyons point que nous devions comprendre. Ainsi donc il ne faut pas penser que les vérités éternelles dépendent de l'entendement humain, ou de l'existence des choses, mais seulement de la volonté de Dieu, qui, comme un souverain législateur, les a ordonnées et établies de toute éternité. » *Œuvres de Descartes*, édit. Cousin, tom. II, p. 353, 354, 355.

(2) Existentia definitur etiam : *actus*, quo res ponitur *extrà causam* suam ; aut : *actus*, quo res *extrà nihilum* sistitur.

Prætereà, essentiæ actuatio seu existentia concipi nequit in creaturis, nisi res existens quibusdam attributis intrinsecis et necessariis, necnon extrinsecis et accidentalibus, ad esse vel operari talis talisve modi determinetur; ea autem attributa, quæ intrinsecè et necessariò dimanant ab essentiâ, dicuntur *proprietates essentiales*, ut est *ratio* in homine; ea verò, quibus essentia extrinsecè determinatur, vocari solent *accidentia*, ut est *calor* in aquâ.

Dixi : in creaturis; nam in Deo *esse*, *essentia*, *existentia* et *attributa* distingui non possunt, nisi solùm distinctione rationis.

Undè, intellectus, postquam notionem entis claram et distinctam adeptus est, tria investigat; nempè : *quid sit ens; an sit ens; quale* seu *quomodò sit ens*. Et ità comparat notiones *essentiæ*, *existentiæ*, *proprietatis* et *accidentis*. Hæc omnia uno schemate exprimi possunt :

1°,
Concipitur
entis notio
communissima.

2°,
Concipitur
entis essentia,
seu *quid sit* ens.

3°,
Concipitur
entis existentia,
videlicet *an sit* ens.

4°,
Concipitur
entis attributum,
seu *quomodo sit* ens.

II. Utrum essentia et existentia inter se differunt?

(* 22. Hac in re non desunt ambiguitates; eapropter utile erit sensum quæstionis inquirere; posteà sancti Thomæ et Suarezii

sententiæ exponendæ sunt; tandemque dicendum est quænam sit opinio eligenda.

1°, De sensu quæstionis. — Non agitur de Esse divino; nam in Deo essentia, existentia et attributa non afficiuntur distinctione reali; undè, Ens infinitum, et ipsum solum, est *essentialiter existens*.

Indubium est etiam *distinctionem rationis* inveniri inter essentiam, existentiam et attributa; *concipimus* enim essentiam ut illud per quod res a qualibet aliâ specificè discriminatur; existentiam autem *concipimus* ut illud quo res extrà causam suam sistitur; attributum vero *concipimus* ut illud quod ab essentiâ dimanat, aut essentiæ adjicitur (1).

Prætereà, certum est essentiam abstractè sumptam, vel ut merè possibilem inspectam, *realiter differre* ab essentiâ per existentiam in rebus physicis actuatâ; videlicet, essentia actualis hujus illiusve hominis realiter discrepat ab essentiâ humanitatis quatenùs est in intellectu divino, antè rerum creationem; et ità de ceteris. Aliter enim dicendum esset omnia *essentialiter* existere; quod soli Deo competit.

Sed quæstio est utrum essentia *actualis*, id est in hoc aut in illo homine spectata, ab existentiâ *realiter* distinguatur (2).

(1) Sanseverino, *Ontologia*, c. II, a. 5, n. 82; A. Dupont, *Ontologie*, Thèse XX. — « Qu'il nous soit donné de distinguer entre l'essence et l'existence des choses, nul n'en peut douter. Je conçois un objet en tant que réalisé; voilà l'existence. Je le conçois avec un certain caractère qui le constitue de telle ou telle espèce; voilà l'essence. L'idée d'existence représente la réalité pure; l'idée de l'essence détermine et spécifie cette réalité. » Balmès, *Philos. fondament.*, t. II, l. V, c. XII, n. 89.

(2) « Valdè subtilis et ardua existit hinc quæstio, num essentia actualis in creaturis distinguatur necne realiter ab existentiâ. R. P. Liberatore, *Metaphys. gener.*, c. I, a. 3, n. 14. — « Tous les philosophes sont unanimes à admettre une distinction entre *les idées* de l'essence et de l'existence; ils ne sont pas moins unanimes à établir une distinction réelle entre l'essence considérée à l'état abstrait ou possible et l'essence réalisée dans l'ordre des existences. C'est la distinction

2°, De sententiis sancti Thomæ et Suarezii. — In hac subtili quæstione, pro utraque parte militant doctores ingenio præstantissimi. Imprimis, sanctus Thomas et ejus discipuli non pauci, præsertim inter veteres, asserunt essentiam in rebus physicis ab existentiâ realiter differre, veluti *potentiam* ab *actu;* docent etiam attributa distingui ab essentiâ tanquam *proprietates* seu qualitates *a substantiâ* (1).

Nonnulli verò scholastici et veteres et recentiores, aliique philosophi ferè omnes, præsertim nominalistæ, contendunt distinctionem non realem, sed *virtualem* admittendam esse inter essentiam actualem et existentiam. Hanc sententiam enixè propugnat Suarezius.

Aliundè, Cartesii fautores cum aliis haud paucis, nullam distinctionem realem esse autumant inter essentiam et attributa; undè, juxtà eos, proprietas est quasi modus essentiæ (2). Scotus autem putavit essentiam ab existentiâ non differre distinctione reali, neque virtuali, sed *formali;* hæc autem opinio Doctoris subtilis vix unum et alterum sectatorem habuit.

3°, De sententiâ propugnandâ. — Si licet in tanto philosophorum jurgio et in tanto opinionum conflictu, unam sententiam præ ceteris eligere, sancto Doctori libenter adhæremus. Undè sit sequens

entre le non-être et l'être réel. Les philosophes se séparent lorsqu'il s'agit de déterminer la distinction entre l'essence physique, réelle des créatures et leur existence. » A. Dupont, *Ontologie*, p. 63.

(1) Cf. Goudin, *Philos.*, t. IV, p. 318. — « Inter essentiam atque existentiam realis distinctio admittenda est... Realis distinctio inter essentiam et proprietates quoque admittenda est. » Sanseverino, *Ontologia*, c. II, a. 5, n. 92 et 93. — R. P. Liberatore, etiamsi olim oppositæ sententiæ adhæserit, « re meliùs perpensâ, » ad eamdam sententiam abivit, *Metaphys. gener.*, c. I, a. 3, n. 16. — Distinctionem realem tuitus est Corsini, *Inst. Philos. Metaphys.*, p. I, c. III.

(2) « La plupart des philosophes modernes, à l'exemple de Durand et des autres nominalistes du Moyen-Age soutiennent avec opiniâtreté que l'existence se distingue de l'essence par *la pensée seule.* » Sanseverino, *Ontologie*, traduct. 1876, t. II, p. 66.

PROPOSITIO.

Distinctio realis admittenda est in rebus creatis inter essentiam et existentiam, necnon inter essentiam et ejus attributa.

Probatur *directè* et *indirectè*.

Directè. Natura Dei, natura rerum creatarum, entium harmonia, necnon *fundamentum objectivum conceptuum nostrorum* comprobant necessitatem admittendi differentiam realem inter essentiam, existentiam et attributa in rebus creatis; ergò, differentia hujusmodi est admittenda.

Probatur per partes : (A.) *Ex naturâ Dei.* — Ea simplicitas, quæ soli Deo competit, creaturis convenire nequit. Sed, essentia, existentia et attributa in Deo sunt unum et idem; et in hoc præsertim et radicitùs Ens infinitum ab entibus creatis essentialiter discrepat. Ergò, ea simplicitas soli Deo competere debet, et creaturis convenire non potest.

(B.) *Ex naturâ contingentium.* — In rebus creatis existentia non est essentialis, sed est aliquid, ut ait sanctus Thomas, quod « *accidit* » essentiæ; undè, juxta sanctum Doctorem, existentia relativè ad essentiam dicitur « *quasi accidens;* » aut etiam est *actus* qui recipitur in essentiâ tanquam in *subjecto;* econtrà, relativè ad existentiam, essentia habetur ut *potentia* seu potiùs ut *subjectum* « *receptivum* » ad *actum* « *receptum* (1). » Sed, inter potentiam et actum requiritur distinctio realis; ergò, essentia realiter ab existentiâ distinguitur, licet ab eâ separari nequeat. Aliundè, attributa promanant ab essentiâ, vel illi adjiciuntur; undè, essentia præcedit attributis prioritate saltem *naturæ;* consequenter ab illis realiter discrepat, neque dici potest attributorum congeries, ut volunt hodierni sensistæ.

(1) Cf. S. Thom., *Qq. disp. De Pot.*, q. V, a. 4, ad 3um; *Quodlib.* IX, a. 3; *Quodlib.* XII, a. 5; *De Ente et essentiâ*, c. VII. « Dicendum quod *esse* non dicitur accidens, quod sit in genere accidentis..., sed per quamdam similitudinem, quia non est pars essentiæ, sicut nec accidens. » *De Potentiâ*, q. V, a. 4, ad 3um.

(C.) *Ex entium harmoniâ.* — In systemate Thomistarum mirabilis invenitur entium harmonia; Deus enim, in summo gradu positus, est simplicissimus, ità ut in Eo *esse*, *existentia* et *attributa* sint unum et idem. In gradu inferiori, exstant ea, quæ sunt *composita* ex *essentiâ*, *existentiâ* et *attributis;* tales sunt substantiæ spirituales quæ inter Deum et res mundanas medio modo se habent. In infimo gradu, reperiuntur corpora, quæ non solùm coalescunt *essentiâ*, *existentiâ* et *attributis;* sed etiam in quibus essentia conflatur *materiâ* et *formâ*, necnon proprietatibus ad utramque referendis (1).

(D.) *Ex fundamento objectivo conceptuum nostrorum.* — Concipimus in rebus creatis et id per quod in suâ specie collocantur, et id quo sistuntur extrà nihilum, et id quod ex eis defluit vel illis adjicitur; eaque omnia concipimus ut inter se distincta, licet indivisa. Sed conceptus hujusmodi supponunt fundamentum reale in creaturis. Undè, certum videtur essentiam ab existentiâ et attributis realiter differre in rebus creatis.

Indirectè. Certitudo thesis nostræ non parum augetur « debilitate argumentationis contrariæ. Hæc enim, aiente R. P. Liberatore, æquivocationes nonnullas continere videtur, quæ si distinguantur, vim omnem amittent (*Metaphys. gener.*, c. 1, a. 3). » Imprimis, eccè argumentum fundamentale a Suarezio allatum adversùs eos, qui contendunt essentiam ab existentiâ realiter differre :

Obj. I. Essentia realis, si ab existentiâ sejungitur, nihil est nisi purus putusque mentis conceptus; ergò, indubium est essentiam actualem ab existentiâ minimè differre (*Disput. Metaphys.*, disp. XXXI).

(1) Illud argumentum, et cetera hujusmodi sæpiùs invenies apud divum Thomam; undè, procul dubio, sanctus Doctor enixè propugnavit distinctionem essentiæ, existentiæ et proprietatum in rebus creatis. Rectè igitur scripsit R. P. Liberatore : « Quod hæc sententia sit ex punctis non levis momenti doctrinæ (sancti Thomæ), apparet tùm quià sanctus Doctor ipsam sæpissimè inculcat, tùm quià indè desumit plerumque argumenta ad perfectiones præsertim divinas demonstrandas. » *Metaphys. gener.*, c. 1, a. 3.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Resp. *Concedo antecedens; nego consequens.* Essentia quidem et existentia separari non possunt; imò, unave alterave sublatâ, jam necesse est utramque in nihilum redigi; sed exindè non inferas essentiam non esse ab existentiâ distinctam; quippè, ut ait R. P. Liberatore, « *duplici modo* aliquid dici potest *actuale :* vel quià actus est, vel quià informatur ab actu. Ergò non repugnat ut essentia actu sit, et tamen distinguatur realiter ab existentiâ; nam actu erit per existentiam, a quâ completur; non per seipsam, quasi ipsamet sit actus, a quo actualis denominatur. Quod si omninò ipsa per se dici velit actualis, id intelligi poterit per comparationem ad essentiam possibilem; quæ dicit potentiam merè objectivam, et respectu cujus essentia realis et producta considerari potest ut actus, licet sit potentia respectu existentiæ (*Metaphys. gener.*, loc. cit.). »

Prætereà, Cartesiani recentes et sensistæ distinctionem essentiæ ab attributis hoc argumento impugnare nituntur :

Obj. II. Vel essentia est *complexio* attributorum, vel attributa nihil sunt nisi *modus* essentiæ; ergò, in utroque casu, essentia non differt ab attributis.

Resp. *Nego antecedens; nego consequens.* Etenim, ut vidimus, essentia est principium ex quo attributa dimanant, vel cui adjiciuntur; attributa igitur essentiam non efficiunt, sed illi jam constitutæ obveniunt. Aliundè, attributa « novum *esse* gignunt » in essentiâ, « quod *esse secundum* » vocatur a scholasticis; et ideò necesse est ut ab *essentiâ* differant. *)

CAPUT TERTIUM.

DE POSSIBILITATE.

I. Quomodo dividitur caput tertium, de possibilitate?

23. Ens, quod est actuale et sistitur extrà causam suam, dicitur *existens;* ens verò, quod non distinguitur a causâ suâ, est merè possibile. Quapropter, e notionibus essentiæ et existentiæ, logicè progredimur ad veram *possibilitatis* notitiam; undè, sit caput tertium, quod rectè dividi potest in duos articulos : 1^us^ erit de naturâ possibilitatis; 2^us^, de erroribus philosophorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura possibilitatis.

II. Quid est possibilitas?

24. *Possibile* dicitur : *ens aptum ad existentiam;* et *possibilitas* vocari solet : *aptitudo entis ad existentiam.*

Id est, inter *nihilum*, seu meram entis negationem, et existentiam, quâ res extrà nihilum sistitur, concipimus ens, quod non sit *nihil*, nec *actualiter* existat; quod tamen existere *possit.* Ens illud dicitur *possibile* (1).

(1) « Une distinction de l'être par laquelle Aristote, au jugement des scolastiques, a éclairci bien des questions obscures, est celle qui nous occupera dans ce paragraphe. Les philosophes grecs plus anciens s'entortillent en toutes sortes de difficultés, parce qu'ils distinguent seulement ce qui *est* et ce qui *n'est pas*, sans faire attention que ce qui est peut être *en acte* ou *actuellement* (*actu*, ἐνεργείᾳ) ou bien seulement quant à la *puissance* (*potentiâ*, δυνάμει). » R. P. Kleutgen, *La philosophie scolastique*, t. III, c. I, a. 3.

Undè, juxta scholasticos, possibile vocatur : illud, quod actu non existit, sed actu esse non repugnat; vel etiam : ens *in potentiâ* relativè ad existentiam. Et ideò possibilitas ab iisdem philosophis appellatur : *non repugnantia* seu aptitudo rei ad esse.

Possibile dicitur *ens;* et ità secerni debet a nihilo, id est ab entis negatione aut privatione. Possibile quoque vocatur ens *in suâ causâ spectatum;* et proindè differt ab ente actuali, quod extrà causam suam sistitur.

III. Quotuplex est possibilitas?

25. Philosophi distinguunt possibilitatem *intrinsecam*, *extrinsecam* et *adæquatam*.

Ens ab intrinseco possibile illud est, cujus essentia nullam involvit contradictionem; eo sensu circulus rotundus dicitur possibilis. Consequenter illud est ab intrinseco impossibile, cujus essentia contradictionem importat; ut circulus quadratus.

Ens vocari solet ab extrinseco possibile, quod habet causam idoneam, cujus virtute produci potest; ex. gr. opificium relativè ad artificem dicitur possibile. Et ideò illud est extrinsecè impossibile, ad quod producendum causa deficit.

Quandò utraque possibilitas, intrinseca scilicet et extrinseca, eidem enti conveniunt, ens illud est *adæquatè* possibile. Prætereà, possibilitas intrinseca vocatur *absoluta;* possibilitas autem extrinseca est *relativa* (1). In

(1) Ad rem egregiè scripsit sanctus Thomas : « Possibile dicitur dupliciter. Uno modo per respectum ad aliquam *potentiam* : sicut quod subditur humanæ potentiæ, dicitur esse possibile homini; alio modo *absolutè*, propter ipsam habitudinem terminorum. » Et infrà : « Dicitur aliquid possibile vel impossibile absolutè ex habitudine terminorum. Possibile quidem absolutè, quià prædicatum non repugnat subjecto, ut

Deo possibilitas relativa nuncupatur infinita; Deus enim jurè dicitur omnipotens; sed, relativè ad creaturas, quarum potentia est limitata, quædam sunt *physicè* possibilia, quædam autem *physicè* impossibilia; sic, homo non potest creare substantiam e nihilo.

Philosophi quoque secernunt possibilitatem et impossibilitatem *moralem*. Illud scilicet habetur ut moraliter possibile vel impossibile, quod hominum indoli consonat, vel contradicit; ex. gr. impossibile est omnes homines mentiri.

IV. Quomodo concipitur notio possibilitatis?

26. Ex dictis, evidens est notionem existentiæ esse priorem notione possibilitatis; id est, primò agnoscimus ens actualiter existens (1). Deindè verò concipimus res finitas et contingentes non semper exstitisse, sed eas anteà fuisse solummodò possibiles (Cf. *Doctrine de la connaissance d'après S. Thomas*, par L. C. Bourquard, p. 38).

Et verùm, ens possibile non est aliquid a causâ suâ distinctum; undè, necesse est ut causam, eamque realem, agnoscamus, priusquam ad notionem possibilitatis pertingere possimus : « L'actuel (l'acte), ait R. P. Kleutgen, doit être connu avant le possible (ou avant la puissance), car la définition du possible présuppose le concept de l'actuel (2). » V. gr. necesse est ut cognoscamus

Socratem sedere; impossibile verò absolutè, quià prædicatum repugnat subjecto, ut hominem esse asinum. » *Sum. theol.*, p. I, q. 25, a. 3.

(1) « Impossible de concevoir la possibilité pure, autrement que par rapport à l'existence. Être possible, c'est pouvoir exister, c'est pouvoir être réalisé. Donc l'idée de l'être est indépendante de l'idée de possibilité; tandis que l'idée de possibilité n'est applicable que relativement à l'être. » Balmès, *Philos. fondam.*, l. V, c. IV, n. 32.

(2) *La Philosophie scolastique*, t. III, c. I, a. 3. « On appelle pos-

hominem *esse*, priùs quam intelligamus hominem *posse* aliquid facere aut pati.

V. Quid sunt possibilia in archetypis æternis?

27. Jam conspicuum est ens possibile non esse aliquid in se reale et a causâ suâ distinctum; verumtamen, in suâ causâ spectatum, *objectivitate* quadam fruitur; secùs enim esset merum putumque nihilum : « Les possibles, ait A. Dupont, n'ont pas de réalité physique par eux-mêmes, mais une réalité *objective* et métaphysique (*Ontologie*, p. 69). » Sed dices : Quid sit objectivitas hujuscemodi?

Respondeo : Si possibilia spectentur in primâ omnium Causâ, *fundamentaliter* et « radicaliter, » ut aiunt, reponi debent in essentiâ Dei; seu, nihil sunt nisi essentia divina, in quantum est « participabilis a creaturis. » *Formaliter* autem sunt in intellectu Dei; quippè Deus, seipsum adæquatè comprehendens, « cognoscit suam essentiam, » non solummodò secundum quod est in se, sed etiam secundum quod est « imitabilis a creaturis (1). »

sible ce qui peut être actuellement, visible ce qui peut être vu, raisonnable ce qui peut être pensé. Nous ne pouvons donc connaître ni la possibilité ou les choses possibles en général sans le concept de l'actualité ou des choses actuelles, ni telle ou telle puissance en particulier sans la représentation de l'acte qui lui correspond. » *Ibidem*, p. 69.

(1) De possibilibus in Deo spectatis ea scripsit sanctus Thomas : « (Deus) essentiam suam perfectè cognoscit : undè cognoscit eam secundum omnem modum, quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci non solùm secundum quod in se est, sed secundùm quod est participabilis secundùm aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquæque autem creatura habet propriam speciem secundùm quod aliquo modo participat divinæ essentiæ similitudinem. Sic igitur in quantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creaturâ, cognoscit

Possibilia hujusmodi defluunt ab essentiis metaphysicis in Deo spectatis; et idcircò vocantur intrinsecè absoluta, æterna et immutabilia; undè non pendent ab existentiâ rerum physicarum, nec ab intelligentiâ humanâ, nec etiam a potentiâ aut a voluntate Dei. Nam, ut alibi dicetur, essentia rerum in *archetypis* æternis, seu in intellectu divino consideratæ, sunt prorsùs æternæ ac immutabiles.

Secùs verò dicendum est, si possibilia spectentur extrinsecè, relativè scilicet ad existentiam; Deus enim ex omnibus possibilibus ea quæ vult ad existentiam adducit. Aliundè, juxtà sanctum Thomam, quem theologi et philosophi plerique secuti sunt, possibilia ex parte Dei et intrinsecè desumpta, sunt *infinita;* Deus enim infinita cognoscit et potest. Extrinsecè autem et relativè ad existentiam, possibilia sunt *finita* et limitata; numerus enim possibilium, quantuscumque sit, debet esse contingens, compositus et finitus (1).

Hinc, meritò inferes non ea tantùm esse intrinsecè possibilia, quæ in serie temporum existentiam sortiri debent; nam, ex unâ parte, possibilia intrinseca sunt infinita; et, ex alterâ parte, possibilia extrinseca et adæquata sunt necessariò finita et limitata.

eam ut propriam rationem et ideam hujus creaturæ; et similiter de aliis. » *Sum. theol.*, p. I, q. 15, a. 2 et q. 14, a. 6. Cf. R. P. Franzelin, *Tractatus de Deo uno*.

(1) « Cum Deus sciat non solùm ea quæ sunt actu, sed etiam ea quæ sunt in potentiâ, vel suâ vel creaturæ, hæc autem constet esse *infinita*, necesse est dicere quod Deus sciat infinita. » S. Thomas, *Sum. theol.*, p. I, q. 14, a. 12; q. 25, a. 3.

ARTICULUS SECUNDUS.

De erroribus philosophorum.

I. Quot errores prodierunt circà possibilium notionem et naturam?

(* 28. Vix credibile est quot errores prodierint circà notionem possibilitatis et naturam possibilium; præcipui autem fautores errorum illorum sunt Rosmini, Hobbes, conceptualistæ, Occam et Descartes.

II. Quid docet Rosmini?

29. Rosmini enixè propugnat ideam entis, quam appellat innatam, ens possibile nobis exhibere (1); undè, possibilitas non cognoscitur per existentiam, sed existentia per possibilitatem innotescit.

Error ille manifestus apparet; nam, possibilia intrinseca defluunt e convenientiâ principiorum quibus essentia rerum constituitur; hæc ergò convenientia percipi nequit, nisi res ipsa primùm agnoscatur. Item, possibilitas extrinseca supponit causam proportionatam et idoneam. Undè, virtutem et naturam causæ hujusmodi priùs cognoscere debet intellectus, quam ullum judicium pronuntiare valeat de possibilitate extrinsecâ.

III. Quid docet Hobbesius?

30. Hobbesius et nonnulli recentiores philosophi possibilitatem intrinsecam et possibilitatem extrinsecam minimè secernunt; itaque, juxtà eos, possibilitas in genere est ipsa rei « *productibilitas.* » Undè, illa tantùm possibilia dici debent, quæ in serie temporum existentiam sortiuntur.

(1) Sic se habet Rosmini : « La simple idée de l'être n'est point la perception d'une chose existante, mais l'intuition d'une chose possible : c'est l'idée de la possibilité de la chose. » *Nouvel essai sur l'origine des idées*, sect. 5, P. I, c. III, a. 1, p. 2.

Sed, ut vidimus, possibilia in se sumpta meritò dicuntur infinita; res autem physicæ necessariò et quoad numerum, et quoad perfectionis gradum limitantur; ergò, præter ea quæ sunt, vel fuerunt, vel futura sunt, alia similia et majora fieri non repugnat. Undè, falsa est opinio quam propugnat Hobbesius.

IV. Quid docent conceptualistæ?

31. Non desunt hodierni conceptualistæ, qui, ducibus Reidio et Kantio, doceant possibilia nihil esse, nisi *entia rationis;* nempè, juxtà illos, quidquid possibile concipimus est reverà possibile; aut etiam, quidquid possibile aut impossibile a mente nostrâ clarè percipitur, est possibile aut impossibile in se seu a parte rei.

Ea loquendi ratio saltem ambigua et captiosa est, necnon erroribus idealismi favere videtur; nam, si celeberrimum illud effatum, *quidquid possibile concipimus, est reverà possibile,* quoad sensum genuinum usurpatur, jam possibilitas rerum pendet ab intellectu nostro; quod sanè falsum est. Et verò, possibilitas, ut vidimus, non pendet ab existentiâ rerum physicarum; res enim non est possibilis, quià realiter existit; sed existit, quià eam esse non repugnat. A fortiori ergò ens non dicitur possibile, quià concipitur ut tale; sed concipitur ut tale, quià possibile est, et nullam in se repugnantiam seu contradictionem involvit.

Præterea, possibilitatis conceptus universalis et abstractus, supponit fundamentum objectivum ab intellectu distinctum; eapropter, etsi possibilia non gaudeant *realitate* propriâ, verumtamen fundamentum habent in essentiis metaphysicis et consequenter ab humano intellectu pendere nequeunt.

V. Quid docet Occam?

32. Guillelmus Occam et nominalistæ non pauci contendunt possibilia pendere a Dei omnipotentiâ; undè, ut aiunt, aliquid dicitur possibile, quià Deus illud efficere potest. Sed, aiente sancto Thomâ, res non dicitur possibilis, quià Deus potest eam

facere, sed Deus potest rem aliquam efficere, quià illam esse non repugnat (1). Si enim aliquid diceretur possibile, quià Deus illud facere potest; aliquid etiam diceretur impossibile, quià Deus illud non posset efficere; et sic potentia Dei limites haberet.

VI. Quid docet Cartesius?

33. Cartesius asseruit essentias rerum, et proindè ipsam possibilitatem fuisse a liberâ Dei voluntate determinatam; ità ut res quædam dicatur possibilis, quià Deus eam esse talem ab initio liberè decrevit (*Œuvres de Descartes*, t. II, p. 353).

Sed, ut multoties dictum est, possibilitas fundatur in convenientiâ et relatione principiorum seu elementorum, quibus essentiæ rerum constituuntur; undè, determinari nequit a voluntate Dei liberâ. Sic, ex. gr. Deus non potest velle circulum esse quadratum, nec triangulum esse rotundum; « hoc (enim), ait sanctus Thomas, Deus non potest, ut faciat simul unum et idem esse et non esse, quod est contradictoria esse simul (*Sum. Contrà Gent.*, l. II, c. XXV). »

Aliud argumentum affert divus Thomas adversùs sententiam, quæ Cartesio tribuitur; eccè verba sancti Doctoris : « Voluntas non est nisi alicujus boni intellecti : illud igitur quod non cadit in intellectu non potest cadere in voluntate. Sed ea quæ sunt secundum se impossibilia non cadunt in intellectu, cum sibi ipsis repugnent... In divinam ergò voluntatem non possunt cadere quæ secundùm se sunt impossibilia. » Unde possibilitas rerum intrinseca non pendet a voluntate Dei; sed fundatur in ipsis

(1) De omnipotentiâ Dei et naturâ possibilium ea scripsit sanctus Doctor : « Si dicatur quod Deus sit omnipotens quià potest omnia quæ sunt possibilia suæ potentiæ, erit circulatio in manifestatione omnipotentiæ; hoc enim non erit aliud quam dicere quod Deus est omnipotens, quià potest omnia quæ potest. Relinquitur igitur quod Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolutè..... Dicitur autem aliquid possibile vel impossibile absolutè ex habitudine terminorum. » *Sum. theol.* p. I, q. 25, a. 3.

rerum essentiis; meritoque dicitur *attributio*, per quam essentia rei cujuslibet apta fit ad existendum (1). *)

(1) S. Thomas, *Sum. contrà gent.*, l. I, c. LXXXIV. — Juxtà plerosque scholasticos, possibilitas est attributio essentiæ; et quodammodò differt ab essentiâ. — « Propriè loquendo, ait Battaglinius, distinguere oportet possibilitatem ab essentiâ, et intelligere quod possibilitas est quasi quædam attributio essentiæ..... Undè illud quod propriè dicitur possibile, non est essentia considerata ut talis, sed est ens, cui competit existere tali essentiâ, cum consideratur in quantùm est existentiæ capax (*Metaphys.*). »

SECUNDA PARS ONTOLOGIÆ

DE

ENTIS PROPRIETATIBUS.

I. Quomodo dividitur secunda pars Ontologiæ, de entis proprietatibus?

34. Hactenùs sermonem habuimus de entis *naturâ;* nunc operæ pretium est ut loquamur de entis *proprietatibus.* Sed, omne ens debet esse *unum;* id est, in se indivisum; aliundè, si spectetur in suis relationibus ad intellectum et voluntatem, aut *lucet*, aut *placet*, aut *allicit*, et proindè dicitur *verum, pulchrum* et *bonum.* Undè, secunda pars Ontologiæ dividi potest in quatuor capita : I, de *uno;* II, de *vero;* III, de *pulchro;* IV, de *bono.*

CAPUT PRIMUM.

DE UNO.

II. Quomodo dividitur caput primum, de uno?

35. Ens unum est in se *indivisum*, sed a quolibet alio *distinctum;* eapropter, in unitate duo secerni debent : carentia divisionis, seu *unitas* propriè dicta, cui opponi-

tur *multitudo*, et *distinctio*, cui opponitur *identitas;* sint igitur duo articuli : 1[us], de *unitate* et *multitudine;* 2[us], de *identitate* et *distinctione.*

ARTICULUS PRIMUS.

De unitate et multitudine.

III. Quid est unitas?

36. Juxtà sanctum Thomam, « unum nihil aliud significat quam *ens indivisum* (*Sum. Theol.*, p. I, q. 11, a. 1); » undè *unitas* definitur a scholasticis : « *entis indivisio* (1). »

Unitas numeratur inter proprietates entium transcendentales, quæ scilicet omnibus sunt communes et transcendunt omnia genera; et verò, in quolibet ente unitas reperitur; sed, ut fatentur omnes, unitas non est attributum quoddam *speciale et positivum;* significat tantummodò *negationem divisionis*, et nihil addit ad notionem entis; secundùm ea Sancti Thomæ : « Unum non addit suprà ens *rem aliquam*, sed tantùm *negationem divisionis.* » Undè, unitas non est attributum transcendentale ab ente distinctum distinctione rationis, ut sunt veritas, pulchritudo et bonitas; quià nihil significat, nisi *negationem divisionis.*

IV. Quotuplex est unitas?

37. Duplex distinguitur unitas, una *interna*, quæ dici-

(1) *Sum. Theol.*, p. I, q. 11, a. 1. « Unum non habet se ex additione ad ens. » *Ibidem.* — « Intelligitur, ait ipse Sanseverino, unum non addere aliquid reale, sed tantùm aliquam negationem, quia ipsum cùm non aliud significet, nisi ens indivisum, divisionem entis negat. Cave tamen ne inde inferas conceptum unius esse negativum. Nam unum, cùm significet ens, quod est indivisum, significat principaliter ens, sive substantiam, et secundariò negationem divisionis, ac proindè ejus conceptus non est negativus, sed affirmativus. » *Ontol.*

tur etiam « *positiva* » et « *specifica;* » altera autem *externa*, seu « *numerica* » et « *exclusiva*, » ut aiunt. Unitas positiva competit omni individuo, in quantùm est in se indivisum; v. gr., Petrus dicitur *unus* homo. Unitas negativa, quæ vocari solet « *unicitas*, » convenit Enti, quod aliud sibi *æquale* non habet nec habere potest; sic Deus, et ille solus, appellatur *unicus*.

Scholastici secernunt quoque unitatem *simplicitatis* aut *compositionis*, quæ dicitur a recentioribus unitas *metaphysica* aut *physica*. Ens unum unitate simplicitatis non solùm est *de facto* indivisum, sed dividi *non potest;* tales sunt substantiæ spirituales. Unum autem unitate compositionis, etsi *de facto* sit indivisum, *potest* tamen dividi; talis est substantia hominis, quæ constat animâ et corpore (1).

Quidam philosophi distinguunt etiam unitatem *naturalem*, v. gr. in arbore, unitatem *artificialem*, ex. gr. in domo, in vestimento, in horologio, et unitatem *aggregationis*, v. gr. in acervo lapidum. Nonnulli tandem unitatem dividunt in *genericam*, *specificam* et *numericam;* res enim inter se differunt genere, ut *arbor* et *homo*, vel specie, ut *homo* et *bellua*, aut numero tantùm, ut *Petrus* et *Joannes*.

V. Quid dicendum de multitudine et numero?

38. Unitati opponitur *multitudo*, quæ nihil est, nisi

(1) Audi verba sancti Thomæ : « Omne ens, ait, aut est simplex aut compositum. Quod autem est simplex, est indivisum et *actu* et *potentiâ*. Quod autem est compositum, non habet esse quamdiù partes ejus sunt divisæ, sed postquam constituunt et componunt ipsum. Undè manifestum est quod esse cujuslibet rei consistit in indivisione; et indè est quod unumquodque, sicut custodit suum esse, ità custodit suam unitatem (*Sum. Theol.*, p. I, q. 11, a. 1). »

collectio entium, e quibus unum non est alterum (S. Thomas, V *Metaphys.*, lect. XV). Ex illâ autem entium seu unitatum collectione conflatur numerus.

Juxtà sanctum Thomam, unitas in se est perfectior divisione; verumtamen, quùm in notitiam simplicium per composita deveniamus, divisionem priùs quam unitatem apprehendimus; undè, primò cognoscimus entis *essentiam* et *existentiam*, secundò *divisionem*, tertiò *unum*, et quartò *multitudinem* seu *numerum* (1).

ARTICULUS SECUNDUS.

De identitate et distinctione.

I. Quid est identitas?

39. Ex unitate defluit rerum *identitas;* nam, ex eò quod ens est in se indivisum, concipimus illud *idem* esse sibi, nempè cum seipso consentire; porrò, identitas consistit in eò quod *ens cum seipso* consentit, seu, *idem cum seipso manet.*

Triplex distinguitur identitas, nempè *generica*, *specifica* et *numerica;* identitas generica reperitur in indivi-

(1) Hæc sunt verba sancti Doctoris : « Unum opponitur privativè multis, in quantum multa sunt divisa. Undè oportet quod divisio sit priùs unitate non simpliciter, sed secundum rationem nostræ apprehensionis. Apprehendimus enim simplicia per composita; undè definimus punctum, « cujus pars non est, » vel « principium lineæ. » Sed multitudo etiam secundum rationem consequenter se habet ad unum; quià divisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc quod utrique divisorum attribuimus unitatem. Undè unum ponitur in definitione multitudinis, non autem multitudo in definitione unius. Sed divisio cadit in intellectu ex ipsâ negatione entis : ità quod primò cadit in intellectu *ens :* secundò quod hoc ens non est illud ens; et sic apprehendimus *divisionem :* tertiò *unum :* quartò *multitudinem* (*Sum. Theol.*, p. I, q. 11, a. 2, ad 4^um^). »

duis ejusdem generis; ex. gr. inter hominem et equum. Identitas verò specifica existit in individuis ejusdem speciei; videlicet inter Platonem et Ciceronem. Identitas autem numerica, ea est quæ competit individuis sigillatim inspectis; ità, Joannes idem est cum seipso (1).

II. **Quid et quotuplex est distinctio?**

40. Quemadmodum unitati opponitur multitudo, sic identitati opponitur *distinctio;* et proindè, quemadmodum identitas ab unitate, ità distinctio a multitudine dimanat. In eò consistit, quod unum ens non est aliud.

Adnotandum est contrà pantheistas, qui distinctiones reales in rebus non agnoscunt, alia *realiter* distingui, alia verò secundum *rationem;* undè, distinctio potest esse *realis,* vel *logica* (S. Thomas, *Qq. disp. de Pot.*, q. 7, a. 11).

Distinctio realis existit inter entia, quorum unum non est alterum; distinctio autem dicitur logica seu rationis, quùm intellectus rem unam in varios conceptus dividit. V. gr. distinctio *realis* existit inter Petrum et Joannem; distinctio tantùm *rationis* invenitur inter misericordiam et justitiam in Deo.

Duplex est distinctio *realis :* una scilicet est *realis major*, quæ reperitur inter individua reapsè distincta, ut sunt Aristoteles et Plato; et altera dici solet *realis minor,* seu etiam *modalis,* eò quod existit inter substantiam et illius proprietates; talis est distinctio facultatum ab ipsamet animâ.

(1) (* Nota : Nonnulli philosophi secernunt identitatem *negativam* et *fundamentalem, relativam* et *formalem :* prior est negatio divisionis et ab unitate non discrepat; posterior autem importat relationem unius entis ad aliud, et proindè formaliter differt ab unitate; talis est identitas generica, vel specifica. Cf. Suarez, *Metaphys.* Disp. VII, sect. III, n. 2. *)

Item, duplex est distinctio *logica :* prior est celeberrima distinctio *rationis ratiocinatæ*, quæ dicitur etiam *thomistica*, aut *virtualis;* ea est, quæ de facto existit in intellectu, sed *fundamentum* quoddam in rebus supponit; eo sensu justitia et bonitas Dei inter se differunt, quià diversos effectus producunt. Posterior autem existit solùm in intellectu, sine ullo *fundamento* directo in rebus, et proindè nuncupari solet distinctio *rationis ratiocinantis;* ità Petrum a Cephâ, ensem a gladio distinguere possumus.

Præter quatuor illas distinctiones, Scotus ejusque discipuli aliam distinctionem nec realem, nec rationis tantùm, sed *intermediam* admittunt; eaque nominatur *formalis*, *scotistica*, aut *realis minima*. Distinctio hujusmodi comperitur inter diversas ejusdem entis perfectiones, a se quidem et a subjecto, cui inhærent, inseparabiles; sed ità se habentes ut, ante omnes intellectùs operationes, una formaliter non sit alia. Sed, omnis distinctio vel est realis, vel non; et ideò dari nequit alia distinctio intermedia; undè, non solum subtilis, sed falsa videtur Scoti sententia (Cf. Sect. I, *Distinct.* VIII, q. 4; *Super univers. Porphyr.; In II Sent.* Dist. III, q. 1).

III. Loquere de similitudine et æqualitate, necnon de diversitate et oppositione.

41. E notionibus idenditatis et distinctionis quatuor aliæ notiones oriuntur; nempè, *similitudo* et *æqualitas* ex identitate, *diversitas* et *oppositio* e distinctione defluunt.

Ea scilicet, quorum essentia aut *substantia* eadem est, identitate gaudent; ea autem, in quibus eadem est *qualitas*, similia dicuntur; ex. gr. papyrum nivi simile est albedine; ea verò, in quibus eadem est *quantitas*, sunt æqualia.

E contrariò, si duo plurave distinguuntur *essentialiter*, vocari solent *diversa* seu *differentia* (1); si autem *qualitate* discriminantur, sunt *dissimilia;* si verò *quantitate* discrepant, *inæqualia* nominari solent. Ea tandem, quæ non solùm distinctione quadam afficiuntur, sed etiam inter se quodammodo *pugnant*, *opposita* dicuntur. Eaque oppositio est multiplex : vel enim oritur e relatione unius rei ad alteram, et tunc vocari solet *minima* seu *relativa*, ut inter Personas in Trinitate: vel defluit e verâ exclusione unius rei ab alterâ, et dici potest *contraria*, ut calor et frigus; aut *privativa*, ut visus et cæcitas; aut *contradictoria*, ut ens et non ens.

Hìc agitatur quæstio inter philosophos; utrum scilicet dari possint duo entia perfectè similia.

Negat Leibnitzius, dicens : si Deus duo entia perfectè similia crearet, non esset sapiens; nam ageret sinè ratione sufficiente.

Affirmant alii, dicentes : jocosa est Leibnitzii argumentatio; aliundè, non repugnat duo entia esse perfectè similia; ergò, Deus entia hujusmodi creare potest. Tu verò unam aut alteram opinionem, ut placet, eligas.

(1)(* Nota : Scholastici distinctionem admittunt inter diversitatem et differentiam; secundùm verba doctissimi Sanseverino : « Ea, quæ inter se distinguuntur, si eo respectu considerentur, quo essentia unius non est essentia alterius, *diversa*, vel *differentia* dicuntur; diversa, si considerentur tantùm quatenùs essentia unius non est id, quod est essentia alterius; differentia verò, si consideretur aliquid in eis commune, quod in uno, secùs ac in alio, essentialiter determinatur. E. g., si consideretur hominem non esse id, quod est brutum, et brutum non esse id, quod est homo, homo et brutum veluti quædam res diversæ intelliguntur; sin in homine et bruto consideretur animalitas, quæ per rationalitatem determinatur in homine, et per irrationalitatem in bruto, homo et brutum intelliguntur veluti duæ res differentes. » *Ontologia, Compendium*, n. 64. *)

IV. Quomodo e notionibus expositis oritur conceptus ordinis?

42. Si res inter se distinctas aptè disponimus, necnon ordinamus ad eumdem finem, habemus *ordinem*, qui rectè definiri potest juxtà sanctum Augustinum (*De Civit. Dei*, l. XIX, 13) : « Parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio. » Seu etiam : *Apta rerum omnium dispositio ad finem communem.*

Ordo perfectus quatuor elementis constituitur : 1°, Supponit summam *intelligentiam* in causâ, seu in agente, quod omnia, sive materialia sive spiritualia, sive physica sive moralia sapientissimè disponit.

2°, Ad ordinem generalissimum requiritur *universalitas* in rebus ; aliter enim ordo non esset perfectus ; sed inordinatio quædam ei foret annexa.

3°, *Unitas* exigitur in fine ; secùs enim ordo universalis non esset unicus ; nam, per ordinem intelligitur dispositio rerum ad finem communem.

4°, *Media* apta et idonea, tùm ex parte ipsius agentis a quo procedit ordinatio, tùm ex parte rerum quibus ordo coalescit, necessariò requiruntur ut finis intentus possit obtineri ; nam aliter ordo foret inutilis.

Ordo tamen universalissimus non excludit ordines particulares, qui relativè ad ordinem generalem quasi partes relativè ad totum habentur. Quippè, intellectus quadruplicem ordinem detegit in rebus, *naturalem* scilicet, *logicum*, *moralem* et *artisticum* : ordo naturalis existit in rebus naturæ ; ordo logicus in operationibus intellectûs ; ordo moralis in actibus voluntatis ; et ordo artisticus in opificiis affabrè confectis (1).

(1) De quatuor ordinibus perbellè scripsit sanctus Thomas : « Ordo quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo quem

Etsi quatuor ordines præfati realiter inter se distingui debeant, alii tamen aliis et perfectione et dignitate præstant; sic, ordo naturalis ordinem artisticum, ordo logicus ordinem naturalem, et ordo moralis ordinem logicum antecellit. Item, in ordine morali, qui dividitur in *religiosum* et *politicum*, ordo religiosus ordinem politicum præcellere debet. Re quidem verâ, excellentia cujuslibet ordinis ab ejus fine dimanat; sed finis ordinis religiosi altior est fine ordinis politici et ceterorum ordinum; eapropter, ordo religiosus omnibus aliis ordinibus perfectior est et excellentior.

CAPUT SECUNDUM.

DE VERO.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de vero?

43. Ens in se spectatum dicitur *unum;* si autem sumitur relativè ad intellectum et voluntatem, tres aliæ proprietates innotescunt : *verum*, *pulchrum* et *bonum;* ens enim *fulget intellectui*, et ut sic dicitur *verum*, quod est *objectum scientiæ;* aut, *visum* ab *intellectu*, *admirationem* et *complacentiam* excitat, et in eo sensu est *pulchrum*, quod habetur ut *artis objectum;* vel *appetitum voluntatis allicit* et *movet*, ac ideò vocatur *bonum*, quod est *Ethicæ objectum.* Undè, sit schema :

ratio non facit, sed solùm considerat, sicut est ordo rerum *naturalium.* Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, putà cum ordinat *conceptus suos* ad invicem, et signa conceptuum, quæ sunt voces significativæ. Tertius autem est ordo quem ratio considerando facit in operationibus *voluntatis.* Quartus autem est ordo quem ratio considerando facit in *exterioribus rebus*, quarum ipsa est causa, sicut in arcâ et domo (*In Ethic.*, l. I, lect. 1). »

1°,
Ens, si spectatur relativè
ad intellectum et voluntatem,
lucet, placet, allicit.

2°,
Ens in quantùm lucet
est *verum*,
et *scientiæ* fundamentum
constituit.

3°,
Ens quatenùs placet est
pulchrum,
et *artis* fundamentum
dicitur.

4°,
Ens in quantum allicit
est *bonum*,
et *ethicæ* fundamentum exhibet.

Ea quæ ad *verum* respiciunt, duobus articulis absolvuntur : 1^us^ erit de veri *notione;* 2^us^, de *falsitate*, quæ veritati opponitur.

ARTICULUS PRIMUS.

De veri notione.

11. Quotuplici sensu veritas sumi potest?

44. Veritas multiplici sensu accipitur apud philosophos. Quùm enim veritas sit *relatio rei ad intellectum*, sumi potest pro ipsâ *re*, quæ refertur ad intellectum, in eoque sensu vocatur a sancto Augustino (*Solil.*, c. v) « *id quod est;* » seu dicitur *objectiva*, *ontologica*, *fundamentalis*, *ens verum*, et veritas « *in* essendo (Cf. *Logic.*, n. 151). » Accipitur etiam pro *relatione* objecti ad intellectum, et ut sic definitur « *adæquatio rei et intellectûs* (S. Thomas, *Qq. disp. de Veritate*, q. 1, a. 1, et *Sum. Theol.*, p. 1, q. 16, a. 1); » ideoque nuncupari solet *veritas* propriè dicta seu *formalis*, *metaphysica* et *transcendentalis*. Sæpè habetur « *effectivè*, » scilicet pro *in-*

tellectûs cognitione; idcircò dicitur *idealis*, *logica*, veritas « *in cognoscendo*, » et *conformitas cognitionis cum re cognitâ*. Quandoque usurpatur pro *veracitate sermonis*, id est, pro conformitate sermonis cum re enuntiatâ; undè, dicitur veritas *moralis* seu « *in dicendo* (Cf. *Logic.*, n. 151) (1). »

In Ontologiâ, ut advertit R. P. Zigliara (*Ontol.*, lib. II, c. II, a. 3), veritas non habetur in sensu *logico* aut *morali;* aliundè, non accipienda est tantummodò *fundamentaliter*, eò quod sic habita non differt ab ente, etiam distinctione *rationis;* sed sumenda est *formaliter*, quatenùs importat relationem seu ordinem rei ad intellectum, et definitur *adæquatio rei et intellectûs*.

III. Quid docent scholastici de veritate metaphysicâ?

45. Quatuor docent scholastici de veritate metaphy-

(1) Cf. S. Thom., *Qq. disp., de Veritate*, q. 1, a. 1. Et alibi : « Veritas diversimodè notificatur. Nam Augustinus... dicit quod « veritas est quâ ostenditur id quod est. » Et Hilarius dicit... quod « verum est declarativum aut manifestativum esse, » et hoc pertinet ad veritatem secundùm quod est in intellectu. Ad veritatem autem rei secundùm ordinem ad intellectum pertinet definitio Augustini... : « Verum est summa similitudo principii, quæ sine ullâ dissimilitudine est; » et quædam definitio Anselmi... : « Veritas est rectitudo solâ mente perceptibilis; » nam rectum est quod principio concordat; et quædam definitio Avicennæ, talis : « Veritas uniuscujusque rei est proprietas sui esse quod stabilitum est ei. » Quod autem dicitur, quod veritas est *adæquatio rei et intellectûs*, potest ad utrumque pertinere. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 16, a. 1. — « Veritas est in essendo, in cognoscendo, in dicendo; est in essendo proprietas entis secundum quam esse ratum, fixum, conforme intellectui divino habet; est in cognoscendo conformitas cognitionis cum re cognitâ; est in dicendo conformitas dictionis cum cognitione, seu veracitas. » *Sum. Theol.*, édit. Vivès, ann. 1871, t. I, p. 127, Not. (A.)

sicâ et formali : Primò scilicet, ens et verum non differunt distinctione reali; quapropter, omne ens est verum, seu « *ens et verum* convertuntur (S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 15, a. 3). »

Secundò, ens et verum differunt distinctione rationis; ens enim in se dicitur, *quidquid habet aliquam realitatem;* verum autem est ens, *quatenùs habet relationem ad intellectum* (1).

Tertiò, veritas existit primariò, et principaliter in intellectu infinito; secundariò tantùm et fundamentaliter in rebus; undè, veritas essentialiter pendet ab intellectu divino, seu etiam intellectus divinus est *mensura* veritatis, et idcircò errare non potest. Prætereà, res creatæ in se non sunt falsæ; quidquid enim existit in rebus naturæ conditum est secundum ideas, quæ inveniuntur in intellectu divino, et iis exemplaribus accuratè respondet.

Quartò, veritas non refertur ad intellectum nostrum, nisi solùm accidentaliter; undè, veritas pendere nequit ab homine; imò, dicitur *mensura* intellectûs humani; quocircà, errare possumus (2).

(1) S. Thom., *Sum. Theol., loc. cit.* Et ibidem : « Verum est in rebus et in intellectu, ut dictum est. Verum autem quod est in rebus convertitur cum ente secundùm substantiam; sed verum quod est in intellectu convertitur cum ente, ut manifestativum cum manifestato. Hoc enim est de ratione veri, ut dictum est. Quamvis posset dici quod etiam ens est in rebus et in intellectu, sicut et verum; licet verum principaliter sit in intellectu, ens verò principaliter in rebus. Et hoc accidit propter hoc quod verum et ens differunt *ratione.* » A. 3, ad 1um.

(2) *Qq. disp.*, *De Veritate*, a. 2. Quod sic exprimit R. P. Liberatore : « Res creatæ comparantur ad intellectum divinum ut mensuratum ad mensuram, contrà ad intellectum humanum ut mensura ad mensuratum. » *Metaphysic. gener.*, c. I, n. 37. Eodem sensu scripsit A. Dupont : « La vérité réside d'abord dans l'intelligence de Dieu, connaissant son

Hæc omnia sunt magni momenti; undè, statuitur et probatur sequens

PROPOSITIO.

Omne ens est verum; — jamque veritas dicitur ens, quatenùs habet relationem ad intellectum; — essentialiter quidem pendere debet ab intellectu Dei; — sed pendere nequit ab intellectu hominis.

Probatur per partes. — 1°, *Omne ens est verum.* — Ens enim dicitur verum in quantùm est cognoscibile; sed, omne ens est cognoscibile; undè, omne ens est verum. Major patet ex dictis. Probatur minor. — Ut ens cognosci possit, duo requiruntur et sufficiunt; nempè, necesse est ut habeat aliquam realitatem sibi propriam, et secerni possit a qualibet aliâ entitate; porrò, vidimus omne ens esse aliquid in se unum et indivisum, sed a quolibet alio distinctum. Undè, omne ens cognosci et secerni potest, et proindè est verum.

Item, omne ens habet proprietates seu notas, quibus constituitur; v. gr. esse *animal rationale.* Porrò; si adsunt notæ hujusmodi, ens dicitur *verum;* ex. gr. homo est *verè* animal rationale; si autem una aut altera ex his proprietatibus deficit, jam ens concipi nequit. Ergò, ens omne est verum, vel non est ens.

2° *Veritas dicitur ens, qnatenùs habet relationem ad intellectum;* seu, ut loquamur cum scholasticis, veritas *formaliter* tribuitur rebus per ordinem ad intellectum. — Veritas differt ab ente distinctione rationis; sed, distinc-

essence; en second lieu dans les choses créées, expressions des idées divines; en troisième lieu dans l'esprit humain percevant les essences des créatures; et enfin dans le langage, conforme à nos idées et à nos impressions. L'intelligence divine est la *mesure* de la vérité créée, qui *mesure* à son tour l'intellect humain. » *Ontologie*, p. 95.

tio illa consistere debet in eò quod veritas supponit relationem rei ad intellectum; undè, relatio hujusmodi est causa propter quam ens dicitur verum. Probatur major. Veritas differt ab ente distinctione rationis; ens enim concipitur ut mera realitas, seu ut *id quod est* simpliciter; verum autem dicitur *id quod est* « *intelligibile.* » Probatur minor. Verum supponit relationem ad intellectum seu « adæquationem rei et intellectûs; » nam, juxtà sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, a. 1, q. 16, a. 3), sicut bonum est objectum voluntatis, ità et verum dicitur objectum intellectûs; undè, sicut bonum « addit rationem appetibilis suprà ens, ità et verum (addit suprà ens) *comparationem* (seu *relationem*) ad intellectum. »

3°, *Veritas essentialiter pendet ab intellectu divino;* id est, juxtà scholasticos, veritas dicitur de rebus per *essentialem* ordinem dependentiæ ad intellectum divinum. — Veritas enim necessariò supponit relationem ad intellectum; ità ut, sublato intellectu, jam nihil est verum. Porrò, intellectus divinus, et ille solus, omnia comprehendit et perfectè « adæquat » seu « mensurat, » quùm sit infinitus. Veritas igitur essentialiter pendet ab intellectu divino; undè, ut advertit sanctus Thomas (*Qq. disp. de Verit.*, a. 2), veritas « per priùs » est in Deo quam in rebus (1).

4°, *Veritas pendere nequit essentialiter ab intellectu hominis;* videlicet, ut aiunt scholastici, veritas rerum refertur ad intellectum creatum non per ordinem *essentialem*, sed tantùm *accidentalem.* — Id enim, quod potest cognosci aut non cognosci, accidentale est relativè ad in-

(1) Eccè sententia sancti Doctoris : « verum cum sit terminus intellectûs, sicut bonum appetitûs, veritatem omnem in intellectu esse oportet principaliter, secundariò autem in rebus secundum ordinem ad intellectum, a quo dependent. » Cf., *Sum. theol.*, p. I, q. 16, a. 1.

tellectum; atqui, intellectus creatus verum cognoscere potest, aut non cognoscere; ergò, veritas accidentaliter tantùm refertur ad intellectum hominis.

Aliundè, juxtà sanctum Thomam (*Qq. disp. de Veritate*, a. 2), intellectus noster non possidet veritatem, sed illam « accipit a rebus; » eapropter dicitur « quodammodò motus ab ipsis rebus, et ità res mensurant ipsum; » atqui, mensura non pendet a re mensuratà; ergò, veritas pendere nequit ab intellectu hominis.

IV. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 46. Obj. I. Veritas et ens non differunt distinctione reali; ergò, veritas est priùs et principaliùs in re quam in intellectu.

Resp. *Concedo antecedens. Distinguo consequens :* veritas est priùs et principaliùs in re, *fundamentaliter*, seu quatenùs dicitur ens cognoscibile, *concedo; formaliter*, in quantùm est veritas, *nego*. Quippè, veritas perficitur et complementum habet in subjecto cognoscente; undè, in hoc sensu, meritò dicitur esse priùs et principaliùs in intellectu.

Obj. II. Veritas dicitur principaliùs de cognitione intellectûs; sed, ens principaliùs dicitur de rebus; ergò, ens et verum inter se differunt.

Resp. *Distinguo majorem :* Veritas *logica* est principaliùs in cognitione intellectûs, *concedo;* veritas *metaphysica*, *subdistinguo :* est principaliùs in intellectu, *formaliter, concedo; fundamentaliter, nego. Distinguo minorem :* ens principaliùs dicitur de rebus, in quantùm est *ens, concedo;* in quantùm est ens *verum, subdistinguo :* est principaliùs in rebus, *fundamentaliter, concedo; formaliter, nego. Distinguo consequens :* ens et verum inter se differunt, distinctione *rationis*, *concedo;* distinctione *reali, nego*. Quippè, juxtà sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, p. I, q. 16, a. 3, ad 1^um^), « ens est in rebus et in intellectu, sicut et verum; licet verum principaliter sit in intellectu, ens verò principaliter in rebus. Et hoc accidit quià verum et ens differunt *ratione*. » *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De falsitate.

I. Quid et quotuplex est falsitas?

47. Veritati opponitur *falsitas*, quæ vocari solet : defectus adæquationis inter rem et intellectum; seu : *inæqualitas rei et intellectûs* (1); ut si dicas, bis duo dant septem.

Duplex esse potest falsitas, una in « cognoscendo, » altera in « dicendo; » falsitas in cognoscendo vocatur *error*, et falsitas in dicendo est *mendacium*.

II. Utrum et quomodo res aliqua potest esse falsa?

48. Omnia et *in se* et in *comparatione* ad *intellectum divinum* vera sunt; attamen non repugnat rem aliquam *per accidens* esse falsam. Nempè, respectu intellectûs humani fieri potest, propter apparentiam fallacem, ut aliquid judicetur esse id, quod reverà non est; sic, ex. gr. judicare possumus cuprum esse aurum, aut stannum esse argentum : « Per comparationem ad intellectum divinum, ait sanctus Thomas, nulla res potest esse falsa : sed per comparationem ad intellectum humanum invenitur interdum inæqualitas rei ad intellectum (2). »

(1) Cf. S. Thom., *Sum Theol.*, p. I, q. 16, a. 1. — « Sicut veritas consistit in adæquatione rei et intellectûs, ità falsitas consistit in eorum inæqualitate. » *Qq. disp. De Veritate*, q. 1, a. 10.

(2) *Qq. disp. De Verit.*, q. I, a. 10. Et alibi : « Res comparata ad intellectum, secundùm id quod est, dicitur vera; secundùm id quod non est, dicitur falsa. Undè verus Tragœdus est falsus Hector, ut dicitur in II *Soliloq.* Sic igitur in his quæ sunt invenitur quædam ratio falsitatis. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 17, a. 1, ad 1^um.

Probatur assertio. — 1°, Omnia *in se* vera sunt; nam, ut vidimus, omne ens est verum. 2°, Nihil est falsum respectu intellectûs divini; nam, veritas spectari potest vel in ipso intellectu divino, vel in rebus creatis : si priùs, veritas est maximè *una* et *perfecta* (S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 16, a. 6), eò quod in Deo nulla est compositio aut imperfectio. Si posteriùs, Deus cognoscit omnia ut sunt, eò quod est prima causa et condidit universa secundum ideas suas; secùs enim non esset artifex sapientissimus (1). 3°, Respectu intellectûs creati, nulla res dici potest *per se* falsa; nam, omnia *per se* dicuntur necessariò et essentialiter vera. Sed, *per accidens*, aliquid potest esse falsum respectu intellectûs creati; quùm enim intellectus noster accipiat veritatem a rebus ope sensuum, aliorumve cognoscendi mediorum, fieri potest ut judicet aliquid esse, quod reverà non est (Cf. *Logic.*, n. 165, et S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 17, a. 1).

III. In quo præcise consistit falsitas?

49. Falsitas ordinariè partim a re ipsâ, partim a sensu gignitur; sed *formaliter* consistit in intellectûs judicio. Falsitas partim a rebus oriri potest; nam, etsi res in se sint veræ, attamen propter apparentiam fallacem, nos

(1) (* Nota : Aliquid dicitur falsum respectu Dei, quià deficit a regulis, quas ipse Deus statuit; « (nam, ut ait sanctus Thomas (*Sum. Theol.*, p. I, q. 17, a 1) agens liberum potest se subducere ab ordinatione divini intellectûs, in quo malum culpæ consistit; secundùm quod ipsa peccata falsitates et mendacia dicuntur in scripturis, secundùm illud Psal. IX, 3 : ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? sicut per oppositum operatio virtuosa veritas vitæ nominatur. In quantùm subditur ordini divini intellectûs, sicut dicitur (Joan. III, 21) qui facit veritatem, venit ad lucem. » *)

in errorem inducere queunt; ità, « aurichalcum » videtur esse aurum, et stannum videtur esse argentum, propter similitudinem coloris : « Quando in aliquâ re, ait sanctus Thomas, apparent sensibiles qualitates demonstrantes naturam quæ eis non subest, dicitur res illa esse falsa (1). » Et alibi : « Res per se non fallunt, sed per accidens. Dant enim occasionem falsitatis, eò quod similitudinem eorum gerunt quorum non habent existentiam (*Sum. Theol.*, p. I, q. 17, a. 1, ad 2^um). »

Falsitas etiam partim a sensibus gignitur; etenim, ut aiunt scholastici, post Aristotelem et sanctum Thomam, « cognitio nostra initium a sensu sumit, cujus per se objectum sunt sensibiles qualitates (*Qq. dist. De Verit.*, q. 1, a. 10); » sed, in perceptione sensuum falsum inveniri potest, propter impedimentum sive in organo, sive in medio, sive in ipsis rebus existens; undè, falsitas partim a sensu oritur.

Sed, quùm omnis cognitio « perficiatur in intellectu (2) » veritas et falsitas propriè ac formaliter consistunt in judicio intellectûs; secundùm ea sancti Doctoris : « Veritas et falsitas præcipuè in judicio animæ existunt (*Qq. disp. De Verit., loc. cit.*). » Quippè, intellectus cognoscit diversis operationibus : primariò simplices rerum notitias apprehendit; deindè notitias hujusmodi comparat, et de earum convenientiâ aut discrepantiâ pronuntiat. Sed quibusdam rebus tribuere potest id quod

(1) *Qq. dist. De Veritate*, q. I, a. 10. « Illa dicuntur falsa quæ nata sunt videri aut qualia non sunt, aut quæ non sunt; ut aurum falsum, in quo exteriùs apparet color auri, et alia hujusmodi accidentia, cum tamen interiùs natura auri non subsit. » *Ibid.*; — Aristot. VI *Metaphys.*

(2) S. Thomas, *Qq. Disput., De Veritate*, q. 1, a. 11 : « Cognitio nostra quæ a rebus initium sumit, hoc ordine progreditur, ut primò incipiat in sensu, secundò perficiatur in intellectu. »

eis non convenit; et sic in errorem labitur : « (Intellectus) in componendo vel dividendo, ait sanctus Doctor, potest decipi, dùm attribuit rei, cujus quidditatem (seu essentiam) intelligit, aliquid quod..... ei opponitur (*Sum. Theol.*, p. 1, q. 17, a. 3). »

IV. Quotuplex est error de veritate et falsitate?

(* 50. Plures sunt errores de naturâ veritatis et falsitatis; verumtamen ad quatuor revocari possunt : unus est error Wolfii; alius Ontologistarum; tertius sophistarum; ultimus Lockii et *positivistarum*.

1°, De errore Wolfii. — Wolfius (*Corpus philosophiæ*, Ontol.) ejusque discipuli contendunt veritatem metaphysicam non consistere in adæquatione rei cum intellectu divino, sed in *conformitate rei* cum suis *principiis constitutivis* (1).

Ea Wolfii sententia notionem veritatis metaphysicæ penitùs evertit; si enim veritas nihil sit, nisi conformitas rei cum suis principiis constitutivis, jam non distinguitur ab entis possibilitate, etiam distinctione rationis; nam, ut vidimus, res dicitur possibilis, eò quod harmonia et conformitas inveniuntur inter elementa ejus constitutiva. Sed, verum et ens ratione differunt, quià verum non est ens in se sumptum, sed quatenùs comparatur ad intellectum; et ideò, secundùm sanctum Thomam, « sicut bonum addit rationem appetibilis suprà ens, ità et verum (addit) comparationem ad intellectum (*Sum. Theol.*, p. I, q. 16, a. 3). » Ergò, rejicienda est Wolfii sententia.

2°, De errore Ontologistarum. — Quidam ontologistæ, post Malebranchium, asserunt unam esse veritatem, nempè Deum; undè, intellectus humanus in solo Deo verum intueri potest.

Hæc opinio est falsa; nam, etsi Deus sit prima et summa veritas, res tamen creatæ, necnon et conceptus nostri « *propriâ*

(1) « Les nombreux disciples de Wolf enseignent, d'un commun accord, que la vérité métaphysique se trouve placée dans la convenance de l'être avec les principes qui le constituent. » Sanseverino, *Ontologie*, traduc. 1876, p. 100.

veritate gaudent. » Quùm enim omne ens sit verum, si una tantùm esset veritas, jam unum esset Ens, ut volunt pantheismi fautores.

Ad rem egregiè scripsit sanctus Thomas : « Ratio veritatis in duobus consistit : in esse rei, et in apprehensione virtutis cognoscitivæ proportionata ad esse rei. Utrumque autem horum quamvis reducatur in Deum, sicut in causam efficientem et exemplarem; nihilominùs tamen quælibet res participat suum esse creatum, quo formaliter est, et unusquisque intellectus participat lumen per quod rectè de re judicat, quod quidem est exemplatum a lumine increato. Habet etiam intellectus suam operationem in se, ex quâ completur ratio veritatis (1). »

3°, De errore sophistarum. — Juxtà, sophistas hodiernos, verum non est in rebus fundamentaliter, sed existit tantùm in intellectu; ideoque veritas appositè definiri potest : « *Evolutio intellectûs humani.* »

Hanc theoriam exponit Scherer, dicens : « *Le vrai n'est plus vrai en soi.* Ce n'est plus une quantité fixe qu'il s'agit de dégager, un objet rond ou carré qu'on puisse tenir dans la main. Le *vrai*, le beau, le juste se font perpétuellement, parce qu'ils ne sont autre chose que l'*esprit humain*, qui, *en se déployant*, se retrouve et se reconnaît (*Hégel et l'Hégélianisme*). »

Sophistæ recentes veritatem metaphysicam a veritate logicâ minimè secernunt; — omnium scientiarum principia penitùs evertunt; — et perperam asserunt unam eamdemque rem esse « *verum* cum falso. » Aliundè, ut vidimus, veritas *fundamentaliter* consistit in *entitate* rei, et *formaliter* in *adæquatione* rei cum *Intellectu divino;* verum igitur non est evolutio intellectûs humani.

4°, De errore Lockii et *Positivistarum.* — Lockius et ejus as-

(1) I *Sent.*, dist. XIX, q. 5, a. 2, sol. Et ibidem : « Dico, quod sicut est unum esse divinum quo omnia sunt, sicut a principio effectivo exemplari, nihilominùs tamen in rebus diversis est diversum esse, quo formaliter res est; ità etiam est una veritas, scilicet divina, quâ omnia vera sunt, sicut principio effectivo exemplari; nihilominùs sunt plures veritates in rebus creatis, quibus dicuntur veræ formaliter. »

seclæ veritatis *essentiam* reponunt in *convenientiâ* rerum naturalium cum intellectu nostro. Ferè eodem sensu *positivistæ*, ducibus E. Littré, H. Taine, et Stuart-Mill, veritatem appellant *qualitatem per quam res physicæ nobis videntur esse id quod sunt :* « La vérité, ait E. Littré, est la qualité par laquelle les choses apparaissent telles qu'elles sont. »

Ex illâ veritatis notione exitiales eruuntur consequentiæ; scilicet, juxtà sensismi et positivismi patronos, veritas est convenientia rerum externarum cum ideis nostris; sed ideæ nostræ, si tantummodò subjectivè sumuntur, sunt aliquid contingens, mutabile, relativum et finitum; undè, nulla est veritas metaphysica, absoluta, immutabilis, æterna, necessaria (1); undè, non est suprema et summa Veritas, nempè Deus; undè, veritas est vicissitudini obnoxia, arbitraria et *relativa*.

Adversùs illud sensismi et positivismi commentum, tria statuimus : 1°, Veritas non est, nisi secundariò tantùm, adæquatio rerum cum intellectu humano; sed *essentialiter, formaliter,* et *primario* consistit in *adæquatione rerum* cum *intellectu divino*. 2°, Quùm Deus sit Ens æternum, immutabile, necessarium et absolutum, veritas, in quantùm est adæquatio rerum cum intellectu divino, jurè dicitur æterna, immutabilis, absoluta et necessaria. 3°, Veritas sive formaliter in Deo spectetur, sive fundamentaliter in rebus, minimè pendet ab intellectu nostro, nec dici potest aliquid relativum et arbitrarium. *)

(1) « L'esprit positif a successivement fermé toutes les issues à l'esprit théologique et métaphysique, en dévoilant successivement la condition d'existence de tous les *phénomènes accessibles* et *l'impossibilité* de rien atteindre *au delà.* » E. Littré, *Conservation*, p. 61. « *L'absolu* est inaccessible à l'esprit humain, non-seulement en philosophie, mais en toutes choses. » *Ibidem*, p. 37.

CAPUT TERTIUM.

DE PULCHRO.

I. Quomodo dividitur caput tertium, de pulchro?

51. Postquam dictum est de his, quæ pertinent ad verum, tractandum est de *pulchro;* nam, ut aiunt, pulchrum est quidam splendor *veri,* et, juxtà sanctum Thomam, *præcipuè* refertur « ad *vim cognoscitivam;* » bonum autem pertinet ad *voluntatem* (*Sum. Theol.*, p. I, q. 5, a. 4, ad 1^um^); et ideò quæstionem de pulchro solvere oportet, priùsquam de bono disputetur. Porrò, dicendum est *quid sit* pulchrum, et quomodò *manifestetur;* utrum et quibus regulis exprimi possit in operibus arte confectis; tandem, quot sint errores circà præsentem quæstionem. Undè, tres articuli : 1^us^, de pulchri *naturâ* et *manifestatione;* 2^us^, de *arte* et *æstheticâ* ; 3^us^, de *erroribus* philosophorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De pulchri naturâ et manifestatione.

II. Quid est pulchrum et quæ sunt pulchri elementa?

52. Juxtà sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, p. I, q. 5, a. 4, ad 1^um^) : « Pulchra dicuntur, quæ *visa placent;* undè pulchrum in *debitâ proportione* (seu *perfectione*) consistit. » Scilicet, pulchrum rectè definiri potest :

Debita rerum perfectio, quatenùs visa placet.

Ut apparet ex illâ definitione, tria necessariò complecti debet pulchritudo; nempè, *fundatur* in *debitâ perfec-*

tione rerum ; supponit *visionem* facultatis *cognoscitivæ* tanquam rationem *formalem;* et producit *complacentiam* ut *effectum*.

Radix igitur pulchritudinis est in ipsâ rerum veritate (1), unitate, integritate, varietate, proportione aliisque dotibus *objectivè* sumptis ; et ut sic jurè dicitur splendor veri. Aliundè, « admirationem » et complacentiam excitat ; et ut talis maximâ cum bono affinitate gaudet.

Pulchrum tamen ab ente, a vero et a bono differt distinctione rationis ; ab ente, quià significat rem non quatenùs in se est, sed in quantùm *visa* placet ; a vero, *complacentiam* enim et delectationem gignit (2) ; a bono, nam *præcipuè* refertur ad facultates cognoscitivas, dùm e contrariò bonum pertinet ad vim appetitivam (3).

(* Eam pulchri theoriam perbellè evolvit sanctus Thomas, dicens : « Pulchrum et bonum in subjecto quidem sunt idem, quià super eamdem rem fundantur, scilicet super *formam;* et propter hoc, bonum laudatur ut pulchrum ; sed *ratione* differunt ; nam bonum propriè respicit *appetitum;* est enim bonum,

(1) R. P. Liberatore, *Metaphys. gener.* « Apparet fundamentum pulchritudinis esse veritatem, saltem existimatam, rei. Impossibile enim est ut placeat contemplanti id, quod ab ipso falsum esse reputatur. » N. 52.

(2) Hæc complacentia et delectatio non est amor ; qui enim amat, non solùm sibi complacet in re amatâ, sed ad illam tendit, eamque prosequitur.

(3) « Licet subjecto pulchrum cum bono sit idem, tamen ratione differt. Nam bona dicitur res, quatenùs refertur ad appetitum ; pulchra autem, quatenùs refertur ad cognitionem. Bonum enim assequi cupimus, pulchrum autem contueri. » R. P. Liberatore, *Loc. cit.*, n. 51. P. André distinctionem non solùm rationis, sed etiam realem inter pulchrum et pulchritudinem admittendam esse falsò contendit. *Essai sur le Beau.*

quod omnia appetunt; et ideò habet rationem finis; nam appetitus est quasi quidam motus ad rem. Pulchrum autem respicit vim *cognoscitivam;* pulchra enim dicuntur, quæ *visa placent;* undè pulchrum in debitâ proportione consistit : quià sensus delectantur in rebus debitè proportionatis, sicut in sibi similibus; nam et sensus ratio quædam est, et omnis virtus cognoscitiva. Et quià cognitio fit per assimilationem, similitudo autem respicit formam, pulchrum propriè pertinet ad rationem causæ *formalis* (1). »

Multi autem falsam aut incompletam tradiderunt pulchri notionem; alii enim, cum sensualistis, nomine pulchri designant *formam egregiam rerum sensibilium.* Sed illa definitio non est completa; vix enim speciem unam pulchritudinis, nempè pulchritudinem rerum materialium exprimit. Alii verò pulchrum definiunt *splendorem veri;* aut etiam, *unitatem in varietate.* Et sanè, splendor veri, unitas et varietas ad pulchritudinem constituendam ex parte concurrunt; verumtamen, sunt aliquid merè objectivum, et consequenter non exhibent rationem pulchri *formalem;* id est, non sufficienter ostendunt quid sit pulchrum relativè ad nos. *)

Ex dictis inferre licet pulchrum *objectivè* sumptum tribus elementis constitui; videlicet *integritate, proportione* et *claritate :* « Ad pulchritudinem, ait sanctus Thomas (*Sum. Theol.,* p. I, q. 39, a. 8), tria requiruntur : primò quidem *integritas,* sive perfectio; quæ enim diminuta sunt,

(1) *Sum. Theol.,* p. I, q. 5, a. 4, ad 1^um. De pulchri theoriâ Cf. Joan. Pianciani, *Saggi filosofi;* Aloys. Taparelli, *Le ragioni del Bello secondo i principii di S. Tommaso.* Ad rem quoque egregiè scripsit S. Franciscus Salesius, *Traité de l'amour de Dieu,* c. I; sic se habet : « L'union establie en la distinction fait l'ordre; l'ordre produit la convenance et la *proportion;* et la convenance, ès choses entières et accomplies, fait la beauté. » P. André, *Essai sur le Beau;* L. B., *Prælectiones philosophicæ, Æsthetica;* Jouffroy, *Cours d'Esthétique;* Burke, *Essai sur le Beau et le Sublime;* Cousin, *Du Vrai, du Beau et du Bien.*

hoc ipso turpia sunt ; et debita *proportio*, sive consonantia, et iterùm *claritas;* undè quæ habent colorem nitidum, *pulchra* esse dicuntur (Cf. *Doctrine de la connaissance d'après S. Thomas d'Aquin*, par L.-C. Bourquard, p. 203). » Ex parte verò *subjecti,* requiruntur *visio* et *complacentia.* Undè, id, quod est *falsum* aut *malum*, non potest esse pulchrum, eò quod integritate, proportione et claritate debitâ caret ; et proindè complacentiam propriè dictam gignere nequit in animâ.

III. Quotuplex est pulchri species ?

53. Quoad nomen, attributum entis transcendentale, de quo disserimus, duobus vocabulis exprimitur : hæc sunt *pulchrum* et *pulchritudo.* Eumdem sensum exhibent ; attamen vox pulchrum est magis *concreta*, et præsertim *objectivè* sumitur ; vox autem pulchritudo est magis *abstracta*, et *subjectivè* præsertim habetur. Ità dicendum est de vocabulis *verum*, *bonum*, *veritas*, *bonitas.*

Quoad rem verò, diversæ sunt *species* pulchritudinis. Imprimis, philosophi distinguunt pulchrum *ideale* et pulchrum *reale* ; pulchrum ideale est perfectio quædam typica, quæ concipitur ut exemplarium, cui cetera comparamus et eo perfectiora esse putamus, quo magis ad exemplarium illud accedunt. Perfectio hujusmodi considerari potest in Deo, vel in homine ; et ità meritò distinguere solent auctores *pulchrum ideale divinum*, et *pulchrum ideale humanum.* Pulchrum reale est illud, quod inspicitur ut attributum seu perfectio rerum, quibus inest ; et iterùm duplex est : unum *spirituale*, quod scilicet pertinet ad ordinem merè intellectualem aut moralem ; alterum verò *sensibile*, quod videlicet existit in corporibus, et ope sensationis innotescit.

Nonnulli pulchrum dividunt in *essentiale*, *naturale* et

artificiosum (1) : pulchrum essentiale fundatur in ipsis rerum essentiis; proindè, nec a placito hominum, nec etiam a Dei arbitrio pendet. Pulchrum verò naturale, sive intellectuale et morale, sive sensibile et materiale, illud est quod existit in rebus creatis, et ab hominum placito non pendet; ex. gr. dicimus mundum esse pulchrum. Ultimò tandem ea pulchritudo dicitur artificiosa, quæ operibus hominum exprimitur; ut illud templum, illa domus (2).

IV. Utrum omne ens est pulchrum?

54. Vero falsum opponitur, malum bono, et pulchro *deforme* seu *deformitas*. Quemadmodùm autem falsum et malum non sunt entitates, sed tantummodò negationes, defectus, privationes cujusdam perfectionis debitæ; ità, deformitas est absentia proportionis hujus, quæ in rebus fundamentum pulchritudinis constituit. Undè, quùm falsum et malum non impediant quin ens omne, quatenùs est ens, sit verum et bonum; ità nullum ens, in quantùm est ens, dici potest deforme; et ideò jurè statuitur sequens

(1) « Je dis qu'il y a un Beau essentiel, et indépendant de toute institution même divine; qu'il y a un Beau naturel et indépendant de l'opinion des hommes; enfin qu'il y a une espèce de Beau d'institution humaine, et qui est arbitraire jusqu'à un certain point. » P. André, *Essai sur le Beau*, édit. 1827, p. 14. Et infrà : « Il faudrait peut-être encore diviser le Beau arbitraire en plusieurs espèces : un Beau de génie, un Beau de goût, un Beau de pur caprice. » *Loc. cit.*, p. 40.

(2) « Quidam philosophi pulchrum dividunt in *artificiosum*, *naturale*, et *morale* : artificiosum est illud quod splendet in operibus affabrè confectis; naturale invenitur in rebus physicis; et morale fulget in actionibus humanis, quatenùs habent proportionem cum regulis morum immutabilibus. » Cf. Sanseverino, *Ontol.*

PROPOSITIO.

Quidquid habet rationem entis est pulchrum.

Probatur. — Omne ens est verum ; sed, quidquid habet rationem veri, est pulchrum ; ergò, omne ens est pulchrum. Major patet ex dictis. Minor quoque est evidens; nam, in vero semper inveniuntur quædam integritas, proportio et claritas, ut apparet ex ipsâ veri notione; sed, hæc tria sufficiunt ad constituendam pulchritudinem objectivè sumptam, ut dictum est suprà (n. 52); ergò, ens omne quatenùs est ens, scilicet in se et objectivè consideratum, pulchrum esse meritò dicitur.

Prætereà, inter imaginem et exemplar proportio quædam invenitur. Sed, omnia in se ferunt vestigium aut imaginem Creatoris ; nam, omnia condita sunt secundùm ideas exemplares quæ reponuntur in intellectu divino. Undè, quùm Deus sit summum Ens, summa Veritas, *summa Pulchritudo*, necesse est ut quidam gradus pulchritudinis in omnibus et singulis rebus inveniatur (1). Ergò, omne ens est pulchrum.

Aliundè, quidquid habet aliquem perfectionis gradum, seu concurrit ad perfectionem quæ reperitur in orbe universo, habet etiam aliquem pulchritudinis gradum;

(1) « Si res non in notis suis singularibus, sed in suî essentiâ spectentur, dubitandum non est, quin pulchritudo sit omnium rerum proprietas. Re quidem verâ, cum Deus sit naturarum auctor, fieri non potest, ut in ullâ naturâ vel aliquod principium, quod ad ipsam efficiendam requiritur, vel inter principia, quæ ipsam efficiunt, ordo desideretur. » Sanseverino, *Ontol.*, *Compendium*, n. 103. — (Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, 2ª 2æ, q. 145, a. 2, et q. 180, a. 2, ad 3um.)

sed, res omnes ad ornamentum et perfectionem totius universi quodam modo concurrunt; undè, in hac aspectabili rerum varietate, multitudine ac unitate, ens quodlibet, etiam infimum, nonnullâ pulchritudine gaudet.

(* Propositio confirmatur auctoritate sancti Francisci Salesii, qui, post sanctum Dionysium, perbellè scripsit : « Dieu, comme souveraine beauté, est auteur de la belle convenance, du beau lustre et de la bonne grâce, qui est en *toutes choses*, faisant esclater, en forme de lumière, les distributions et départemens de son rayon, par lesquels *toutes choses* sont rendues belles, voulant que pour establir la beauté, il y eut la convenance, la clarté, et la bonne grâce (1). » *)

Dixi : Omne ens, *quatenùs habet rationem entis*, est pulchrum; nam fieri potest, in conflictu causarum secundarum, ut aliqua res destituatur elementis suî constitutivis atque proportione sibi debitâ, et sic deformis evadat : ex. gr. nasus et auricula cujusdam hominis amputari possunt, et facies ejus fœdari.

V. Quid dicendum de pulchri manifestatione?

55. Pulchrum est *absolutum*, aut *secundum quid*. — Deus est pulchritudo *absoluta;* quippè in Eo excellentissimo summoque gradu reperiuntur et unitas, et harmonia, et perfectio, et claritas (2). Prætereà, Deus est fons

(1) *Traicté de l'amour de Dieu,* l. I, c. 1. « Dieu voulant rendre *toutes choses* bonnes et *belles*, a réduit la multitude et distinction d'icelles en une parfaite unité; et pour ainsi dire, il les a toutes rangées à la monarchie, faisant que toutes choses s'entretiennent les unes aux autres, et toutes à lui, qui est le souverain monarque. » *Ibidem.* — S. Dionys. *De divinis nomin.*, c. IV.

(2) Aloys. Taparelli, *Le ragioni del Bello;* Joan. Pianciani, *Saggi filosofi;* C. Levêque, *Le spiritualisme dans l'art.* — De pulchritudine Dei peregregiè scripsit S. Franciscus Salesius : « En la souveraine

et principium omnis pulchritudinis, quæ splendet in rebus creatis; omnis enim creatura non solùm a Deo procedit, verùm etiam præ se fert imaginem aut vestigium perfectionis divinæ.

Undè, res contingentes et finitæ non absolutè, sed *secundum quid manifestant* eximiam Dei pulchritudinem. Sic, in ordine *intellectuali*, proportio debita operationum nostrarum cum ipsâ veritate; in ordine *morali*, conformitas actuum humanorum cum lege æternâ et immutabili; in ordine *physico*, varietas entium, unitas et harmonia; omnia tandem, sive spiritualia sive materialia, sive animata sive inanimata, gradu quidem diverso, specialem *formam* pulchritudinis *manifestant*, visaque placent.

Triplex est *forma* hujusmodi : *sublime*, *pulchrum simpliciter*, et *venustum*. — Nam, in manifestatione perfectionis divinæ, pulchrum sub triplici respectu exhibetur : quandoque, ordinem consuetum excedens, mentis nostræ mirationem aut quasi stuporem excitat; talia sunt ingenium in ordine intellectuali, martyrium in ordine morali, elationes maris in ordine physico. Pulchrum hujusmodi nuncupatur *sublime*.

Sæpiùs verò pulchrum manifestatur secundùm ordinem consuetum, et captui nostro proportionatum, vocarique solet *pulchrum simpliciter;* ut si dicas rem pul-

beauté de nostre Dieu, nous recognoissons l'union, ains l'unité de l'essence en la distinction des personnes avec une infinie clarté, jointe à la convenance incompréhensible de toutes les perfections, des actions et mouvemens, comprises très-souverainement, et par manière de dire, jointes et adjoustées excellemment en la très-unique et très-simple perfection du pur acte divin, qui est Dieu mesme, immuable et invariable. » *Traicté de l'amour de Dieu*, l. I, c. 1. Vide C. Gay, *De la vie et des vertus chrétiennes*, De la chasteté.

chram esse virtutem, vultum hominis, fluminisve cursum.

Pulchrum simpliciter dicitur *venustum* in rebus quæ gratiâ, vel amœnitate præstant, aut in suâ evolutione ordinem consuetum et proportionem debitam nondum attigerunt. Eo sensu rivulus, flos campi, infans, et alia similia sunt vénusta (1).

VI. Undè repetitur sublimis, pulchri et venusti differentia?

(*56. Acerrimè controvertitur inter philosophos, utrùm sublime, pulchrum et venustum *specie*, vel *gradu* tantummodò differant, et *undenam* hæc differentia repeti debeat.

Quidam asserunt sublime, pulchrum et venustum specificè differre; plurimi verò contendunt tres illas pulchritudinis formas nonnisi gradu tantùm esse distinguendas. Hæc opinio verisimilior videtur; quippè, sublime et pulchrum gradu solummodò differunt; nam eadem virtus, in eodem homine, v. gr. fortitudo potest esse primariò ordinaria et pulchra simpliciter; deindè verò fit heroica et sublimis. Prætereà, pulchrum et venustum sunt gradus ejusdem pulchritudinis; nam, ex. gr. vultus in-

(1) De tribus illis pulchri evolutionibus ea scripsit auctor *Prælectionum philosophicarum :* « Dicimus rivulum cum murmure leni per prata incedentem, florum calicem, avium pennas mille coloribus conspicuas, infantium vultus, etc., venustatem habere; iisdem autem rebus pulchritudinem propriè dictam tribuere non solemus. Hanc e contrà posteriorem dotem tribuimus, v. g., torrenti ex altis montibus undas suas per campos cum impetu et fragore præcipitanti, vel flumini lento incessu cursum suum peregranti, vel homini in cujus vultu relucet intelligentia, etc. Demum sublimitatem tribuimus, v. g., Oceano, fragoribus tonitrui, excelsis cacuminibus montium nubibus obvelatis, etc. » *Æsthetica*, p. I, sect. III. Hanc divisionem admittit V. Cousin, *Leçons sur le Beau;* Jouffroy, *Cours d'Esthétique.* Quidam autem pulchrum dividunt in sublime et pulchrum simpliciter; Cf. Burke, *Essai sur le Beau et le Sublime;* P. André, *Essai sur le Beau.*

fantis est venustus; sed, crescentibus annis, idem vultus dicitur pulcher. Et ideò, sublime, pulchrum atque venustum non sunt *species*, sed *formæ* tantùm pulchritudinis.

Si quæras undenam repetenda sit ea pulchri distinctio in tres formas generales, respondeo : Ratio formalis hujus distinctionis repetitur ab *effectibus* quos pulchritudo in facultates nostras producit; nempè, *stupemus* in contemplatione sublimis; pulchrum *miramur;* et venusto *delectamur* (1). *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De arte et æsthetica.

I. Quid dicendum de pulchri origine?

57. Jam si pulchrum non inspicimus *in se*, videlicet in suâ naturâ et elementis; sed in *causâ* efficienti, quâ producitur, nova exsurgit disceptatio de pulchritudinis *origine*.

Indubium est Deum esse principium et fontem, nec-

(1) Circà præsentem quæstionem, vide Burke, *Essai sur le Beau et le Sublime;* Jouffroy, *Cours d'Esthélique;* Cousin, *Du Vrai, du Beau et du Bien;* Kant, *Principes métaphysiques de la science de la nature.* — « Tres pulchri formæ non solùm per gradum intensitatis, sed specificè inter se discriminantur. » *Prælectiones philosophicæ, Æsthetica*, p. I., sect. III. Inter philosophos, alii discrimen formarum pulchri desumunt ab impressione sensuum; ex. gr. Burke asserit *contractionem* in sensibus produci contemplatione sublimis, et *dilatationem* visu pulchri et venusti. Alii verò hanc differantiam quærunt in ipsâ pulchri evolutione; ità, docent sublime esse « infinitum expressum in sensibili, » venustum « evolutionem finitam et spontaneam entis expressam in sensibili, » et pulchrum « evolutionem finitam et liberam entis expressam in sensibili. » Cf. Jouffroy, *Cours d'Esthélique.* Alii tandem autumant distinctionem hujusmodi reponendam esse in proportione inter sensibilitatem et intellectum; videlicet, in sublimi elementum intellectuale, et in venusto elementum sensibile præit; dùm, in pulchro simplici, æquilibrium inter utrumque elementum invenitur. Vide Kant et Cousin.

non exemplarium et primam causam omnis pulchritudinis. Causæ verò secundæ, quæ virtutem et dignitatem causæ primæ quodam modo participant, pulchrum in suis actibus et operibus exprimere possunt (Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 22, a. 3).

II. Quid est ars?

58. Hominum autem habilitas ad pulchrum exprimendum nos ducit ad veram artis notionem; videlicet: *Ars* meritò definitur: *Expressio pulchri præfinitas juxtà regulas.*

Artis objectum *formale* est pulchrum, operibus affabrè constructis exprimendum; et ideò, specificè differt ab aliis omnibus disciplinis, quæ circà pulchrum præcisè et directè non versantur, etsi in omnibus inveniri possit quædam solertia et peritia. Sic medicina, grammatice, eloquentia, politica non sunt artes.

Quùm autem pulchrum, objectivè sumptum, non differat ab *esse* vero et bono, arctissima est scientiæ, artis et ethicæ connexio; ars scilicet fundatur in vero absoluto et transcendentali; et tendit ad bonum, quod est finis omnis disciplinæ.

III. Quomodo artes dividi possunt?

59. Ut apparet ex dictis, ars in ontologiâ non sumitur *latissimo* sensu, in quantùm designat complexionem regularum, quibus homo dirigitur in quolibet opere conficiendo; nam, in eo sensu, medicina, grammatice, eloquentia, scientia omnis est ars. Nec etiam hic agitur de arte sensu *lato*, quatenùs significat complexionem regularum, quibus faber, sutor, materiarius, tonsor utitur. In hoc ultimo sensu artes vocantur *serviles*, *manuales* et *mecanicæ*; non enim directè tendunt ad pulchrum

exprimendum; sed earum finis est bonum *utile*, laborque manuum et vis mechanica, potiùs quam ingenium et aliæ dotes animæ, in iis artibus « prædominant. »

Artes igitur de quibus disceptamus in Ontologiâ, dicuntur *pulchræ artes*, seu etiam *artes liberales* et « ingenuæ; » quarum videlicet scopus immediatus, peculiaris et præcisus est pulchri expressio, et in quibus ingenium aliæque dotes egregiæ præcellunt.

Porrò, duo sensus, qui vocantur *sensus artis*, ut dicendum est infrà, pulchrum sensibile, operibus affabrè confectis expressum, percipere possunt; hi sunt *auditus* et *visus*. Undè, artes liberales dividi solent in artes *auditûs* et *visûs :* artes auditûs sunt *musica* et *poesis;* artes autem visûs sunt *pictura*, *sculptura*, *architectura*, et *horticultura*. Ad rem scripsit Victor Cousin : « (C'est aux sens de l'ouïe et de la vue) que l'art doit s'adresser, et qu'il s'adresse, en effet, pour pénétrer jusqu'à l'âme. De là la division des arts en deux grandes classes, arts de l'ouïe, arts de la vue; d'un côté la musique et la poésie; de l'autre la peinture avec la gravure, la sculpture, l'architecture, l'art des jardins. »

Quidam autem *poesim*, *artem dramaticam* et *artem* « *pantomimicam* » ad auditum simul et visum referunt, easque vocant artes *mixtas* (1).

(1) « Per artem, in sensu lato, intelligitur complexio quælibet regularum practicarum, quæ ad aliquem effectum, sive utilem, sive jucundum obtinendum adhibentur : sic logica, chirurgica, agricultura, etc..., artes dici possunt. » *Prælectiones philosophicæ, Æsthetica,* n. 67. « Il y a des arts sans noblesse, dont le but est l'utilité pratique et matérielle; on les nomme des métiers. Tel est celui du poêlier, du maçon. L'art véritable s'y peut joindre, y briller même, mais seulement dans les accessoires et les détails. » V. Cousin, *Du Vrai, du Beau et du Bien,* 9e leçon, Des différents arts. « Les arts s'appellent les beaux-arts, parce que leur seul objet est de produire l'émotion dé-

IV. Quid est æsthetica?

60. Ea, quæ diximus de pulchro tùm in se sumpto, tùm in operibus hominum per artem expresso, nos logicè ducunt ad veram *æstheticæ* notionem; nempè, per æstheticam transcendentalem stricto sensu intelligere debemus eam Ontologiæ partem, quæ *de pulchro disserit.*

Lato sensu æstethica non solùm investigat pulchri naturam et artis fundamenta; verùm etiam complectitur seriem regularum, quibus artifex dirigitur in suis operibus conficiendis, necnon nobis tradit præcepta, quorum ope judicium ferre possumus de hominum opificiis. In eo sensu æsthetica constituit scientiam specialem, quæ vocatur « *scientia pulchri.* »

Æsthetica latissimè sumpta in duas partes dividitur : una scilicet *theoretica*, de pulchro et arte in genere; altera verò *practica*, de regulis et præceptis quibus homo in pulchri expressione, vel æstimatione dirigitur. De primâ parte dictum est suprà; nunc verò de secundâ parte pauca sunt adjicienda (1).

V. Quæ sunt æstheticæ facultates et regulæ?

61. In pulchri expressione et æstimatione quædam requiruntur et ex parte *subjecti*, et ex parte *objecti.*

1°, *Ex parte subjecti :* requiritur aptitudo seu rectitudo

sintéressée de la beauté, sans regard à l'utilité ni du spectateur ni de l'artiste. Ils s'appellent encore les arts libéraux, parce que ce sont des arts d'hommes libres et non d'esclaves, qui affranchissent l'âme, charment et ennoblissent l'existence : de là le sens et l'origine de ces expressions de l'antiquité, *artes liberales, artes ingenuæ.* » V. Cousin, *Ibidem.*

(1) De æstheticâ vide C. Lévêque, *La science du Beau, étudiée dans ses principes, ses applications et son histoire.* Opus illud egregiè disserit de æstheticâ; verumtamen cautè legendum est. Vox *æstheticæ* tribuitur philosopho Beaumgmarten, e scholâ Wolfii.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

naturalis in *facultatibus æstheticis*. Porrò, facultates hujusmodi sunt inter sensus externos *auditus* et *visus;* nam, per illos sensus pulchrum in rebus physicis expressum percipimus; secundùm ea sancti Doctoris : « Ad rationem pulchri pertinet quod in ejus aspectu seu cognitione quietetur apprehensio; undè et illi sensus præcipuè respiciunt pulchrum qui maximè cognoscitivi sunt, scilicet *visus* et *auditus* rationi deservientes; dicimus enim pulchra visibilia et pulchros sonos. In sensibilibus autem aliorum sensuum non utimur nomine pulchritudinis; non enim dicimus pulchros sapores aut odores (1). »

E sensibus internis, *phantasia* seu imaginatio præcipuè pertinet ad artem; per illam enim formas rerum sensibilium servamus, et eas in nobismetipsis quasi pingimus. Quùm autem hæc facultas erroribus ac illusionibus sit maximè obnoxia, lumine rationis dirigi debet; undè, *intellectus* meritò dicitur « præcipua facultas æsthetica. »

Quatuor illæ facultates, *auditus* scilicet, *visus*, *phantasia* et *intellectus*, rectè quidem ordinatæ et sufficienter excultæ, constituunt aptitudinem illam quæ appellatur

(1) *Sum. Theol.*, p. 2ª, q. 27, a. 1, ad 3um. Et *ibidem :* « Sic patet quod pulchrum addit suprà bonum quemdam ordinem ad vim cognoscitivam; ità quod bonum dicatur id quod simpliciter complacet appetitui; pulchrum autem dicatur id cujus ipsa apprehensio placet. » Ut his aliisque similibus apparet, divus Thomas et Scholastici theoriam æstheticæ non ignorabant; sed opera sancti Doctoris penitùs ignorabat V. Cousin, qui talia scripsit : « C'est le XVIIIe siècle qui a introduit, ou plutôt ramené dans la philosophie les recherches sur le beau et sur l'art, si familières à Platon et à Aristote, *mais que la scolastique n'avait pas accueillies*, et auxquelles était restée presque étrangère notre grande philosophie du XVIIe siècle. » *Du Vrai, du Beau et du Bien*, 6e leçon, Du Beau dans l'esprit de l'homme. Nonnulli computant « *divinum instinctum* » (l'enthousiasme) inter facultates æstheticæ; sed instinctus hujusmodi non est facultas.

« *gustus* » seu « *sapor* » artis. Undè, « gustus » ille, quem in expressione, vel in æstimatione pulchri requirimus, non est facultas specialis; sed ex harmoniâ et collectione quatuor facultatum æstheticæ resultat.

2°, *Ex parte objecti :* tres assignari solent regulæ; nempè, *unitas*, *fidelitas* et *moralitas*.

Unitas est conditio essentialis in expressione pulchri; nam, ut vidimus, fundamentum pulchritudinis reponitur in debitâ rerum proportione seu perfectione; sed, unitate sublatâ, debita proportio superesse nequit. Ergò, requiritur unitas.

Prætereà, verum, pulchrum et bonum, si sumuntur objectivè, videlicet in rebus, *ratione* tantùm differunt; ità ut unum sine alio esse nequeat; undè, pulchritudo veritatem supponit, et opus arte confectum debet esse suo archetypo conforme; id est, fidelitas in pulchri expressione meritò dicitur conditio necessaria. Haud aliter dicendum est de moralitate; id enim, quod offendit morum regulas, non est debitè proportionatum cum lege æternâ et immutabili; et proindè non est pulchrum. Undè leges æstheticæ non pendent ab hominum arbitrio (1).

VI. Quid dicendum de realismo et idealismo in artibus?

62. Præfatis regulis inspiratio, libertas, ingenium

(1) « De même qu'il y a des lois éternelles du vrai et du bien, il y a des lois éternelles du beau, qui comme les premières ont leur dernière raison dans l'essence divine. Par conséquent l'appréciation du beau n'est pas laissée aux caprices de l'intelligence humaine : elle doit se conformer aux lois objectives du beau. Comme le goût est ordinairement sujet à une infinité de causes, qui déterminent et modifient ses jugements, on s'explique l'origine de l'adage connu : *de gustibus non est disputandum.* » A. Dupont, *Ontologie*, p. 109.

aliæque dotes opificis et artificis diriguntur, minimè verò destruuntur. De facto, ut artis historiâ constat, « *realismus*, » id est systema eorum, qui naturam serviliter *imitantur*, seu artem « *imitationis* » excolunt, inspirationem præfocat. Dùm econtrà « *idealismus*, » seu systema eorum qui pulchrum *ideale* et absolutum, in quantùm fieri potest, operibus humanis *exprimere*, seu artem « *expressionis* » colere nituntur, inspirationi favet, et ingenio, ut aiunt, « ministrat alas. » Exempla notissima et apud veteres græcos, et in *symbolismo* Ætatis-Mediæ, et in operibus dramaticis, vel in picturis recentiorum inveniuntur (1).

Caveat tamen artifex ne ad idealismum absolutum et transcendentalem abeat; perfectio quidem artis servilem naturæ imitationem ac totalem illius exclusionem simul rejicit; et ideò consistit in unione *idealismi* et *realismi;*

(1) Ad realismum pertinent artifices e scholâ vulgò dictâ, *Ecole flamande*, Molière, Walter-Scott, et hodierni plerique. De pulchro ideali apud Græcos hæc lege : « De toutes les statues antiques qui ont échappé à la fureur des barbares et à la main destructive du temps, la statue d'Apollon est sans contredit la plus sublime. On dirait que l'artiste a composé une figure purement idéale, et qu'il n'a employé de matière que ce qu'il lui en fallait pour exécuter et représenter son idée..... Sa taille est au-dessus de celle de l'homme, et son attitude annonce la grandeur divine qui le remplit. » Winkelmann, *Histoire de l'art sous les empereurs*, tom. II, l. IV, c. VI. — Cf. Cicer., *De Oratore*. Dante Alighieri, *La divina Comedia*. Cf. Quatremère de Quincy, *Considérations morales sur la destination des ouvrages d'art;* de S. Laurent, *Le guide de l'art chrétien;* Rio, *L'art chrétien*. Vide J. Racine, *Esther*, *Athalie*, etc. Raphaël, *La Transfiguration*, etc. — « Tant que les beaux-arts subissaient l'influence de la religion, ils continuaient à fleurir et à créer des types inimitables..... La religion chrétienne, en nous révélant le beau surnaturel, ouvrit à l'art des horizons nouveaux et l'éleva infiniment au-dessus de l'art païen. » A. Dupont, *Ontologie*, n. 110.

expressionem scilicet cum imitatione colere debet peritus artifex.

ARTICULUS TERTIUS.

De erroribus philosophorum.

I. Expone philosophorum errores, de pulchri naturâ et de arte.

(* 63. Errores innumeri, præsertim apud hodiernos, tùm de pulchri naturâ, tùm de arte prodierunt.

1°, Quidam philosophi, notissimè P. André (*Essai sur le Beau*), Th. Jouffroy (*Cours d'Esthétique*), et V. Cousin (*Leçons sur le Beau*), rationem pulchri formalem in solo *objecto*, videlicet in rerum unitate et varietate reponunt.

Debita quidem rerum proportio, seu fundamentum pulchritudinis essentiale et objectivum, supponit unitatem et varietatem; sed, ut vidimus, fundamentum illud objectivum non sufficit ad constituendam pulchri rationem; requiritur etiam complacentia ex parte facultatis æstheticæ; nam, pulchrum est ens quatenùs *visum placet* (1).

2°, Alii, e contrariò, fundamentum pulchri essentiale a facultatibus æstheticæ, *subjectivè* sumptis, præsertim a phantasiâ repetunt. Sic, juxtà V. Hugo et non paucos recentes, illud est pulchrum quod præ se fert aliquid phantasticum, exaggeratum et monstruosum. Schola eorum vulgò dicitur, *Ecole romantique*.

(1) Vide C. Levêque, *La science du Beau, étudiée dans ses principes, ses applications et son histoire; Prælectiones philosophicæ, Æsthetica;* Burke, *Essai sur le Beau et le Sublime.* — « Si le beau consiste dans la convenance et la proportion des parties, il est évident que l'unité et la pluralité appartiennent également à l'essence du beau, car les parties d'une chose forment une certaine unité, en vertu même de la connexion qui existe entre elles. » Sanseverino, *Ontologie*, Traduct. 1876, p. 120 et 121. Cf. Spagni, *De Bono, Malo et Pulchro;* Hutcheson, *Recherches sur l'origine de nos idées de beauté et de vertu.*

Tale commentum tribus vitiis laborat : nempè, phantasia non est sola, nec etiam præcipua facultas æstheticæ; nam, ratio eam præcellere ac regere debet. Aliundè, pulchrum non est creatio imaginationis; sed fundatur in ipsâ rerum essentiâ. Pulchrum etiam sinè vero et bono esse nequit; id autem quod est exaggeratum et phantasticum semper vero contradicit, et sæpè bonum offendit.

3°, Nonnulli pulchritudinem in *novitate* quærunt; nam, juxtà eos, quidquid est novum sensationem delectat. Alii econtrà pulchrum in *habitudine* ponendum esse autumant; nam, ut aiunt, ea quæ conspicere solemus pulchra nobis ex habitudine videntur.

Indubium est quædam objecta vel propter novitatem, vel propter habitudinem, quandoque nobis placere; quùm autem pulchritudo fundamentaliter et primariò in ipsis rebus existat, a novitate et habitudine in suâ essentiâ pendere nequit.

Ferè idem est dicendum de his, qui post artifices e scholâ vulgò dictâ, *Ecole flamande*, pulchritudinem in imitatione reponunt; imitatio quidem, ut vox sonat, supponit pulchrum jam existens in rebus. Sic, opus artificis dicitur pulchrum, quià conforme est suo archetypo; sed, illa conformitas non est pulchritudinis elementum essentiale et constitutivum. Ità, ut exemplum afferatur, res non dicitur pulchra, eò quod eam miramur; sed eam miramur, eò quod est pulchra (1).

(1) « On ne peut dire que le beau, qu'on le suppose délectable ou utile, est quelque chose de relatif. Car, si l'on doit appeler beau ce qui charme l'esprit qui le connaît par l'ordonnance de ses parties, il est clair comme le jour que l'origine, ou la première cause de la beauté doit être cherchée dans les choses mêmes, puisque la convenance des parties se trouve dans les choses, et que la perception de cette convenance fait naître la délectation dans l'esprit. S. Augustin (*De verâ relig.*, c. XXXII, n. 19) s'exprime ainsi : « Si je demande : Les choses sont-elles belles parce qu'elles plaisent, ou bien plaisent-elles parce qu'elles sont belles? vous répondez sur-le-champ et sans hésiter : C'est parce qu'elles sont belles que les choses nous plaisent. » Sanseverino, *Ontologie*, p. 122, not. 3.

II. Sensualismum expone et confuta.

64. Crassior est ea *sensualismi* lues, quâ, saltem paucis abhinc annis, artes et scientiæ fœdantur.

Sensualismi fautores in quadruplicem classem dividuntur : — alii pulchrum appellant quidquid est *utile;* in eo sensu ait Stendhal : « Le beau est la saillie de l'utile; » undè, systema eorum dicitur *utilitarismus*. — Alii nihil nomine pulchritudinis intelligunt, nisi egregias rerum materialium *formas;* et hi sunt *materialistæ*. — Non pauci pulchrum dicunt id quod proportionatur facultati, seu potiùs instinctui quem appellant sensum artis, gallice le *sentiment;* et ea est « *schola sentimentalis* » (Hutcheson, Burke). — Multi tandem, scilicet hodierni *positivistæ*, nomine pulchri designant id quod *sensationem* afficit et illam jucundè delectat. Eam positivismi theoriam de pulchro et arte fusiùs exponere et confutare oportet; nam, ut omnibus in confesso est, ubique grassatur, et multos ad se trahit.

Sensualismus positivistarum de pulchro et arte, ad tria puncta revocari potest, ut videre est ex operibus H. Taine, qui patronus hujus theoriæ meritò dicitur (*Philosophie de l'art,* etc.).

Punctum primum : Id solum est pulchrum, quod sensationem afficit et delectat; undè, in proportione rerum materialium, præcipuè corporis humani, pulchritudinem invenimus; pulchrum verò spirituale, absolutum, æternum nec esse, nec concipi potest.

Punctum secundum : Ars nihil est, nisi solùm imitatio pulchritudinis rerum materialium; ars igitur paganorum, præcipuè Græcorum, qui deos Olympi sub formâ humanâ et sensibili sculpebant, longè præcellit artem christianorum Ætatis-Mediæ, qui pulchritudinem imaginariam, idealem et fictitiam in suis operibus exprimere nitebantur.

Punctum tertium : Artis evolutio et perfectio non pendet a religione, nec ab inspiratione, nec etiam ab ingenio; sed causæ « *generatrices* » artium sunt progenies (les races), temperamenta (les tempéraments), circumstantiæ locorum et temporum (les circonstances de milieux et de temps...) Artium verò *character* non est sana libertas, sed fatalitas absoluta.

PROPOSITIO.

Sensualismus positivistarum est falsus et perniciosus.

Probatur. — Sensualismus positivistarum theoriam de *pulchri* naturâ penitùs evertit; — diruit *artium* fundamenta; — t *mores* corrumpit. Ergò, rejiciendus est ut falsus et pernicosus.

Theoriam de naturâ pulchritudinis sensualismus evertit; nam, ejectâ notione pulchritudinis absolutæ, immutabilis, æternæ, am pulchrum est tantùm proprietas contingens, relativa, mutabilis rerum materialium.

Artium fundamenta diruit; quùm enim ars nihil sit, nisi pulchri expressio sensibilis et artificiosa, si notio absoluta pulchritudinis rejiciatur, nullum superest artis fundamentum stabile.

Mores corrumpit sensualismus; nam, juxtà fautores hujus portenti, finis artium est sensationem afficere, et eam jucundè delectare : « Tout ce qui ne produit pas une sensation, ait Stendhal, n'est qu'une abstraction et une énigme. » Alioqui, nemo est qui ignoret nefandas sensualismi consequentias.

Et sanè, fateor, pulchrum sensibile, quod existit in rebus corporeis, primariò a nobis agnoscitur, juxtà theoriam scholasticorum; deindè verò ascendimus per abstractionem ad notitiam pulchri spiritualis, et altioris ordinis. Posteà tandem, quùm omnis pulchritudo rerum materialium sit imperfecta, contingens, limitata, participata, logicè concludimus esse Pulchritudinem infinitam et summè perfectam, quæ fons, principium, norma omnis pulchritudinis meritò dicitur (1). *)

(1) « Il est à remarquer, ait Sanseverino, que la beauté corporelle est la première que nous connaissions. Car, la connaissance humaine tirant son origine des choses sensibles, il en résulte nécessairement que nous connaissons le beau dans les choses, lorsque nous appréhendons la convenance et l'accord entre leurs parties; or cela se présente en premier lieu dans les choses naturelles qui tombent sous nos

CAPUT QUARTUM.

De bono.

I. Quomodo dividitur caput quartum, de bono?

65. Pulchrum, etsi quamdam voluntatis *complacentiam* importet, « ad *vim cognoscitivam* » *præsertim* refertur, ut diximus post sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, p. I, q. 5); bonum autem « *vim appetitivam* » respicit. Undè, postquam de *pulchro* disputatum est, de *bono* disserere oportet; sed defectus bonitatis est *malum;* econtrariò, gradus bonitatis *perfectione* rerum *præcipuè* constituuntur. Tres sint igitur articuli : 1^us^, de *boni naturâ* et *speciebus;* 2^us^, de *mali naturâ* et *origine;* 3^us^, de entium *perfectione.*

ARTICULUS PRIMUS.

De boni naturâ et speciebus.

II. Quid est bonum?

66. Bonum definiri potest : *Ea rei convenientia, quâ movetur appetitus.*

In illâ definitione *fundamentum* objectivum et essen-

sens, ensuite dans les choses artificielles. » *Ontologie,* traduct., p. 124 et 125. « De la connaissance du beau sensible et du beau intelligible, addit Sanseverino, l'esprit humain s'élève, à l'aide de la déduction, jusqu'à la connaissance du Beau infini et superintelligible, qui en est la cause suprême. Car nous convenons facilement qu'il est impossible que toutes les choses que Dieu a créées soient belles, sans que Dieu lui-même soit très-beau. » « Aucune chose créée ne serait belle, dit saint Augustin s'adressant à Dieu, si elle ne l'était par vous. » *Ibidem,* p. 126; S. Augustinus, *Confess.,* l. IV, c. x, n. 15.

iale, ratio *formalis* seu *specifica*, necnon *effectus* bonitatis exprimuntur; bonum scilicet in objectis inspectum est ea *perfectio fundamentalis*, per quam res aptè disponitur ad finem suum, aut ad finem alterius (1). Aliundè, convenientia hujusmodi *appetitum* allicit, movet, trahit; et ità *specificè* et *formaliter* discriminari debet a vero et pulchro, quæ referuntur « ad vim cognoscitivam (2). » Bonum tandem, in quantùm movet appetitum, gignit amorem ut *effectum;* dùm econtrà verum parit cognitionem, et pulchrum producit simplicem complacentiam, ab amore propriè dicto distinctam.

(* A nonnullis bonum aut bonitas definitur : Id quod est *appetibile;* vel : *Perfectio* entis; aut etiam : *Aptitudo* rei ad finem.

In iis definitionibus nihil falsum invenitur; bonum quidem est *appetibile*, et, secundùm sanctum Thomam, « est bonum, quod omnia appetunt. » Prætereà, bonum importat quamdam *perfectionem;* id enim non appetimus, quod est imperfectum : « Manifestum est, ait sanctus Doctor, quod unumquodque est appetibile, secundùm quod est perfectum; nam omnia appetunt suam perfectionem. » Aliundè, perfectio supponit aptam dispositionem ad finem; et ideò, « bonum habet rationem finis (3). » Verumtamen, definitiones allatæ unum bonitatis elementum solummodò designant, et idcircò non videntur integræ. *)

(1) In hac rerum convenientiâ essentiam bonitatis reponit Polmanus, dicens : « *Bonum est ens conveniens* sibi, alterive. Undè est duplex bonum : unum bonum sibi, aliud bonum alteri. Et utrumque est bonum, quià est *conveniens :* est autem conveniens sibi, quià perfectum, alteri, quià perfectionem ei adfert. » *Breviarium theologicum*, n. 92.

(2) S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 5, a. 4, ad 1^um^ : « (Bonum et pulchrum) ratione differunt; nam bonum propriè respicit *appetitum*..... Pulchrum autem respicit vim *cognoscitivam*. » Et infrà : « quum verum respiciat *cognitionem*, bonum autem *appetitum*, priùs erit verum quam bonum secundum rationem. » Q. 16, a. 4.

(3) Vide S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 5, a. 4, ad 1^um^. *Ibidem*, q. 5, a. 1. « Unumquodque dicitur bonum, inquantum est perfectum;

III. Quot sunt species bonitatis?

67. Multæ sunt species bonitatis : sic bonum, quod ordinatur ad appetitum sensitivum, dici solet *materiale;* v. gr. *fruges* dicuntur bonæ. Illud, quod pertinet ad appetitum rationalem, vocatur *spirituale;* ità, *virtus* est bona.

Bonum obtentu difficile, nuncupatur *arduum;* bonum verò obtentu facile, vel in quo suaviter quiescit appetitus, *concupiscibile* dicitur. Nempè, arduum est referre *victoriam;* concupiscibile est frui *amicitiâ.*

Bonitas in Ente infinito spectata, est *absoluta;* in rebus autem finitis *relativa* est, et *secundùm quid,* ut aiunt philosophi.

Bonitas, quatenùs est attributum universale et transcendentale omnium entium, *metaphysica* nominatur; si verò spectatur in quantùm est proprietas cujusdam rei determinatæ et individuæ, vocari solet *physica* et *naturalis;* quùm autem appetitur ut aliquid regulis morum conforme, dicitur bonitas *moralis.*

Utilior est divisio, quâ bonum partimur in *verum* et *apparens.* Bonum illud dicitur verum, quod reapsè tale est in rebus, quale existimatur, ut *amare Deum;* bonum autem apparens, quo sæpè homines falluntur, est illud quod reverà non est bonum, etsi tale appareat, ut sunt *voluptates.*

sic enim est appetibile : perfectum autem dicitur cui nihil deest secundùm modum suæ perfectionis. » *Loc. cit.,* a. 5. Sed, ut aiunt ipsi scholastici, « notio perfectionis non constituit notionem bonitatis, sed est ejus principium. » Sanseverino, *Compendium,* n. 89. *Ibidem,* q. 5, a. 4. « Respondeo dicendum, quod, cum bonum sit quod omnia appetunt, hoc autem habeat rationem finis; manifestum est quod bonum rationem finis importat. » *Loc. cit.,* q. 5, a. 4, c. Et addit rationem boni consistere « in modo, specie et ordine; » quià res dicitur bona per suam formam, quam præcedit cognitio et quam sequitur inclinatio vel ad opus, vel ad *finem,* a. 5.

Præstantior adhuc et communior est divisio « boni humani » in *honestum, utile* et *delectabile* (1). Bonum scilicet *in se* sumptum, quatenùs « per se et ratione sui » desideratum, nuncupari solet honestum, ut est virtus; bonum autem, quod appetitur ratione *alterius boni*, seu tanquam medium ad quemdam finem obtinendum, est utile; sic, medicina relativè ad sanitatem est bonum utile; bonum, verò quod desideramus propter *quietem*, aut fruitionem ei annexam, *delectabile* nuncupamus, ut sanctorum felicitas.

IV. **Utrum omne ens est bonum?**

68. Ex dictis de naturâ boni in se et metaphysicè sumpti, duo logicè inferuntur : 1°, bonum et ens *ratione* differunt, *re* autem sunt unum et idem; 2°, omne ens est bonum, seu « ens et bonum *convertuntur*, » ut aiunt philosophi. Undè sit sequens

PROPOSITIO.

Omne ens est bonum; attamen bonum propriè dicitur de rebus existentibus.

Probatur. — Ea, quæ non differunt nisi *ratione*, sunt unum et idem, sed, ens et verum *ratione* tantummodò distinguuntur; undè, secundùm *rem*, bonum et ens sunt unum et idem.

(1) Goudin, *Philos.*, t. IV. — « In motu appetitûs, ait sanctus Thomas, id quod est appetibile terminans motum appetitûs secundùm quid, ut *medium*, per quod tenditur in aliud, vocatur *utile*. Id autem quod appetitur ut ultimum terminans totaliter motum appetitûs, sicut quædam res, in quam per se appetitus tendit, vocatur *honestum*; quia honestum dicitur quod *per se* desideratur. Id autem quod terminat motum appetitûs, ut *quies* in re desideratâ, est *delectatio*. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 5, a. 6, De divisione boni in honestum, utile et delectabile.

(A.) Bonum et ens *ratione* discrepant; nam, ut vidimus, ens propriè concipitur ut aliquid *actuale* et *reale;* bonum verò concipitur ut aliquid *appetibile.* Bonum igitur, juxtà sanctum Thomam, exprimit « rationem *appetibilis*, » quæ non designatur solâ entis notione; proindè, inter bonum et ens distinctionem *conceptûs*, seu *rationis*, agnoscere oportet (1).

(B.) Secundum *rem*, bonum et ens sunt unum et idem; quod sic probatur a sancto Thomâ : ens quidem strictè sumptum et e naturâ suâ designat aliquid actu existens; bonum verò designat aliquid perfectum. Sed, quidquid est actu existens, habet aliquam perfectionem ; eò quod perfectius est esse quam non esse. Ergò, bonum et ens secundum *rem* non differunt; id est, sunt unum et idem.

Aliundè, bonum dicimus id, quod est aptè dispositum ad finem suum; sed, omne ens in se est aptè dispositum ad finem suum, ut ratione simul et experientiâ constat; undè, meritò dicimus omne ens esse bonum.

Prætereà, ut loquamur cum sancto Doctore (*Sum. Theol.*, p. I, q. 5, a. 3, ad 2^{um}), « nullum ens dicitur malum in quantùm est ens, sed in quantùm caret » entitate quadam seu perfectione sibi debitâ; « sicut homo dicitur malus, » quià caret virtute sibi debitâ, « et oculus dicitur malus, » quià « caret acumine visûs. » Ergò, ne-

(1) *Sum. Theol.*, p. I, q. 5, a. 1, c. et ad 1^{um} : « Licet bonum et ens sint idem secundum rem; quià tamen differunt secundum rationem, non eodem modo dicitur aliquid ens simpliciter et bonum simpliciter. Nam, cum ens dicat aliquid propriè esse in actu; actus autem propriè ordinem habeat ad potentiam; secundùm hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod primò discernitur ab eo quod est in potentia tantùm... Sed bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile; et per consequens dicit rationem ultimi. »

cesse est ut omne ens, in quantùm est ens, sit bonum. Undè, stat propositio.

Dixi : *Bonum propriè dicitur de rebus existentibus.* Id est, juxtà sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, p. I, q. 16, a. 1), cognitio et amor in hoc differunt, quod cognitio terminatur et perficitur in *subjecto cognoscente*, et idcircò verum est principaliter in intellectu; amor autem fertur in rem amatam, ut ei adhæreat. Sed, voluntas non fertur in rem, quæ realiter non est; ergò, bonum propriè dictum, seu objectum voluntatis debet esse aliquid existens.

ARTICULUS SECUNDUS.

De mali naturâ et origine.

I. Quid est malum?

69. Bonum dicitur *perfectio;* malum autem, quod opponitur bono, vocari potest : *Privatio perfectionis cuidam subjecto debitæ.*

SS. Patres Ecclesiæ, theologi omnes et philosophi scholastici per notionem mali non intelligunt aliquid *positivum;* nam, omne ens est a Deo tanquam a causâ supremâ; sed, malum non potest esse a Deo; ergò, malum non est entitas realis (1).

Verumtamen, ut aiunt, malum non est nihilum merè

(1) S. Basilius, S. Augustinus, S. J. Damascenus, etc. Vide Petavium, *De Deo,* l. VI, c. IV. — « Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt. Sed malum non est factum per Verbum... Ergò malum non est aliquid. » S. Thomas, *Qq. disp. de Malo,* q. 1, a. 1. « Quod habet rationem appetibilis, habet rationem boni. Quidquid ergò est in rebus, habet convenientiam cum aliquo bono. Malum autem, in quantùm hujusmodi, non convenit cum bono, sed opponitur ei. Malum ergò non est aliquid in rebus. » *Ibidem.* Undè scholastici concludunt conceptum, seu notitiam mali non esse objectivam, sed *subjectivam.*

negativum; nihilum enim hujusmodi tantummodò significat *non-ens.* Malum autem rectè ac propriè designat *privationem* qualitatis et perfectionis cuidam subjecto debitæ; quapropter, etsi malum in se nihil sit, est tamen privatio cujusdam entitatis realis et objectivæ : « Dico, ait sanctus Thomas, quod id, quod est malum, *non est aliquid;* sed id, cui accidit esse malum, *est aliquid*, in quantùm malum *privat* nonnisi aliquod particulare bonum; sicut et hoc ipsum, quod est cæcum esse, non est aliquid; sed id, cui accidit cæcum esse, est aliquid (*Qq. disp. de Malo*, q. 1, a. 1). »

II. Quæ sunt mali species?

70. Philosophi secernunt varias mali species : 1°, scilicet, malum potest esse *absolutum* vel *relativum;* malum absolutum, quod vocatur etiam malum *in se* et *secundum se*, est mera privatio perfectionis *debitæ;* sic, ægritudo dicitur malum animalis. Malum relativum seu *alterius*, est illud quod, licet in se bonum sit, est tamen malum respectu cujusdam subjecti; ex. gr. judicis sententia in se bona est, sed, relativè ad sontem, mala nominari solet.

2°, Distinguunt quoque theologi et philosophi malum *sensibile*, quod facultates organicas afficit; et malum *intellectuale*, quod ad facultates vitæ rationalis refertur. Prætereà, malum dicitur *turpe*, *nocivum* et *dolorosum*, prout opponitur bono honesto, utili et delectabili.

3°, Malum in homine dividitur in malum *culpæ* et *pœnæ*. Malum culpæ est inordinatio quæ procedit ex actione vel omissione liberâ voluntatis humanæ, ut mentiri; et malum pœnæ est privatio cujusdam boni, ob culpam inflicta, ut mulctam solvere (1).

(1) « Augustinus (Fulgentius) dicit in lib. *De fide ad Petrum*, cap.

4°, Tandem, *malum* dicitur *physicum*, vel *morale;* eaque divisio est utilissima et præstantissima. Malum physicum est privatio boni physici; v. gr. pedis, oculi, sanitatis; malum autem morale est privatio boni moralis, et consistit in deformitate cum regulâ morum; v. gr. rapere bonum alienum, pejerare, mentiri.

Leibnitzius et ejus discipuli distinguere volunt malum *metaphysicum*, præter malum physicum et morale. Malum hujusmodi est privatio perfectionis *non debitæ;* sic, esse lapis est malum metaphysicum, quia lapis non videt, non loquitur. Sed ea Leibnitzii opinio falsa est, ut infrà videbitur.

III. Quid dicendum de mali origine?

71. De origine mali, duo statuenda sunt sive contrà manichæos, sive adversùs philosophos ævi præsentis; nempè : malum existit in subjecto ex se bono; et etiam, malum procedit a causâ ex se bonâ.

1°, Malum fundatur in aliquo bono; id est, malum esse non potest, nisi tantùm in subjecto bono. Malum enim est privatio perfectionis, et in se non est aliquid; undè, necesse est ut existat in ente quodam reali. Sed, omne ens est bonum; ergò, malum existit in subjecto bono, v. gr. *cæcitas* Petri est malum; Petrus autem, cui cæcitas tribuitur, est bonus.

2°, Item, indubium est causam mali efficientem esse quoddam bonum; malum scilicet non procedit a causâ ex se malâ; malum enim, quùm sit mera privatio, non potest esse causa; sed oritur ex defectu causæ efficientis,

XXI : « Geminum est creaturæ rationalis malum : unum quod voluntariè deficit a summo bono, alterum quo in vitâ punitur; » per quæ duo exprimuntur pœna et culpa. Ergò malum dividitur per pœnam et culpam. » S. Thomas, *Qq. disp. de Malo*, q. 1, a. 4.

quadam bonitate præditæ (1). V. gr. *homo*, qui peccat, bonus dicitur in quantùm est homo; sed peccat ex defectu rectitudinis in voluntate.

Agens etiam, a quo malum patratur, non intendit malum, sed quoddam bonum saltem apparens; ex. gr. leo qui occidit cervum, nutritionem intendit. Undè axioma : *Omne agens propter bonum operatur.*

IV. Qui sunt præcipui philosophorum errores?

(* 72. 1°, Manichæi, Neoplatonici, Gnostici et alii nonnulli, tùm apud veteres, tùm apud recentiores, enixè propugnant esse principium ex se malum a quo mala cuncta prodeunt. Undè, juxtà eos, malum non est mera privatio, sed entitas realis; imò, asserenda est existentia substantiarum, quæ sunt essentialiter malæ.

Sed, omne ens est bonum; aliundè, malum opponitur bono; undè, principium essentialiter malum esset nihilum absolutum; itemque substantia mala esset mera entis negatio, aut perfectionis privatio. Consequenter, Manichæismus rationi quam evidentissimè contradicit (2).

(1) « Malum est defectus boni quod natum est et debet haberi. Quod autem aliquid deficiat a suâ naturali et debitâ dispositione, non potest provenire nisi ex aliquâ causâ trahente rem extrà suam dispositionem... Esse autem causa non potest convenire nisi bono; quià nihil potest esse causa, nisi in quantùm est ens; omne autem ens, in quantùm hujusmodi, bonum est. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 49, a. 1; et *Qq. disput. de Malo*, q. 1, a. 3. Verumtamen, ut advertit sanctus Thomas, malum impropriè et per accidens dicitur causa mali; formaliter scilicet, et « eo modo loquendi, quo dicitur albedo facere album : Et sic malum etiam ratione ipsius privationis dicitur corrumpere bonum, quià est ipsa corruptio, vel privatio boni. » *Ibidem*, q. 48, a. 1, ad 4um.

(2) S. Augustinus, *Confess.*, l. IV, c. xv, n. 24; *De unitate Dei*, l. XI, c. xxvii. — « Nulla natura, ait sanctus Augustinus, vel, si meliùs ità dicitur, substantia, sive essentia malum est. » *De vera religione*, c. 23. — « Prorsùs nulla est substantia mala, inquit sanctus Leo, nec ipsius mali est ulla natura. » *Serm.* IV, *De Quadrag.* Et addit : « Fides vera confitetur mali nullam esse naturam. » *Epist. ad Turbium*, c. vi.

2°, Leibnitzius autem, ut vidimus, et recentiores non pauci admittunt, præter malum physicum et morale, quamdam speciem mali, quod appellatur malum *metaphysicum;* ex. gr. intellectu carere in bestiis animantibus, sensatione destitui in plantis, et alia similia dicuntur mala metaphysica.

Illa verò Leibnitzii sententia est rejicienda; malum enim non est *carentia* entitatis *non debitæ*, sed *privatio* perfectionis *debitæ;* videlicet, non opponitur notioni entis, sed notioni bonitatis; secundùm ea sancti Thomæ (*Sum. Theol.*, p. I, q. 48, a. 5, ad 1^um^) : « Quià malum privatio est boni, et non negatio pura, non omnis defectus boni est malum, sed defectus boni quod natum est et debet haberi. — Defectus enim visionis non est malum in lapide, sed in animali, quià contrà rationem lapidis est quod visum habeat. »

3°, Pejor est et crassior ea recentiorum inventio, quam insulsè nominant « *determinismum.* » Ecce præcipua fautorum hujus commenti placita :

Punctum primum : Deterministæ rejiciunt existentiam Dei summè providi, et mentis spiritualis ac immortalis; exindè, bonum absolutum et spirituale non agnoscunt; proindè, asserunt omne bonum esse *utile* et *sensibile;* quod utique dividitur in bonum *individuum* et bonum *civicum.*

Punctum secundum : bonum hujusmodi civicum, quod appellatur bonum publicum, est fons et origo virtutis atque perfectionis omnium civium; sed virtutes civicæ cum virtutibus moralibus et christianis conciliari non possunt.

Punctum tertium : Malum *morale*, et consequenter malum *culpæ* non existunt; undè, malum *pœnæ*, ob culpam inflictum, est injustitia; sic, falsò contendimus homicidam reum esse mortis.

Punctum quartum : Supremæ leges moralitatis sunt *conscientia* et *justitia*, quibus scientia hodierna maximam opem afferre debet. Quùm autem nullum sit in homine principium immateriale, quod libertate gaudeat, conscientia et justitia sunt

evolutiones materiæ, quæ pendent a circumstantiis sive loci, sive temporis, et *fato ineluctabili* reguntur (1).

Adversùs nefandum determinismi systema, quod paucis abhinc annis, non sine maximo animarum damno, ubique grassatur, sit sequens

PROPOSITIO.

Determinismus est crassissimus omnium errorum.

Ecce præcipua argumenta quibus determinismus exploditur : 1°, illud commentum *oritur* ex odio implacabili quo divexatur religio christiana, ut fatentur ipsi deterministæ; — 2°, *nititur* negationibus et affirmationibus omninò gratuitis; nam in operibus doctorum hujus portenti vix unum argumentum quæreres; — 3°, *scatet* omni genere sophismatum; unâ quidem voce clamitant hodierni materialistæ : Deus non existit; ergò, tùm in

(1) Sic se habet impius Viardot : « De même qu'avec la gravitation, il n'est plus besoin d'un Dieu créateur qui mette et maintienne les astres en mouvement, de même, avec la justice, il n'est plus besoin de Providence... Ceux qui professent que le dogme de l'immortalité de l'âme est la base de toute morale, commettent une grossière erreur. » *Libre examen,* p. 163 et 173. — « Socrate d'abord, puis Zénon et Epicure, puis Voltaire, Helvétius, Vauvenargues, Bentham et Stuart-Mill, auraient plein droit dans cette belle et simple définition du bien qui est à la fois celle du mal : « Le bien est l'utile. » P. 172. — « Il s'agit de l'utilité qui signifie mutualité des droits et des devoirs, de celle que l'école d'Auguste Comte appellerait *altruisme.* » *Ibidem.* — « Les vertus chrétiennes sont tellement l'opposé des vertus civiques, qu'un parfait chrétien ne peut être un bon citoyen. » P. 153. Eodem sensu scripserat Montesquieu : « De véritables chrétiens ne formeraient pas un état qui pût subsister. » *Esprit des Lois,* l. XXIV. — « Après la conscience, obéissons à la science. » L. Viardot, *Libre examen,* p. 169. — « Ce *Fatum,* auquel son nom, au neutre, semble enlever toute personnalité, c'est précisément le dernier anneau de cette chaîne de lois implacables, mais toujours régulières jusque dans les apparentes irrégularités, qui régissent fatalement l'existence matérielle des êtres et des choses. » *Ibidem,* p. 89.

ordine physico, tùm in ordine morali, omnia sine Deo explicari debent; et addunt : omnia sine Deo explicantur; ergò, Deus non existit; — 4°, penitùs *evertit* notionem boni et mali; nam, sublato supremo boni Principio, rejectaque regulâ morum æternâ et immutabili, jam bonum et malum nihil sunt, nisi solùm aliquid relativum et arbitrarium; — 5°, *propellit* ad horrendas communismi et socialismi consequentias (1); societas enim, proprietas, familia, legibus morum æternis et immutabilibus innituntur; — 6°, *contradicit* communi hominum consensioni; omnes enim, præter bonum utile et materiale, bonum altioris ordinis agnoscunt; — 7°, *damnatur* ipsius conscientiæ judicio; putà, malum culpæ reprobat conscientia, et malum pœnæ ob culpam inflictum approbat; — 8°, indirectè *refellitur* argumentis, quibus existentia Dei summè providi, necnon animæ spiritualitas et immortalitas invictè demonstrantur; — 9°, directè, *propellitur* e dictis de naturâ boni et mali; — 10°, enixè *rejicitur* auctoritate virorum et numero, et ingenio, et scientiâ, et virtute conspicuorum. Ergò, determinismus rejiciendus est ut crassissimus et pessimus omnium errorum.

Objiciunt deterministæ virtutes civicas et christianas conciliari non posse; undè, concludunt virtutes christianas esse falsas. Sed retorqueo argumentum : virtutes christianæ conciliari non possunt cum virtutibus deterministarum; ergò, falsæ sunt horum virtutes. Re quidem verâ, religio furtum, homicidium, incendium et alia similia prohibet; si verò determinismus talia æstimat esse virtutes, haud dubium est istum cum fide christianâ conciliari non posse. *)

(1) Ipsi deterministæ sic se habent : « Le bien est l'utilité commune, qui s'appelle d'un autre nom, la Justice, laquelle, à son tour, s'appelle d'un triple nom, Liberté, Egalité, Fraternité. C'est la base même de la démocratie qui formule ainsi la base des sociétés modernes : « Se vouer à l'amélioration morale et physique du plus grand nombre. » Viardot, *Libre Examen*, p. 179.

ARTICULUS TERTIUS.

De entium perfectione.

I. Quid et quotuplex est perfectio?

73. Privatio perfectionis debitæ est malum, et ens, cui deest illa perfectio, dicitur *imperfectum* seu « *non totaliter factum;* » ens autem, cui nihil deest secundùm modum naturæ suæ, vocatur *perfectum*, id est « *totaliter factum.* » Undè, perfectio dici solet : *Plenitudo cuidam enti debita, secundùm modum naturæ suæ.*

Jam indubium est perfectionem non esse *speciale* quoddam entis attributum; sed potiùs ex omnium attributorum *complexione*, harmoniâ et intensitate conflatur. Eoque sensu, juxtà scholasticos, ens illud dicitur perfectum, cui nihil deest eorum, quæ ad ipsum constituendum requiruntur.

Perfectio divina est *absoluta*, seu « *simpliciter-simplex;* » in creaturis autem dicitur *simplex*, aut *relativa.* Secernunt etiam philosophi, post sanctum Thomam, perfectionem *entitatis, virtutis* et *finis :* perfectio *entitatis* respicit vel ipsam rerum essentiam, vel aptam ordinationem partium quibus res constituuntur; undè, dividi solet in essentialem et « quantitativam. » Perfectio *virtutis* consistit in rei dispositione et habilitate ad aliquid agendum, aut recipiendum. Tandem e debitâ proportione rei ad suum finem obtinendum, dimanat perfectio *finis* (S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 73, a. 1).

(* Sæpè etiam apud scholasticos perfectio dicitur esse *formaliter, virtualiter* aut *eminenter* in subjecto, prout illi subjecto tribuitur aut secundùm *naturam* suam seu « rationem specificam, » aut secundùm virtutem seu *vim* agendi, aut secundùm ipsius perfectionis *modum;* ità, *ratio* dicitur esse formaliter in

homine, vita vegetativa virtualiter in *mente* humanâ, et *extensionis* proprietas eminenter in Deo, qui ratione immensitatis est ubique præsens. *)

II. Qui sunt perfectionis gradus?

74. Quatuor in entium perfectione considerari possunt : 1°, respectu *essentiæ* et *existentiæ*, ens in quo *essentia* et *existentia* sunt unum et idem, seu ens, quod *essentialiter existit*, vocatur *necessarium;* ens verò, cui existentia non essentialiter, sed accidentaliter solummodò convenit, seu ens, quod potest existere vel non existere, dicitur *contingens.*

2°, Ratione *elementorum*, quibus constituitur, ens vocatur *simplex* aut *compositum*, prout uno vel pluribus elementis constat; v. gr. Deus est simplex, homo est compositus.

3°, Relativè ad *modum*, vel perfectio dicitur *mutationi* obnoxia, vel non; undè, ens nuncupari solet *immutabile* aut *mutabile*. V. gr. essentia rerum est immutabilis; accidentia verò sunt mutabilia.

4°, Secundùm *extensionem*, perfectio potest habere limitem, aut esse limitis expers; ens igitur est *infinitum* vel *finitum*. Ità, in Deo intelligentia est infinita; in homine autem dicitur finita.

III. Loquere de ente necessario et contingente.

75. Ens necessarium essentialiter existit, seu ens necessarium est « *suum esse*, » ut aiunt scholastici; ens verò contingens e naturâ suâ non est essentialiter existens, sed merè possibile; undè, statuuntur duo principia maximi momenti :

Primum principium : Ens contingens non est *a se*, sed *ab alio;* videlicet, ut ens contingens existat, necesse est

ut ab alio ente producatur. Nam, juxtà D. Thomam (*Sum. Theol.*, p. I, q. 3, a. 4), ens existit vi et necessitate principii intrinseci, vel accipit existentiam a causâ extrinsecâ; non datur alia hypothesis. Sed, ens contingens non existit vi et necessitate principii intrinseci; nam, e supposito, non est essentialiter existens. Undè, necesse est ut ab alio ente existentiam accipiat. Ens autem necessarium est *a se*.

Secundum principium : Omne ens contingens *immediatè* aut *mediatè* procedit ab ente necessario. Ens enim contingens, v. gr. Petrus existentiam accipit a causâ extrinsecâ; sed, illa causa vel est ens necessarium, vel contingens; si priùs, Petrus immediatè procedit ab ente necessario; si posteriùs, eodem modo argumentari possumus, videlicet : ens contingens, a quo Petrus habet existentiam, vel est ab ente necessario, vel ab alio ente contingente; et sic iterùm. Quùm autem processus in infinitum rationi contradicat, deveniendum est ad ens necessarium. Ergò, Petrus immediatè aut mediatè procedit ab ente necessario; et ità de ceteris.

IV. Quid dicendum de ente simplici et composito?

76. Ens simplex nec pluribus elementis constat, nec in plura resolvi potest; ens verò compositum pluribus constat elementis; exindè, scholastici nonnulla inferunt, quæ memoriæ mandari debent :

1°, Ens compositum non potest esse *absolutè perfectum*. — Totum enim quod conflatur partibus imperfectis, non est absolutè perfectum. Sed, partes quibus ens compositum conflatur, sunt imperfectæ; pars quidem, ut vox sonat, designat rem incompletam, imperfectam, seu « non totaliter factam. »

2°, Omne compositum est posterius suis partibus; ens

enim compositum concipi non potest, nisi partes, quibus conflatur, priùs sint saltem « prioritate naturæ. » Idcircò, impossibile est ut ens compositum sit primum ens; undè, ens necessarium, quod dicitur primum ens, non est compositum, sed absolutè simplex.

3°, Simplex non concipitur ut aliquid negativum, seu ut mera compositionis negatio, sed ut aliquid positivum et reale; simplicitas quidem est perfectio; atqui, perfectio concipitur ut aliquid positivum et reale.

(* 4°, Juxtà ferè omnes scholasticos, in omni ente composito, duæ « *realitates* » inveniuntur, *potentia* et *actus*, seu realitas, quæ perficitur et realitas quæ perficit; ut sunt *essentia physica* et *existentia*, *materia prima* et *forma substantialis* (S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 3, a. 7). *)

V. Loquere de ente immutabili et mutabili.

77. Ens, in quo invenimus *transitum ab uno modo se habendi ad alterum modum*, dicitur *mutabile;* ità, lignum igni admotum e frigido fit calidum. Ens verò, quod *non transit ab uno modo se habendi ad alterum modum*, vocari solet *immutabile*.

1°, Mutatio potest esse *substantialis* aut *accidentalis*, prout fit in substantiis vel in accidentibus; ex. gr. *cibi* mutatio in digestione dicitur substantialis, et *coloris* mutatio in pariete vocatur accidentalis. Aliundè, mutatio est *ab intrinseco* vel *ab extrinseco*, quatenùs illius causa est subjecto intrinseca vel extrinseca.

2°, Philosophi scholastici secernunt immutabile *secundum quid* et *immutabile absolutè* (Cf. S. Thom., *Sum. Theol.*, p. I, q. 9, a. 2). Ens immutabile absolutè est illud, quod mutari nequit a principio *sive* intrinseco, *sive* extrinseco; ens autem immutabile secundum quid est illud, quod mutari potest a principio *solùm* intrin-

seco, aut *solùm* extrinseco. Ità, Deus nec *a se* nec *ab alio* mutatur; mentem autem humanam *a Conditore*, sed *a solo* Conditore, in nihilum redigi absolutè non repugnat.

VI. Quid dicendum de ente infinito et finito?

78. Ens dicitur *finitum* vel *infinitum*, prout habet aut non habet limitem seu « extremum, » ut aiunt.

Jam indubium est notionem finiti esse partim positivam; partim verò negativam : est positiva in quantùm repræsentat perfectionem limitatam, quæ enti finito competit; est autem negativa in quantùm exprimit terminum seu limitem hujus perfectionis.

Infinitum verò illud est, quo majus concipi nequit. Duplex esse potest, *privativum* et *negativum* : infinitum privativum est carentia *absoluta perfectionis* cuidam subjecto debitæ; Infinitum negativum, econtrà, designat *remotionem* omnis *imperfectionis*, et usurpatur in scholis ad exprimendam perfectionem illimitatam. Infinitum hujusmodi vel dicitur de aliquâ perfectione speciali, ut esset *linea* infinita; vel extenditur ad omnes perfectiones, ut si dicas, *Deus* est infinitus. Undè, infinitum negativum dividi solet in *relativum* et *absolutum*.

Ex dictis, quatuor inferre licet : 1°, infinitum magnopere differt ab *indefinito;* nam, indefinitum nihil est, nisi finitum, cujus limites assignare nequimus. 2°, *Multitudo* seu *numerus actu infinitus* rationi contradicit; numerus enim est unitatum additio, quæ in *indefinitum* augeri potest, sed fieri nequit infinita. 3°, Impossibilis est etiam *magnitudo* seu *moles actu infinita;* moles quidem est aggregatio partium, quæ non possunt esse numero infinitæ. 4°, necesse est igitur ut ens infinitum sit absolutè simplex.

VII. Quomodo habetur notio infiniti?

79. Scholastici duo enixè propugnant de notione infiniti, adversùs cartesianos et lockianos : 1°, quamvis infinitum *in se* prius sit finito, notio tamen finiti *quoad nos* prior est notione infiniti; 2°, mens humana e notione finiti ad notionem infiniti assurgit non per *additionem* finiti ad finitum, sed per totalem *substractionem* limitum a finito. Undè, sit sequens

PROPOSITIO.

Infinitum e finito cognoscimus.

Probatur *directè*. — Ut finitum e finito cognoscamus, duo *requiruntur* et *sufficiunt;* videlicet, objectum *directum* et *proportionatum* intellectûs nostri sit finitum, et a finiti notione ad notionem infiniti *assurgere possimus*. Porrò, hæc duo certa sunt; ergò, infinitum e finito cognoscimus.

Intellectus enim, in statu vitæ præsentis, directè percipit res materiales et finitas, infinitum autem directè percipere nequit; seu, ut loquamur cum sancto Thomâ (*Sum. Theol.*, p. I, q. 88, a. 3), « primum quod intelligitur a nobis » est essentia rei materialis, « quæ est nostri intellectûs objectum. » Deindè verò ad notionem infiniti assurgimus, non per additionem finiti ad finitum, ut voluit Lockius, nam finitum finito additum non potest dare infinitum; sed per totalem substractionem limitum a finito. Id est, primò concipimus perfectionem rerum mundanarum; deindè verò clarè dignoscimus illam perfectionem esse limitatam; sed, per abstractionem, limites hujusmodi removemus, et ità comparamus notionem perfectionis infinitæ.

Item, infinitum est ens simplicissimum, ut vidimus; sed, ex additione finiti ad finitum oritur compositio; undè, notio infiniti non habetur ex additione finiti ad finitum. Aliundè, notio infiniti non potest esse *innata*, in sensu Cartesianorum; notio enim innata est *subjectiva* et *idealis;* sed, notio infiniti exhibet aliquid *objectivum* et *reale*. Prætereà, infinitum immediatè percipi nequit ab intellectu finito in statu vitæ præsentis; quià proportio requiritur inter subjectum cogitans et objectum cognitionis. Superest igitur ut notio infiniti comparetur substractione limitum a finito.

(* Probatur indirectè. — Obj. I. Finitum non capit infinitum; ergò, mens nostra infinitum e finito cognoscere nequit (Ontologistæ et Cartesiani).

Resp. *Concedo antecedens; nego consequens.* Illud enim sophisma nihil est, nisi mera petitio principii; reverà, scholastici non docent ens infinitum in ente finito contineri; nec asserunt intellectum a finito assurgere ad plenam et *adæquatam* infiniti *notionem;* sed, juxtà eos, mens humana e naturâ suâ finitum primariò et directè cognoscit, et deindè, per abstractionem, ascendit ad notionem *inadæquatam* infiniti.

Obj. II. Infinitum est finito perfectius; atqui, notio imperfectionis notionem perfectionis gignere nequit; ergò, infinitum non innotescit e finito.

Resp. *Concedo majorem; distinguo minorem:* notio imperfectionis *negativè* sumptæ, seu in quantùm exprimit meram negationem, *concedo; positivè* sumpta, id est, quatenùs designat perfectionem limitatam, *subdistinguo :* non potest gignere notionem *adæquatam* perfectionis, *concedo;* notionem *inadæquatam,* nego. Undè, *distinguo consequens :* infinitum non innotescit e finito, *adæquatè, concedo; inadæquatè, nego.* Illa difficultas, quæ reperitur apud nonnullos auctores ævi præsentis, falsò nititur fundamento; nempè, Cartesiani et Ontologistæ sic ratiocinari solent : infinitum in finito, perfectum in imperfecto contineri non potest; undè, intellectus ascendere

nequit a finito et imperfecto ad infinitum et perfectum. Sed, si verum est *ens* infinitum non esse in ente finito, quod in dubium sanè revocari nequit, indubium est etiam ordinem dependentiæ inveniri inter finitum et infinitum; porrò, nihil obstat quominùs ratio humana ordinem illum detegere, et e finito ad infinitum conscendere possit, secundùm ea sancti Doctoris : « Simpliciter dicendum est quod Deus non est primum quod a nobis cognoscitur, sed magis per creaturas in Dei cognitionem pervenimus, secundùm illud Apostoli : « invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. » Primum autem quod intelligitur a nobis secundùm statum præsentis vitæ, est quidditas rei materialis, quæ est nostri intellectùs objectum (*Sum. Theol.* p. I, q. 88, a. 3; — S. Paul., *Epist. ad Rom.*, c. 1, v. 20.) »

TERTIA PARS ONTOLOGIÆ.

DE

ENTIUM CATEGORIIS.

I. Quomodo dividitur tertia pars Ontologiæ, de entium Categoriis?

80. Postquam vidimus *quid sit ens* et quæ sint entis *proprietates*, quærere debemus quænam sint entium *categoriæ*. Ens autem *actuale* et *reale* est principium a quo repetitur *categariarum divisio;* undè, categoriæ non exhibent entis *genera* et *species*, sed essendi *modos;* duplex est autem essendi modus, videlicet esse *in se*, vel *in alio*, seu esse *substantia* et esse *accidens*. Et ità categoriæ omnes repræsentant rerum substantiam, vel earum accidentia. Sed inter accidentia, quædam sunt *absoluta* et *fundamentalia;* cætera verò sunt *modalia* et *relativa*, ut infrà videbitur. Undè, quatuor sint capita : I, de *substantiâ;* II, de *accidentibus in genere;* III, de accidentibus *absolutis;* IV, de accidentibus *relativis*.

CAPUT PRIMUM.

DE SUBSTANTIA.

II. Quomodo dividitur caput primum, de substantia?

81. De substantiâ, quæritur quid sit *in se* sumpta et in suis *evolutionibus* vel operationibus; nempè :

1°,
Substantia
in se sumpta
est res cui convenit
esse *in se*,
et non in alio.

2°,
Si
substantia spectatur
in suis
evolutionibus, vel est
principium *quo*,
vel subjectum *quod*
operationis propriæ.

3°,
Principium *quo*
operationis
est *natura*,
et
subjectum *quod*
dicitur
suppositum.

4°,
Suppositum
vel est irrationale,
vel *rationale*,
et tunc
nominatur *persona*.

Undè, tres sint articuli : 1^us^, de substantiâ *in genere;* 2^us^, de *naturâ*, *supposito* et *personâ;* 3^us^, de *distinctione* inter naturam et personam.

ARTICULUS PRIMUS.

De substantia in genere.

III. Quid est substantia?

82. Quoad *nomen* substantia eruitur e vocabulis, *sub*, *stare*, nihilque significat nisi illud, quod in rebus quasi substat, et variis accidentibus aut modificationibus fulcimen subministrat.

Quoad *rem* verò, substantia definiri solet : *Res, quæ est in se.*

Substantia dicitur *res;* videlicet ens *realiter* existens in rebus naturæ. Idcircò, substantia *proprie dicta* non est essentia in se et in universim inspecta; sed jurè dicitur ipsamet essentia per existentiam actuata et quibusdam modis determinata.

Substantia est res, *quæ est in se;* et sic distinguitur ab accidente, cui convenit esse in alio tanquam in subjecto. Undè, vocabula illa, *esse in se*, non significant substantiam non esse *ab alio ente;* substantiæ enim creatæ originem sumunt a Deo. Sed iisdem vocabulis designatur res quæ *per se stat*, nec indiget ullo fulcimine, seu substrato cui hæreat

Adnotandum est eam substantiæ notionem sub duplici respectu considerari posse : relativè scilicet ad accidens, cujus est subjectum, vel in suis elementis constitutivis; seu *extrinsecè*, vel *intrinsecè*.

Relativè ad accidens, substantia est præcipuum entis prædicamentum, et dicitur fundamentum omnis categoriæ. Eo sensu substantia de Deo dici nequit; nam in Deo nullum est accidens, quod Ejus substantiæ adhærere possit. Undè, ut aiunt scholastici, Deus omnes categorias

transcendit, et in eis contineri nequit; et ideò vocatur « *supersubstantia* (1). »

Vox autem substantia in se sumpta, videlicet in suis elementis intrinsecè constitutivis, designat rem quæ in se subsistit : « Ce qui constitue la substance, ait A. Dupont, ce n'est point qu'elle n'existe pas dans un autre, ni qu'elle soutient des accidents; c'est qu'elle subsiste en elle-même (*Ontol.*, p. 140). » Sed, Deus dicitur esse subsistens. Ergò, nomen substantiæ, hoc ultimo sensu, Deo maximè convenit.

(* Aliæ prodierunt substantiæ definitiones, quarum nonnullæ falsæ sunt aut ambiguæ, necnon ad luctuosas propellunt consequentias.

Imprimis, Baruch Spinosa definit substantiam : « Id, quod *in se* est et *per se concipitur;* hoc est, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat. » Sed, judicio Spinosæ, ens quod in se est et per se concipitur, non solùm in se stat et non indiget subjecto cui hæreat, verùm etiam *a se* est, et excludit omnem causam efficientem; quod soli Deo convenire potest. Undè, definitio substantiæ, eo sensu desumpta, viam sternit ad pantheismum (2).

Prætereà, Cartesius ipse, Wolfius et quidam philosophi re-

(1) « Dicendum, ait sanctus Thomas, quod substantiæ nomen non significat hoc solum quod est per se esse; quià hoc quod est esse non potest per se esse genus, sed significat essentiam, cui competat *sic* esse, id est, per se esse; quod tamen esse non est ipsa ejus essentia : et sic patet quod Deus non est in genere substantiæ. » *Sum. Theol.*, p. I, q. 3, a. 5, ad 1^um^. — « Dieu est plutôt une sursubstance (*supersubstantia*) qu'une substance. » A. Dupont, *Ontologie*, p. 145.

(2) Cf. Sanseverino, *Ontol.*, c. III, a. 1. — « L'objet de ce philosophe (Spinosa) est de prouver qu'il n'y a qu'une seule substance, dont tous les êtres, que nous prenons pour autant de substances, ne sont que des modifications; que tout ce qui arrive est une suite également nécessaire de la nature de la substance unique. » Condillac, *Traité des systèmes*, 10.

centes intelligunt per substantiam : « rem, quæ ità existit, ut nullâ aliâ re indigeat ad existendum (1). » Ea definitio, quam rectè interpretari possumus, est tamen ambigua et pantheismo præbet ansam; quippè sola Dei substantia verè et propriè ità existit, ut nullâ aliâ re indigeat ad existendum.

Pressiùs adhuc pantheismi scopulos legit Victor Cousin, qui substantiam definit : « Ens, quod nihil ultrà se supponit relativè ad existentiam. » Definitio hujusmodi in pravum sensum necessariò torquetur; nam, solus Deus dici potest ens quod nihil extrà se supponit in ordine rerum. Aliundè, juxtà Cartesium, Wolfium, Victorem Cousin et alios non paucos, sola substantia dicitur ens reale, et accidens est tantùm substantiæ modificatio; quod evidentissimè falsum est, ut infrà videbitur.

Auctores definitionum de quibus dictum est, substantiam rerum creatarum non satis discriminant a substantiâ divinâ, et consequenter pantheismo, saltem inviti, favere videntur. Alii verò, post Leibnitzium, Giobertium et Kantium, notionem *substantiæ* a notione *causæ* efficientis haud sufficienter secernunt; et ideò, substantiam appellant : « *Vim*, per quam ens extrà nihilum sistitur; » seu etiam : « *Vim* agendi, quâ ens præditum est. »

Substantia sub quodam respectu dici potest causa efficiens; sed quatenùs est substantia nihil designat, nisi rem illam, quæ in se stat, et respectu accidentium haberi debet ut fulcimen seu substratum.

Taine et positivistæ recentes opinantur etiam notionem substantiæ a notione causæ efficientis non esse distinctam; et quùm, juxtà eos, nulla sit causa efficiens præter ipsas res ex-

(1) Descartes, *Les principes de la philosophie*, p. I, n. 13. Wolfius et Cartesius substantiam quoque definiunt : « Subjectum perdurabile, et modificabile. » Et etiam : « Toute chose dans laquelle réside immédiatement comme dans un sujet, ou par laquelle existe quelque chose que nous apercevons, c'est-à-dire quelque propriété, qualité ou attribut dont nous avons en nous une réelle idée, s'appelle substance. » Descartes, *Rép. aux secondes objections*, 61.

ternas et sensibiles, inferunt nullam esse substantiam ab attributis rerum diversam (1). » *)

IV. Quotuplex est substantia?

83. Scholastici, post Aristotelem et sanctum Thomam, substantias rerum creatarum dividunt in *completas* et *incompletas*, in *simplices* et *compositas*, in *primas* et *secundas*.

Substantia completa ea est, quæ rem *integram* e naturâ suâ constituit; nec ordinatur ad constituendum compositum substantiale; ità homo dicitur substantia completa. Substantiæ verò, quæ concipiuntur ut *partes totius integri*, vel ordinantur ad constituendum compositum substantiale, nuncupari solent incompletæ; tales sunt, ex. gr. materia et forma in rebus corporeis. Substantia *compositionis* substantialis *expers*, dicitur simplex; quùm autem *duabus substantiis constat*, vocatur composita; ex. gr. angelus est simplex, homo autem est compositus.

(1) Hac in re audi R. P. Liberatore : « Jam verò, inquit, etsi omnis substantia sit etiam causa; tamen quatenùs substantia est definiri debet respectu modi quo habet esse, non respectu activitatis quæ consequitur ex esse. » *Metaphys. gener.*, c. II, a. 1. Addit Sanseverino : « Substantia per se spectata non refertur ad aliud, quod ab eâ fluit, notio autem causæ substantiam denotat, prout refertur ad aliud, quod ab ipsâ fluit, quodque effectus dicitur. » *Ontologia*, c. III, a. 1. De causis efficientibus et substantiis ea scripsit H. Taine : « Il n'y a point un peuple d'êtres spirituels cachés derrière les objets et occupés à les produire. La source des êtres est un système de lois, et tout l'emploi de la science est de ramener l'amas des faits isolés et accidentels à quelque axiome générateur et universel. » *Les philosophes classiques au* XIX^e^ *siècle*, p. VIII et IX. Idem philosophus asserit, post Lockium, substantiam esse tantummodò complexionem partium quibus totum efficitur : « La substance est le tout : les qualités sont les parties. » *Loc. cit.*, p. 144.

Substantiæ primæ et propriè dictæ sunt res *individuæ;* ut ille homo, istud animal; species autem et genera, quæ non habent realitatem ab individuis sejunctam, appellantur substantiæ secundæ et impropriè dictæ (1).

V. Quomodo substantia prima fit individua?

(* 84. Hic autem exsurgit gravissima difficultas; nempè, quomodò substantia prima, quæ verè ac propriè nomen substantiæ meretur, fieri possit *individua;* seu, quodnam sit principium intrinsecum per quod substantia, in se quidem indivisa, distinguatur a qualibet aliâ in rebus naturæ? Hac in re philosophi, etiam scholastici, inter se non consentiunt.

Quatuor prodierunt sententiæ. Quidam docent substantias ex ipso *existentiæ* facto fieri individuas (Leibnitz, Fénelon). Alii verò contendunt principium individuationis esse *formam* substantialem (Suarez). Nonnulli autem admittunt principium quoddam speciale, quod appellant « *hæcceitatem,* » vi cujus substantiæ fiunt individuæ (Scotus).

Sanctus Thomas, et deindè non pauci ex ejus discipulis docent principia individuationis esse diversa pro variis substantiis; nempè : 1°, in substantiis corporeis, radix seu principium ex quo res « in suo esse individui constituitur, » est materia signata « quantitate (2). » 2°, Mens humana, etsi reapsè sit immaterialis et separabilis, fit tamen individua ex eò quod ad

(1) Sic se habet sanctus Thomas : « Dividitur substantia in primam et secundam. Est autem prima substantia, quæ propriè principaliter, et maximè dicitur substare, quæ nec in subjecto est, nec de subjecto dicitur... Secundæ verò substantiæ dicuntur species et genera, quæ sunt in prædicamento substantiæ. » *Opuscul.* 44, Tract. II, c. III. — Cf. *Isagoge* Porphyrii.

(2) « Saint Thomas et ses disciples, à l'exemple d'Aristote et d'Albert le Grand, enseignent que le principe d'individuation doit être placé dans *la matière caractérisée par la quantité.* » Sanseverino, *Ontologie,* c. III, a. 2, p. 151. » Accidentia fiunt individua ex subjectis quibus inhærent. S. Thomas, *Sum. Theol.,* p. III, q. 77, a. 2.

materiam informandam ordinatur. 3°, Angeli, qui sunt substantiæ spirituales et separatæ, ad nullum corpus informandum ordinantur, et consequenter ex seipsis sunt individua (1). 4°, A fortiori Deus, qui nominatur actus purus, ex seipso est maximè unus et summè individuus (2).

Harum opinionum unam aut alteram eligere fas est; verumtamen sententia divi Thomæ nobis propugnanda videtur. Etenim, in substantiis individuis rerum creatarum duo semper invenimus; scilicet, id quo substantia est *talis* speciei, et id per quod substantia est *hoc* individuum. Sed, ut dicitur in Cosmologiâ, principium quo res materiales sunt talis talisve speciei, est *forma;* et principium per quod res materiales sunt unum aliudve individuum, est *materia determinata quantitate.* Ergò, principium individuationis earum substantiarum, quæ ad corpus informandum ordinatur, est materia determinata, seu « signata quantitate, » ut aiunt philosophi.

In substantiis autem separatis, quæ non ordinantur ad materiam informandam, unum idemque principium efficit rem esse *talem* substantiam et esse simul *hoc* individuum; videlicet, unum

(1) Sanctus Thomas apertè docet angelos specie differre, ità ut tot sint species, quot angeli; nam, ut advertit sanctus Doctor, quùm angeli sint expertes omnis materiæ, in eis non inveniuntur subjecta, in quibus multiplicentur. Verumtamen angelorum naturam in se spectatam multiplicari non repugnat. *Sum. Theol.*, p. I, q. 3, a. 2; q. 50, a. 4; et *Qq. disp.*

(2) Hac in re difficili, non erit ingratum hæc verba doctissimi Sanseverino præ oculis habere : « Puisque la matière est le principe d'individuation, il en résulte 1° que l'âme humaine, qui est naturellement destinée à s'unir à un corps, trouve son principe d'individuation dans la disposition qu'elle a pour son corps; 2° quant aux substances purement spirituelles, appelées anges par les saintes Lettres, comme elles sont exemptes de toute matière en elles-mêmes et qu'elles ne sont pas destinées à s'unir avec la matière, elles sont individuées par elles-mêmes; 3° enfin, Dieu étant souverainement simple et l'acte par excellence, il est par lui-même souverainement un et individuel. » *Ontologie,* c. III, a. 2, p. 157, n. 216.

et idem est principium « individuationis » atque « specificationis. » Undè, tot esse debent species in substantiis separatis, quot sunt individua (1). *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De natura, subjecto et persona.

I. Quid est natura?

85. In præsenti quæstione, natura sumitur pro *substantiâ, quatenùs est principium actionis aut passionis.*

Id est, modò declaravimus quid sit substantia *in se* sumpta, et quomodò dividi possit. Nunc verò substantia spectari debet relativè ad *evolutiones* suas in rebus naturæ. Sic considerata, duos aspectus nobis exhibet; nempè : vel est *radix* seu *principium quo* agens activitatem suam exerere potest, et ut talis, dicitur *natura;* vel est ipsum *principium* seu *subjectum quod* agit aut patitur, et ut sic nomen *suppositi* usurpat. Item, suppositum potest esse *irrationale*, vel *rationale;* hoc ultimo sensu nuncupari solet *persona.*

II. Quid est suppositum?

86. Ex dictis suppositum definitur : *Substantia individua, completa, et incommunicabilis, quatenùs est subjectum operationum sibi propriarum.*

(1) De distinctione numericâ et specificâ scripsit sanctus Thomas : « Ea quæ conveniunt specie et differunt numero, conveniunt in *formâ,* sed distinguuntur *materialiter*. Si ergò angeli non sunt compositi ex materiâ et formâ, sequitur quod impossibile sit esse duos angelos unius speciei; sicut etiam impossibile esset dicere quod essent plures albedines separatæ, aut plures humanitates; cum albedines non sint plures, nisi secundùm quod sunt in pluribus substantiis. » *Sum. Theol.,* p. I, q. 50, a. 4.

Dicitur substantia *individua;* quæ scilicet realiter existit in rebus naturæ; substantiam enim non concipimus ut activitatis aut passivitatis capacem, nisi reapsè sit per existentiam actuata.

Suppositum est substantia individua et *completa*, seu « *subsistentia*, » ut aiunt philosophi; videlicet, hujusmodi esse debet, ut non egeat alio subjecto, cui uniatur ad agendum. Imò dicitur « alteri *incommunicabilis*, » seu « *incommunicabiliter* subsistens; » id est, ab aliâ subsistentiâ altioris ordinis assumi non potest, quin esse desinat.

Suppositum est *subjectum quod* agit aut patitur; et proindè quodammodò differt a naturâ, quæ vocatur radix operationis intrinseca, seu principium *quo* agentis operationes eliciuntur (1).

Suppositum tandem appellamus subjectum *operationum;* actionum scilicet aut passionum, *sibi propriarum;* undè, dicitur : « *suî juris;* » et ideò quidquid agit, ei tribuitur, secundùm axioma pervulgatum in scholis : *actiones sunt suppositorum.*

III. Quid est persona?

87. Jam persona simpliciter vocari posset : *suppositum rationale. Suppositum* exprimit genus definitionis, et *rationale* differentiam ejus exhibet. Fusiùs autem persona, græcè ὑπόστασις, definitur : *Substantia individua, completa, incommunicabilis et rationalis, quatenùs est subjectum operationum sibi propriarum.*

(1) Cf. R. P. Liberatore et C. Sanseverino : « Etsi natura fons sit, et principium, *quo* operationes eliciuntur, tamen suppositum, seu persona est integrum, et completum principium, *quod* operatur. » *Ontologia.*

Persona scilicet complectitur quidquid importat notio suppositi; proindè dicitur *substantia*, *individua*, *completa*, *subsistentia*, *alteri incommunicabilis*, necnon *suî iuris*. Insuper ad ordinem entium *rationalium* pertinet, ceteraque supposita excellenti modo præcellit.

Illa definitio quoad sensum eadem est ac definitio celeberrima, quæ a scholasticis, post Boetium et sanctum Thomam, enixè propugnatur; nempè : *Persona est rationalis naturæ individua substantia* (Boet. *De duabus naturis*, c. III (1)).

IV. Quid ex dictis inferre licet, adversùs nonnullos philosophos?

(* 88. Ex dictis tria inferre licet : 1°, Persona falsò definitur a quibusdam recentioribus præsertim apud Germanos (Zucrige) : « *Natura suî conscia.* »

Probatur. — Conscientia est actus vel habitus relativè ad personam; consequenter supponit personam constitutam. Aliundè, infans non est suî conscius; verumtamen jurè vocatur persona.

(1) Ecce verba sancti Thomæ : « Licet universale et particulare inveniantur in omnibus generibus, tamen speciali quodam modo individuum invenitur in genere substantiæ. Substantia enim individuatur per seipsam; sed accidentia individuantur per subjectum, quod est substantia; dicitur enim hæc albedo, in quantùm est in hoc subjecto. Undè etiam convenienter *individuæ* substantiæ habent aliquod speciale nomen præ aliis; dicuntur enim *hypostases* vel primæ substantiæ. Sed adhuc quodam specialiori et perfectiori modo invenitur particulare et individuum in substantiis rationalibus quæ habent dominium sui actûs; et non solùm aguntur, sicut alia, sed per se agunt; actiones autem in singularibus sunt. Et ideò etiam inter ceteras substantias quoddam speciale nomen habent singularia rationalis naturæ, et hoc nomen est *persona*. Et ideò in prædictâ definitione personæ ponitur « substantia individua, » in quantùm significat singulare in genere substantiæ; additur autem « rationalis naturæ, » in quantùm significat singulare in rationalibus substantiis (*Sum. Theol.*, p. I, q. 29, a. 1). »

Idem dicendum est de homine sopito, vel mentis hebetudine capto. Persona igitur definiri nequit natura suî conscia.

2°, Lockius ferè eodem sensu perperam asserit *identitatem* personæ nihil esse nisi conscientiam actionum propriarum (1).

Probatur. — Hujusmodi conscientia supponit principium, seu substantiam suarum actionum consciam. Undè, Lockii sententia nititur sophismate, quod appellamus circulum vitiosum.

3°, Falsa videtur opinio quorumdam philosophorum, qui, duce Scoto, docent personalitatem seu subsistentiam esse solum aliquid *negativum*. Nempè, juxtà eos, persona constituitur solâ negatione unionis naturæ singularis cum ente nobiliori.

Probatur. — Persona naturam perficit; sed, negatio naturam perficere nequit; ergò, persona est aliquid positivum; proindè dici non potest mera negatio.

Sed, quomodò persona realiter differat a naturâ, seu « quodnam sit hoc positivum, ut aiunt, quod subsistentia suprà naturam addit (Sanseverino)? » Ad solutionem hujus difficultatis sit sequens articulus. *)

ARTICULUS TERTIUS.

De distinctione inter naturam et personam.

I. Quo sensu persona differe potest a natura?

89. *Natura*, græcè οὐσία, et *persona*, seu ὑπόστασις, quoad nomen differunt; indubium est etiam eas esse

(1) Hæc sunt verba Lockii : « Puisque la conscience accompagne toujours la pensée, et que c'est là ce qui fait que chacun est ce qu'il nomme soi-même, et par où il se distingue de toute autre chose pensante; c'est aussi en cela seul que consiste *l'identité personnelle*, ou ce qui fait qu'un être raisonnable est toujours le même. » *Essai sur l'entend. hum.*, l. II, c. XXVII, n. 9. — « Les choses sont faites, la personne se fait; celles-là doivent tout au nécessaire, celle-ci est fille de la volonté. » J. Fabre, *Notions de Philos.*, p. 429.

distinguendas saltem distinctione *rationis;* naturam enim concipimus ut principium *quo*, et personam ut principium *quod* operationum nostrarum.

Prætereà, in Deo, qui maximâ simplicitate gaudet, non adest distinctio realis, sed tantummodò *virtualis* inter subsistentiam et naturam. Item, in rebus creatis persona non discrepat a naturâ, ut accidens a substantiâ; nam utraque pertinet ad substantiam. Aliundè, certum est naturam, si habeatur pro essentiâ abstractè sumptâ, secerni a personâ seu subsistentiâ, quæ realiter et actualiter existit.

Sed quæritur utrum *in rebus creatis*, *natura singularis* et *subsistentia* seu *persona* inter se differant non solùm distinctione *rationis*, sed etiam distinctione *objectivâ;* neque distinctione *virtuali* tantùm, verùm etiam distinctione *reali;* nec distinctione *accidentali*, sed *modali*. Ità scilicet ut relativè ad naturam, persona sit velut *modus essendi specialis*, per quem natura « completur, » « perficitur, » « terminatur, » et fit suî juris (1).

Plerique scholastici et veteres et recentiores hanc differentiam *objectivam*, *realem* et *modalem* admittunt; quidam autem, præsertim inter philosophos ævi præsentis, immeritò contendunt nullam distinctionem, nisi

(1) « Si l'on nous demande en quoi consiste ce quelque chose de positif, que la subsistance ajoute à la nature, nous répondrons que c'est un certain mode qui complète et termine la nature, et en vertu de laquelle elle devient *sui juris*. Par où l'on voit que la nature se distingue de la subsistance, « non en ce que la nature est une chose et la subsistance une autre; » mais elles se distinguent comme le mode se distingue de la chose modifiée. « Quant à leur signification particulière, ajoute le saint Docteur, la nature est pour ainsi dire ce qui constitue, et le suppôt ce qui est constitué. » Sanseverino, *Ontologie*, traduct., c. III, a. 3, n. 229, p. 167; S. Thomas, *Quodlib.*, II, a. 4; III *Sent.*, dist. II, q. 2, a. 1, sol. 3, ad 2.

tantummodò virtualem, ponendam esse inter duos conceptus naturæ et personæ.

II. Quid dicendum de communi sententiâ philosophorum, qui distinctionem personæ a naturâ propugnant?

90. Communis doctorum sententia procul dubio veritati consentanea est, et enixè propugnanda; undè sit sequens

PROPOSITIO.

In rebus creatis, subsistentia seu persona differt a naturâ singulari, distinctione objectivâ, reali, et modali.

Probatur ex *notionibus* naturæ et personæ. — Duo, quorum notiones sunt realiter distinctæ, differunt etiam inter se; atqui, notiones, naturæ et personæ sunt realiter distinctæ; ergò, natura et persona differunt inter se. Major patet, probatur minor. Natura enim, etsi varios sensus exhibeat (1), verè tamen et propriè designat *essentiam* vel *substantiam* quatenùs includit *vim* ad *agendum*, aut *patiendum;* et ideò rectè vocatur : *radix actionum*, aut *passionum*, rei cuilibet intrinseca; seu : *principium quo agimus.* Persona autem est ipsum principium, seu subjectum *quod* naturam terminat et perficit ad agendum. Sed, duo principia hujusmodi realiter et objectivè discriminari debent in rebus creatis et imperfectis; aliter enim id *quo* fieret operatio, et id *quod*

(1) « Interdum accipitur natura pro essentiâ rei, aut pro causis naturalibus, et sic dicitur : natura nihil facit frustrà; pro generatione et nativitate viventium; pro formà substantiali; pro principio effectivo vel passivo motûs et quietis; et sic definitur ab Aristotele principium et causa motûs et quietis ejus, in quo est per se et non secundùm accidens. » *Lexicon*, auctore Josepho Zamæ Mellinio. A. Natura.

ageret esset unum et idem; quod soli Deo, propter Ejus simplicitatem, competere potest.

Probatur ex *perfectione* personalitatis. — Duo, quorum unum est altero perfectius, differunt inter se saltem modaliter; atqui, personalitas est naturâ perfectior. Natura enim *perfici* potest et assumi a substantiâ altioris ordinis, quin esse desinat; persona autem est « incommunicabilis; » v. gr., in mysterio Incarnationis, natura humana fuit a Verbo divino assumpta; sed, ut ait sanctus Thomas, ratione hujus unionis, « Persona divina impedivit... ne humana natura propriam personalitatem haberet (*Sum. Theol.*, p. III, q. 4, a. 2, ad 3^um^). » Ergò, necesse est ut differentia objectiva, realis et saltem *modalis* inveniatur inter personam « incommunicabilem » et naturam, quæ ab alienâ subsistentiâ perfici potest et « terminari (1). »

Confirmatur ex axiomate : *actiones* sunt *personæ*. — Secundùm axioma pervulgatum in scholis, actiones sunt personæ; sed, non est ratio cur actiones dici possint personales, nisi persona differat a naturâ. Seu etiam : Actiones, ut aiunt philosophi ac theologi, sunt *personales :* Actus participant dignitatem aut indignitatem

(1) Illud argumentum sic gallicè contexitur : « Bien qu'elle soit singulière et même complète, la nature ne renferme cependant pas en elle-même sa propre subsistance, parce que rien ne s'oppose à ce qu'elle soit perfectionnée, ou *terminée*, comme dit l'Ecole, par une substance étrangère. » Sanseverino, *Ontologie*, p. 165. De veritate hujus propositionis ea scripsit M. Rosset : « Fides catholica rem extrà omne dubium ponit; nam per Incarnationem Verbi ipsa humanitas singularis fuit assumpta et unita hypostaticè Verbo divino; non fuit autem assumptum suppositum creatum et humanum; sed natura humana completa fuit per substantiam Verbi. Atqui tamen Verbum non partim, sed totaliter assumpsit humanam naturam. Ergò datur reale discrimen inter naturam creatam et ejus subsistentiam. » *Ontologia*, n. 163.

personæ : Denominationes sunt *personarum.* Ex his autem axiomatibus, ut evidenter apparet, veritas propositionis nostræ confirmatur; si enim persona nullo modo differat a naturâ, cur actiones et denominationes potiùs dicuntur personæ, quam naturæ?

Item, probatur ex auctoritate sancti Thomæ. — Nam, secundùm Angelicum Doctorem, natura sumi potest *universaliter* vel *singulariter;* porrò, natura nec universaliter, nec singulariter sumpta, potest esse persona; ergò, persona realiter et saltem modaliter differt a naturâ. — Natura enim universaliter sumpta, seu « natura secunda, » ut aiunt, v. gr. « *humanitas,* » est aliquid « indeterminatum, » quod pluribus individuis convenire potest; persona autem est aliquid singulare, individuum, completum et « incommunicabile. » Natura autem singulariter accepta, videlicet « *hæc humanitas,* » nihil addit naturæ universali, nisi tantùm existentiam; undè, juxtà sanctum Thomam, natura etiam singularis fieri nequit persona seu « subsistens; » ex gr. « *hæc humanitas,* » non potest esse « *hic homo,* » nisi ei addatur aliquis modus, quo perfici queat; undè, persona differt a naturâ (Cf. S. Thom. *Sum. Theol.*, p. III, q. 2, a. 2, ad 3^{um}; III *Sent.*, dist. II, q. 2, a. 1, sol. 3, ad 2^{um}).

Aliundè, vis argumentorum, quæ a thomistis afferri solent, non parùm augetur debilitate argumentationis oppositæ; adversarii enim gratis asserunt personam à naturâ nequaquam differre, et nullâ ratione probabili nititur eorum opinio.

III. Quid dicendum de erroribus philosophorum?

(* 91. Errores, qui apud philosophos hodiernos inveniuntur, ad triplicem classem revocari possunt; videlicet ad scepticismum, positivismum et idealismum.

1°, De errore *scepticorum*. Hume enixè contendit ideam substantiæ, et consequenter notionem personalitatis esse nobis penitùs ignotam; quapropter absurda sunt ea quæ philosophi et theologi asserunt de subsistentiâ et naturâ (*Syst. de la nat.*). Pater scepticismi recentis, impius Voltaire, eamdem sententiam tuitus est, dicens : « Le mot substance veut dire ce qui est dessous; mais ce dessous nous sera éternellement caché (*Dictionn. philos.*). »

2°, De errore *positivistarum*. — Sensistæ nomen substantiæ, naturæ, personæ retinent; rem verò floccifaciunt, et, ad nominalismum abeuntes, a scepticis absolutis minimè discrepant. Imprimis, Locke asseruit substantias, nihil esse nisi qualitatum seu potentiarum fascem, cujus vinculum agnoscere nequimus. Exindè, personalitas, juxtà eum, consistit solùm in conscientiâ actionum propriarum. Taine et alii positivistæ recentes non tantùm substantias, sed etiam qualitates admittere nolunt : « Substances, qualités, facultés, ait Taine, ce sont là des êtres métaphysiques, purs fantômes, engendrés par les mots, et qui s'évanouissent dès qu'on examine scrupuleusement le sens des mots. » Eapropter id quod appellamus substantiam, aut naturam, est complexio legum, vel factorum systema. Undè, personalitas est centrum in quo series, seu subtemen horum phænomenorum juxtà leges constantes et uniformes producuntur; eaque dici potest : « un dedans stable; » vel etiam : « un centre inétendu (1). »

(1) Sic se habet Condillac : « Quand on a voulu pénétrer plus avant dans la nature de ce qu'on appelle substance, on n'a saisi que des fantômes. » Condillac, *Gramm.*, a. 1. « Nous pensons qu'il n'y a ni esprit ni corps, mais simplement des groupes de mouvements présents ou possibles, et des groupes de pensées présentes ou possibles. Nous croyons qu'il n'y a point de substances, mais seulement des *systèmes de faits*. Nous regardons l'idée de substance comme une illusion psychologique. Nous considérons la substance, la force et tous les êtres métaphysiques des modernes, comme un reste des entités scolastiques. Nous pensons qu'il n'y a rien au monde que des faits et des lois, c'est-à-dire des événements et leurs rapports. » Taine, *Le Positivisme an-*

3°, De errore *idealistarum*. Reid asserit notiones substantiæ et personæ innotescere quodam instinctu naturali et cæco (*Essais sur les facul. intell.*). Easdem notiones, juxtà Kant (*Crit. de la raison pure*) et Cousin, concipimus a priori, secundùm leges rationis absolutas. Descartes, saltem probabiliter, contendit ideam substantiæ et personalitatis esse innatam. Hanc ideam in ente possibili, juxtà Rosmini (*Nuovo Saggio*), vel in Deo, ut ait Gioberti, intuitivè conspicimus.

Adversùs hos omnes philosophos, tria corollaria ex dictis inferre possumus; videlicet :

1°, Notio substantiæ non est figmentum; sed aliquid reale et physicum exhibet. Quidquid enim existit in ordine physico, vel est in se, et tunc dicitur substantia; vel est in alio, et ut sic vocatur accidens substantiæ. Undè, oportet ut notio substantiæ nobis exhibeat aliquam realitatem objectivam; secùs enim ea quæ realiter existunt, essent sine ratione sufficiente, et sine fundamento intrinseco.

2°, Intellectus non concipit a priori, nec intuetur in ente possibili, nec in Deo immediatè contemplatur notionem substantiæ, sed eam abstractionis ope comparat. Et verò, ut jam multoties diximus, e notitiis rerum externarum, per abstractionem ascendimus ad ideas causæ et effectûs, *substantiæ* et accidentis. Nempè, concipimus omnia quæ sunt vel esse per se et *in se*, vel esse ab alio et *in alio*.

3°, Identitas in homine resultat e mutuâ unione ac identitate duarum substantiarum, quibus absolvitur compositum humanum. Quippè, homo non est sola anima, neque solum corpus; sed ab utroque perficitur, ut videbitur in Psychologiâ; anima

glais, p. 114. « Les questions scolastiques tombent avec les entités scolastiques qui les suggèrent. Nous n'avons plus devant les yeux qu'une *série* d'événements appelée *moi*, liée à d'autres qui sont sa condition... La trame de faits qui constitue notre être est un district distinct dans l'ensemble des fonctions dites nerveuses, et cet ensemble même est une province distincte dans l'animal vivant pris tout entier. » Taine, *de l'Intelligence*, t. I, p. 388.

autem, quùm sit spiritualis, eadem permanet; corpus etiam est utique unum saltem numericè. *)

CAPUT SECUNDUM.

DE ACCIDENTIBUS IN GENERE.

I. Quomodo dividitur caput secundum, de accidentibus in genere?

92. « Post considerationem substantiæ creatæ, ait Suarezius (*Metaphys.*, disput. XXXVII), consequenter succedit *accidentis* contemplatio; » de accidentibus autem duo recensere oportet : nempè, quid sit accidens, et quomodò ad substantiam referatur; duplex igitur sit articulus : 1^us^, de accidentium *naturâ;* 2^us^, de *distinctione* accidentis a substantiâ.

ARTICULUS PRIMUS.

De accidentium natura.

II. Quid est accidens?

93. Quoad nomen, *accidens*, e verbo *accidere*, designat id quod a substantiâ defluit, vel illi quasi fortuitò adjicitur. Quoad rem verò, accidens definiri solet : *Res, cui convenit esse in alio* (1).

(1) « Esse in subjecto non est definitio accidentis, sed e contrariò *res cui debetur esse in alio.* » S. Thomas, IV *Sent., Dist.* XII, q. 1, a. 1, sol. 1, ad 2^um^. — « L'accident se définit : un être dépendant, un être qui n'existe pas en lui-même, mais seulement dans un autre. » R. P. Kleutgen, *La philosophie scolastique*, t. III, p. 172. — « L'accident est ce qui est ajouté ou ce qui survient à une chose déjà pleinement constituée dans l'être qui la distingue. » *Ibidem*, p. 174. — S. Thomas, *Opuscul.* XLIV, *Tract.* I, c. VIII; Suarez, *Disputationes Meta-*

Accidens dicitur *res;* videlicet, aliquid actuale et reale, ac ideò non est tantùm ens rationis (1). Vocatur etiam *res, cui convenit* esse *in alio;* et sic distinguitur a substantiâ. Nam, etsi accidens quandoque possit a substantiâ separari ex virtute Dei infinitâ; verumtamen, in rebus naturæ, postulat seu « *exigit* » subjectum, cui hæreat; dùm substantia est *in se*. Seu etiam, accidens in hoc *essentialiter* consistit, quod habet *aptitudinem* ad inhærendum cuidam subjecto.

(* « Sciendum est, ait sanctus Thomas, quod licet subjectum possit separari ab alio accidente; non tamen accidens potest separari a subjecto actu vel *aptitudine*. Et dico aptitudine : nam licet Deus posset aliquod accidens separare a subjecto, ut communiter tenetur de accidentibus Hostiæ consecratæ; tamen quod illa accidentia non habeant *aptitudinem* ad subjectum, hoc est impossibile (2). »

Alii verò falsam accidentis notionem tradiderunt. Imprimis, Leibnitziani et Ontologistæ non pauci substantiam appellant : « *Vim activam :* » proindè, accidentia definiunt : « *Vis activæ*

phys., Disput. XXXVII, XXXVIII, XXXIX; R. P. Liberatore, *Metaphys. gener.*, c. II, a. 1; Sanseverino, *Ontologia*, c. III, a. 4; R. P. Kleutgen, *La philosophie scolastique*, sixième dissertation, c. IV.

(1) Accidens, de quo hic agitur, vocari solet a scholasticis « *physicum*, *categoricum* et *prædicamentale*, » ut distinguatur ab accidente « *logico*, *categorematico* et *prædicabili*. » Undè, scripsit sanctus Thomas : « Accidens a philosophis dupliciter sumitur : uno modo secundùm quod dividitur contrà substantiam... Alio modo, secundùm quod ponitur a Porphyrio unum quinque universalium. » *Qq. disp.*, q. 1, De spiritu creato, a. 11. Accidens logicum vocatur quidquid intellectus de subjecto prædicat.

(2) *Opuscul.*, XLIV, *Tract.* I, c. VIII. « Accidens inest substantiæ tanquam *subjecto;* undè, non habetur ad substantiam ut pars ad totum, nec ut effectus ad causam; sed est ens quod habet esse in alio ut in substrato, jureque dicitur ab Aristotele : « *Ens entis.* » VII *Metaphys.*

determinationes. » Hi autem, qui, post Wolfium, substantiam nominant : « Ens perdurabile et modificabile, » nihil intelligunt per accidens et modum, nisi « illud omne, quod mutatur in ente. » Item Cartesius, Spinosa et alij plurimi dicunt accidentia esse substantiarum « *modificationes,* » aut « *evolutiones.* »

Illæ definitiones rejiciendæ sunt; nam, ex unâ parte, falsis substantiæ notionibus innituntur; et, ex alterâ parte, accidens a substantiâ minimè secernunt. *)

III. Quomodo accidentia dividuntur?

94. Inter accidentia quædam afficiunt substantiam *intrinsecè :* ut esse calidum, esse motum; eaque nominantur accidentia *physica* propriè dicta. Cetera verò nonnisi extrinsecè ad substantiam referuntur : ut veste indui, esse in loco; et nuncupari solent *denominationes extrinsecæ.*

Nobilior est autem et præstantior accidentium divisio in *accidentia absoluta*, et in *accidentia modalia.* Accidens absolutum est *entitas realis* et *specialis*, quæ adhæret substantiæ, et in illâ immediatè reponitur; ut sunt *quantitas* et *qualitas* in rebus mundanis : « (Les accidents absolus), ait R. P. Kleutgen, quoique dépendant dans leur être de la substance, ont cependant un être distinct de l'être de la substance (*La Philos. scol.*). »

Accidentia verò modalia nihil designant, nisi modum secundùm quem afficitur substantia, vel modum essendi accidentium absolutorum : « (Les accidents modaux, inquit idem philosophus, ne sont que des modes de la substance ou de quelques autres accidents. » Ex. gr. quantitas est accidens absolutum; esse rotundum, quadratum et alia similia, sunt modi quibus « terminatur » ipsa quantitas.

(* Appositè scripsit Sanseverino : « Accidentia in *absoluta,* et

modalia distinguuntur; nempè ipsa accidentia, quæ substantiam afficiunt, *absoluta* appellantur; modi autem, secundùm quos accidentia substantiam afficiunt, accidentia *modalia* dicuntur : ex. gr., motus est accidens absolutum; segnities autem, vel velocitas motûs est accidens modale; item, calor aquæ est accidens absolutum, intensio autem caloris est accidens modale (1). » *)

IV. Utrum accidentia reduci possunt in nonnullas classes generales?

(* 93. Secundùm Aristotelem (*De Categoriis*), categoriæ seu supremæ notiones entis actualis in decem classes dividuntur. Kantius autem, categoriarum originem a nativis intelligentiæ legibus repetens, eas ad quatuor genera revocare voluit (*Crit. de la raison pure*), ut vidimus in Logica (n. 160). Sed, juxtà communem philosophorum sententiam, divisio ab Aristotele tradita, eaque sola, propugnari debet.

(1) *Ontologia, Compendium*, n. 145. « Suivant les scolastiques, les accidents doivent être distingués des *modes*, en d'autres termes, il faut mettre une différence entre les accidents *absolus* et les accidents *modaux*. Ces auteurs ont observé, conformément à la doctrine de saint Augustin, que ce qui affecte la substance comme accident l'affecte d'après un certain mode. En effet, comme les choses créées ne sont pas elles-mêmes leur propre *être*, mais le reçoivent de Dieu, il est nécessaire que toute chose créée ait un *être* resserré entre certaines limites, ou, comme on dit, un *être mesuré;* parce que tout ce qui est reçu par une chose doit être reçu par elle selon sa nature. Or, « la mesure, dit saint Augustin, est ce qui fixe le mode d'existence de chaque chose. » Par conséquent tout ce qu'il y a de créatures doit « être limité de quelque manière, » comme s'exprime le même saint Docteur. Or, comme il existe, dans les choses créées, un certain *être* substantiel, et un certain *être* accidentel, il en résulte que, dans toute chose créée, une mesure doit se rencontrer non-seulement dans ce qui constitue la substance, mais encore dans les accidents qui la modifient. Les modes suivant lesquels les accidents affectent la substance s'appellent accidents *modaux*, et les accidents qui affectent la substance sont appelés accidents *absolus*. » Sanseverino, *Ontologie*, p. 168-169. S. Aug. *De Gen. ad litt.*, l. IV, c. III, n. 7.

Verumtamen, etsi rerum prædicamenta, in se sumpta, non plura nec pauciora quam decem esse possint : *substantia* scilicet, *quantitas*, *qualitas*, *relatio*, *actio*, *passio*, *ubi*, *quando*, *situs* et *habitus* (Cf. *Logic.*, n. 35); nihilominùs, novem accidentia, si spectentur relativè ad substantiam, reduci possunt ad triplicem classem : duo accidentia *immediatè* dimanant ab *elementis* substantiæ constitutivis, *quantitas* scilicet et *qualitas;* quantitas emergit e materiâ, et qualitas e formâ dimanat. Hæc accidentia vocantur *absoluta*, seu etiam *fundamentalia*. Septem alia nuncupari solent *relativa*, seu *respectiva*, eò quod defluunt e substantiâ non quatenùs in se est, sed in quantùm ad aliud comparatur; et in hoc sensu substantia potest esse *principium*, vel *terminus* comparationis : si substantia est principium comparationis, quatuor accidentia ab ea defluunt, mediante quantitate aut qualitate; *relatio* scilicet, *actio*, *passio* et *situs*. A substantiâ *integrâ* ortum ducit relatio propriè dicta; actio dimanat a formâ, et passio a materiâ; situs autem resultat e dispositione partium. Si substantia spectatur ut terminus comparationis, tria alia exsurgunt accidentia; videlicet, *ubi*, *quando* et *habitus*. Ubi est accidens quod substantiam circumscribit; quando vocatur accidens quod motum physicum et successiones rerum mensurat; et habitus dicitur accidens quod substantiæ adjacet et illi applicatur; ut « esse calceatum (1). »

Undè breviùs : 1°, Omnia accidentia sunt vel *absoluta* et fun-

(1) Arist., *De Categoriis*. — « Les divers genres d'accidents se ramènent à neuf. En effet, comme Albert le Grand l'a observé, des divers éléments qui constituent l'essence naissent deux accidents, savoir la quantité qui vient du principe matériel, et la qualité qui vient du principe formel. Mais si l'on compare la substance à autre chose, il en résulte d'autres accidents, suivant que l'on considère la substance comme principe, ou comme terme de la comparaison. Considérée sous le premier rapport, elle est la source des quatre accidents de relation, d'action, de passion et de situation... Si nous considérons la substance comme terme de comparaison, nous découvrons trois autres accidents, nommés ubi, quando et habitus. » Sanseverino, *Ontologie*, traduct. 1876, p. 18 et 19.

damentalia, vel *relativa* et respectiva; 2°, ex accidentibus relativis alia oriuntur a substantiâ tanquam a principio; 3°, alia referuntur ad substantiam tanquam ad terminum; nempè :

1°,
Accidentia sunt
vel *absoluta* et fundamentalia,
vel *relativa* et respectiva.

2°,
Accidentia
absoluta
et fundamentalia
sunt *quantitas*
et *qualitas*.

3°,
Ex accidentibus respectivis
quatuor a substantiâ
tanquam a *principio*
defluunt :
relatio, actio, passio, situs.

4°,
Ex accidentibus respectivis
tria referuntur ad substantiam
tanquam ad *terminum :*
ubi, quando, habitus. *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De distinctione accidentis a substantiâ.

I. **Expone sensum quæstionis, de distinctione accidentis a substantia.**

96. Indubium est accidentia sive modalia, sive absoluta substantiæ ità inhærere, ut unum cum illâ efficiant individuum, aut ens in se indivisum et a quolibet alio distinctum. Prætereà, certum est distinctionem saltem *rationis* esse ponendam inter substantiam et accidentia, nam, concipimus substantiam ut rem, cui convenit esse *in se;* accidens autem intelligitur ut res, cui convenit esse *in alio.*

Sed controvertitur inter philosophos utrùm accidentia

realiter etiam et *objectivè* differant a substantiâ. Cartesius et deinceps illius discipuli docuerunt accidentia nihil esse, nisi substantiæ *modificationes;* omnemque distinctionem objectivam et realem inter substantiam et illius modificationes rejiciendam esse putarunt. Ea est opinio Victoris Cousin (1).

Item, juxtà Leibnitzium, accidentia sunt tantùm modificationes seu *determinationes* substantiæ; eapropter ab eâ separari nequeunt. Attamen, ille philosophus asseruit, adversùs Cartesium, has rerum determinationes esse a substantiâ distinctas (2).

Scholastici verò, duce sancto Thomâ, tria invictè propugnant : 1° scilicet, differentia *realis* admittenda est inter substantiam et ejus accidentia; 2°, accidentia absoluta ab accidentibus modalibus discriminari debent; 3°, accidentia absoluta, etsi adhæreant substantiæ, ab eâ tamen virtute divinâ separari possunt. Et hæc tria, ut aiunt, « ad Fidei dogmata sarta tectaque servanda, » defendere oportet (3).

(1) « L'école cartésienne a nié qu'il y ait des accidents distincts de la substance d'une distinction *réelle*..... Elle a enseigné que tous les accidents sont des *modifications*, c'est-à-dire des déterminations de la substance, consistant uniquement dans la situation ou la combinaison diverse de ses parties ou dans ses relations avec d'autres substances. » R. P. Kleutgen, *La philosophie scolastique*, t. III, *p.* 194. Eamdem sententiam propugnant recentes haud pauci.

(2) « Tout en reconnaissant qu'il existe une distinction réelle entre les accidents et la substance, Leibnitz nie cependant l'existence des accidents absolus. » Sanseverino, *Ontologie*, p. 170. Leibnitzius, re meliùs perpensâ, existentiam accidentium absolutorum enixè tuitus est. Cf. *Systema theologicum*, quod in lucem edidit D. Emery an. 1819.

(3) Ità loquuntur Scholastici adversùs Cartesianos et ferè omnes philosophos recentiores. Vide R. P. Liberatore, *Metaphys. gener.*, c. II, a. 1, n. 67; Sanseverino, *Ontol.*, c. III, a. 4, n. 237. Inter hodiernos,

II. Quid dicendum de scholasticorum sententia?

97. De accidentium « separabilitate » infrà dicturi, de eorum distinctione solummodò disseremus in præsenti quæstione. Undè sit una

PROPOSITIO.

In rebus creatis, accidentia, etsi pendeant a substantiâ, ab eâ tamen realiter distinguuntur.

Probatur ex *naturâ rerum*. — Id, quod soli Deo convenit, rebus creatis tribui non potest; sed, Ens infinitum est undequaque et absolutè simplex; ergò, entia contingentia eadem simplicitate non gaudent. Sic, in rebus creatis, facultates animæ differunt ab ejus essentiâ; quantitas et qualitas in corporibus a substantiâ reapsè distinguuntur. Idem est dicendum de quolibet accidente propter easdem rationes. Ergò, discrimen reale ponendum est inter substantiam et ejus accidentia.

Probatur ex *naturâ substentiæ et accidentis*. — Duo, quorum unum est *permanens* et *stabile*, alterum verò *mutationi obnoxium*, inter se differunt. Sed, substantiam concipimus ut subjectum stabile et permanens, quod in se est; accidens autem habetur ut aliquid mutationi obnoxium, quod essentiæ additur; undè, oportet ut *esse* accidentis ab *esse* substantiæ realiter differat.

Aliundè, accidentia inter se discrepant; nam, dicente sancto Augustino (*de Trinit.*, l. VI, c. VI), « aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura. Potest enim, dimi-

alii, ut vidimus, nullam distinctionem realem admittunt inter accidentia et substantiam; alii verò, præsertim Eclectici et Rationalistæ, hanc quæstionem omittunt, vel ad pravum sensum detorquent. Cf. Garnier, *Traité des facultés de l'âme*, l. VI, c. V; Damiron, *Psychologie;* Frank, *Diction. philos.*, A. Accident.

nutâ magnitudine, manere idem color et eadem figura; et, mutato colore, manere magnitudo et eadem figura; et figurâ eadem non manente, tam magnum esse et eodem modo coloratum. » Unum est autem subjectum, seu una substantia, cui talis accidentium varietas inhæret. Ergò, necesse est ut accidentia discriminentur a substantiâ; secùs enim substantia esset simul una et multiplex.

Probatur ex accidentium *origine*. — Videlicet, accidentia vel a subjecto, cui insunt, ortum habent, et ut sic nominantur *propria*, id est substantiæ *proprietates;* vel ipsi subjecto adjiciuntur, et tunc vocari solent *extranea;* v. gr. *calor* in *igne* dicitur accidens proprium et ab intrinseco dimanans; in *aquâ* autem nuncupatur accidens extraneum et « deforis » adveniens. Sed, in utroque casu, verum discrimen agnoscendum est inter accidens et substantiam; scilicet, accidens proprium differt a substantiâ ut effectus a causâ; dùm accidens extraneum a substantiâ discrepat ut « receptum a receptivo. » Eapropter, *esse* accidentis ab *esse* substantiæ realiter distinguitur.

Propositio confirmatur ex *analogiâ* fidei et rationis. — Nempè, juxta Ecclesiæ doctrinam, gratia sanctificans, virtutes infusæ et omnes habitus ordinis supernaturalis sunt aliquid reale in mente humanâ; verumtamen, dici nequeunt animi substantia; nam augeri possunt, vel amitti, quin animus esse desinat. Per analogiam, in ordine naturali, accidentia sunt quædam *realitates* a substantiâ distinctæ (1). Undè, stat integra propositio; scilicet : In

(1) « L'Écriture sainte enseigne très-clairement, et l'Église a défini que la grâce sanctifiante et les vertus surnaturelles qui l'accompagnent sont des effets d'une opération divine, produisant en nous un état permanent et des facultés habituelles constantes. Ces effets, produits

rebus creatis, accidentia, etsi pendeant a substantiâ, ab eâ tamen *realiter* distinguuntur.

III. Quomodo solvuntur difficultates?

(* 98. Obj. I. Id est rejiciendum, quod rationi contradicit; atqui, rationi contradicit rotunditatem, v. gr., esse accidens reale; ergò, rejiciendum est rotunditatem esse accidens reale, in sensu scholasticorum (Cartesiani).

Resp. *Concedo majorem. Distinguo minorem :* rationi contradicit rotunditatem et alia hujusmodi esse accidentia *absoluta, concedo;* accidentia *modalia, nego.* Talis difficultas, quæ apud Cartesianos invenitur, eruitur e falsâ accidentis notione; quippè, nemo est inter scholasticos, qui doceat accidentia modalia et accidentia absoluta eodem modo differre a substantiâ; accidens enim absolutum est vera *entitas* ab ipsâ substantiâ discrepans; accidens verò modale, ut vox sonat, substantiam non modificat, nisi tantùm *modaliter,* seu dicitur modus quidam specialis substantiæ annexus.

Obj. II. Mutationes, quæ accidunt in substantiis, dicuntur accidentia; porrò, mutationes hujusmodi nihil supponunt a substantiâ distinctum; ergò, accidentia non sunt aliquid a substantiâ distinctum.

Resp. *Concedo majorem. Nego minorem.* Mutatio enim substantiæ vel est nihil, vel est aliquid; si nihil sit, non potest dici accidens; si autem realiter sit aliquid, non est substantia, eò quod substantia vocatur stabilis et permanens; superest igitur ut habeatur ut aliqua realitas a substantiâ discrepans. Undè, dicendum est accidens a substantiâ differre. *)

en nous par Dieu, n'appartiennent pas à la substance même de l'âme, puisqu'ils sont surnaturels et qu'ils peuvent naître en nous et disparaître, augmenter et diminuer. Ils sont, par conséquent, très-réels, mais distincts de la substance dans laquelle ils existent. » R. P. Kleutgen, *La philosophie scolastique,* t. III, p. 199 et 200.

CAPUT TERTIUM.

DE ACCIDENTIBUS ABSOLUTIS.

I. Quomodo dividitur caput tertium, de accidentibus absolutis?

99. Postquam dictum est de accidentibus *in genere*, logicè dicendum est de accidentibus *in specie*, et primò quidem de accidentibus *absolutis;* quùm autem duo sint accidentia hujusmodi, *quantitas* et *qualitas*, caput tertium rectè dividitur in duos articulos : 1^us^ sit de *quantitate;* 2^us^, de *qualitate.*

ARTICULUS PRIMUS.

De quantitate.

II. Quid est quantitas?

100. *Quantitas*, ut vidimus in Logicâ (n. 35), est accidens seu proprietas, per quam corpus habet partes extrà partes positas, et ità cohærentes, ut unum efficiant compositum; v. gr. esse duorum aut trium cubitorum.

Sic sumpta, quantitas vocari solet *continua*, ut distinguatur a quantitate *discretâ* seu numericâ. In quantitate continuâ, partes inter se coalescunt nexu communi, v. gr. in hoc aut in illo lapide; in quantitate verò discretâ, partes nullo communi vinculo nectuntur, ut si dicas mille homines, triginta philosophi.

Quantitas continua dicitur etiam *extensio* trium dimensionum, eò quod in eâ tres adsunt dimensiones, *longitudo*, *latitudo*, *altitudo;* longitudo sæpiùs habetur

ab auctoribus pro lineâ, latitudo pro superficie, altitudo pro corpore solido.

Quantitas continuâ dicitur etiam *permanens*, ut secerni possit a quantitate *successivâ;* nempè : quantitas est permanens, si partes illius simul coexistunt, ut in tali talive corpore; in quantitate verò successivâ, videlicet in *tempore*, partes simul existere nequeunt.

« *Multiplicitas* » igitur et *continuitas* habendæ sunt ut elementa quibus constituitur quantitas propriè dicta seu continua; si enim unum aut alterum ex illis elementis deficit, jam quantitas seu extensio concipi non potest. Undè, quantitatis *essentia* non est *divisibilitas*, ut quidam asserunt; sed est ipsamet *extensio partium* in ordine ad *substantiam*, quæ est subjectum quantitatis, non autem in ordine ad *locum*, qui dicitur tantùm relatio accidentalis respectu corporum. Proptereà, concipere possumus corpus extensum, quin tamen sit in loco circumscriptum.

III. Quid docent scholastici de quantitate propriè dicta?

101. Scholastici, omissis quæstionibus otiosis, tria propugnant de quantitate trium dimensionum : 1°, quantitas non est tantùm proprietas *apparens*, verùm etiam *realis;* 2°, etsi quantitas sit proprietas realis, non est tamen *essentialis* corporibus, sed solùm *accidentalis;* 3°, quantitas, ex virtute Dei absolutâ, separari potest a substantiâ, necnon *servari*, quin ullo subjecto actu inhæreat.

Hæc doctrina tenenda est ut *rationi* et *auctoritati* consentanea; undè, adversùs nonnullos ævi nostri philosophos, sit sequens

PROPOSITIO.

Quantitas jurè dicitur corporum proprietas realis et accidentalis, quæ infinitâ Dei virtute esse potest sine subjecto, cui hæreat.

1°, Extensio trium dimensionum, seu quantitas continua, non est tantùm *apparens*, sed *realis* corporum *proprietas*.

Quidam philosophi, ducibus Berkeley, Leibnitz, Boscovich, Kant, Fichte et aliis recentioribus, docuerunt extensionem corporum, objectivè sumptam, non esse realem, sed tantùm apparentem, et « phænomenicam. » Ea verô sententia, quæ idealistis communis est, opponitur *experientiæ*, *auctoritati* et *rationi;* ergò, falsa est et rejicienda.

(A.) *Experientia* constans et universalis quamplurima nobis exhibet phænomena quantitatis et aliarum proprietatum, quæ, ut ait S. Thomas, « in quantitate fundantur (1); » sed, hujusmodi phænomena quantitatem realem supponunt ut causam immediatam, seu rationem sufficientem; ergò, corporum extensio est realis. Probatur minor : Visus et tactus, ad quos referuntur extensionis phænomena, nonnisi passivè primò se habent in perceptione rerum externarum; ideoque rem objectivam, realem et a perceptione distinctam necessariò supponunt; id enim, quod est passivum, non movetur nisi ab alio moveatur.

(B.) *Auctoritatem* philosophorum in gratiam ejusdem propositionis afferre possumus; nam, philosophi, paucis

(1) « Omnia alia accidentia mediante quantitate in substantiâ fundantur, et quantitas est prior eis naturaliter. » *Comment.* in lib. IV, *Sent.*, disp. XII, q. I, a. 1.

tantùm exceptis, videlicet idealistis et scepticis universalibus, extensionem objectivam et realem corporibus largiuntur, omnesque respuunt quantitatem merè « phænomenicam et apparentem. » Aliundè rudiores et scientiarum ignari de realitate extensionis dubitare nequeunt; reverà, quis admitteret solem, terram, plantas, lapides, corpus hamanum aliaque similia nullà extensione reali gaudere?

(C.) Eadem veritas probatur *ratione;* nam, illud est admittendum, quo sublato, mundus concipi nequit; sed, sublatâ quantitatis realitate, mundus concipi non potest. Nam, etsi quantitas non pertineat ad essentiam corporum, meritò dicitur a scholasticis *accidens absolutum*, seu « primum accidens, » quod immediatè substantiam afficit, et in quo fundantur aliæ rerum materialium proprietates, ut sunt superficies, distantia, motus et hujusmodi. Undè, sublatâ extensionis realitate, cæteræ proprietates, quibus orbis universus coalescit, esse non possunt; et ideò, mundus physicus concipi nequit (1).

2°, Extensio non est corporum proprietas *essentialis*, sed *accidentalis.*

Cartesius et alii nonnulli docuerunt extensionem non esse tantùm realem, sed etiam ad corporum essentiam pertinere; undè, graves exortæ sunt difficultates, de quibus alibi dicemus; in præsenti quæstione unum intendimus, nempè scholasticorum sententiam aperire.

Communiter, post Aristotelem et sanctum Thomam,

(1) Illud argumentum sic evolvit Balmès : « Supprimons l'étendue, l'univers ne résiste pas à cette épreuve. Les globes gigantesques qui peuplent l'éther disparaissent; la terre se dérobe sous nos pieds; c'en est fait du mouvement, de la distance; notre propre corps s'évanouit. Le monde se fond, pour ainsi dire, et sombre dans le néant. » *Philos. fondam.*, P. III, c. VI.

philosophi et theologi docent extensionem trium dimensionum, id est quantitatem continuam non pertinere ad essentiam corporum. Illa proprietas, ut aiunt, est tantùm *accidens*, non autem *substantia* : « Longitudo, inquit Aristoteles, et latitudo, et profunditas, quantitates quædam sunt, sed non substantia; quantitas enim non est substantia (*Metaphys.*). »

Probatur *ratione* et *auctoritate*. (A.) — Essentia corporum experientiis physicis et perceptione sensuum attingi nequit immediatè; sed, extensio actualis per sensum immediatè conspicitur; ergò, non pertinet ad essentiam corporum, et solummodò dici potest accidentalis. Major patet; nam, ut vidimus in logicâ (n. 181), sensus tantummodò percipiunt accidentia rerum materialium. Minor etiam experientiâ constat. Ergò, verum est consequens.

Aliundè, ut ait sanctus Thomas (*Sum. Theol.*, p. 111, q. 76, a. 1, ad 3^{um}), essentia corporea est « *indifferens* » ad talem aut talem quantitatem; ex. gr. natura hominis potest esse in magno vel parvo homine. Sed, illud ad quod essentia « indifferenter » se habet, non potest esse nisi aliquid accidentale. Ergò, quantitas est proprietas accidentalis rerum materialium.

(B.) Insuper, illa scholasticorum doctrina saltem aliquatenùs theologorum *auctoritate* « convincitur; » etenim, juxtà Concilium Tridentinum, in SS. Eucharistiæ sacramento, peractâ consecratione, tota substantia panis in corpus et tota vini substantia in sanguinem Christi convertuntur; deindè, *Catechismus romanus*, eamdem veritatem edocens : « Christum verò Dominum, ait, eâ ratione in sacramento esse non dicimus, ut magnus aut parvus est, quod ad *quantitatem* pertinet, sed ut *substantia* est. Substantia enim panis in Christi substantiam,

non in magnitudinem aut *quantitatem*, convertitur. »

Undè sic argumentari licet : in corpus et sanguinem Christi convertitur substantia panis et vini, non autem in magnitudinem aut *quantitatem;* ergò, quantitas dimensiva non refertur ad essentiam corporum, sed est tantùm accidens (1).

3°, *Quantitas* ex *infinitâ Dei virtute* a substantiâ *separari* potest, necnon in esse *conservari,* quin ulli *subjecto actu* inhæreat.

Explicatur. — « Separabilitas » quantitatis a substantiâ deducitur ex accidentium distinctione a subjecto, cui inhærent; undè, omnes Cartesiani, Eclectici, Rationalistæ, et alii non pauci contendunt accidentia nequaquam a substantiâ separari posse, eò quod ab illâ non distinguuntur.

Theologi autem et philosophi scholastici, hanc recentiorum opinionem ut *temerariam* et *erroneam* impugnantes, præsertim quùm agitur de *speciebus* panis et vini in SS. Eucharistiæ sacramento, quatuor asserunt de « separabilitate » accidentium a substantiâ :

1°, Accidens *modale,* seu modus secundùm quem accidentia substantiam afficiunt, separatim existere nequit; nam, ut ait Sanseverino, post sanctum Augustinum, « etsi modus reverà distinguatur a re, cujus est modus, tamen sine hac neutiquam esse potest, quià modus est quædam *mensura,* quæ rei præfigitur, ac proindè repugnat aliquid esse modum alicujus rei, quam reverà non mensurat (*Ontol.*). »

(1) Vide Suarez, *Metaphysic.*, disp. 40, sec. II, 8, 14 : « Hæc sententia..... ex principiis theologiæ convincitur esse vera, maximè propter mysterium Eucharistiæ..... » — Sess. XIII, sub Julio III, XI octobris, 1551, cap. I, et can. 2. C. XIX, § V. *Catéchisme du Concile de Trente,* traduction par Mgr Doney, tome I, p. 418.

2°, Prætereà, accidens absolutum, quod immediatè substantiam afficit, ab eâ separari non potest secundùm ordinem *naturæ* consuetum; nam, ut aiunt, ex « *aptitudine* » suâ « *exigit* » subjectum, cui hæreat.

3°, Quantitas autem, quæ est *entitas realis*, et a substantiâ distinguitur, ab eâ separari potest ex virtute Dei absolutâ, necnon in esse servari.

4°, Quantitas hujusmodi separata nulli adhæret subjecto; sed respectu aliorum accidentium, dici solet « *quasi-substantia;* » modi scilicet quantitati separatæ inhærent tanquam subjecto. Ex. gr. in SS. Eucharistiæ sacramento, quantitas a substantiâ post consecrationem separata, est fundamentum quo nituntur sapor, figura, color, et aliæ proprietates panis et vini (1).

Probatur. — Hæc propositio tribus argumentis demonstrari potest : argumento scilicet *negativo*, argumento

(1) Hæc sunt verba sancti Thomæ : « Omnia alia accidentia mediante quantitate in substantiâ fundantur, et quantitas est prior eis naturaliter..... Virtute autem divinâ confertur (quantitatis) dimensionibus quæ fuerunt panis, ut sine subjecto subsistant in hoc sacramento (SS. Eucharistia.....) Et per consequens datur eis (dimensionibus quantitatis) ut sustineant alia accidentia, sicut et sustinebant quandò substantia ei, suberat; et sic alia accidentia sunt in dimensionibus sicut in subjecto, ipsæ verò dimensiones (separatæ) non sunt in subjecto. » IV *Sent.*, dist. XII, q. 1, a. 1, sol. 3.) — « Puisque les accidents, ait Sanseverino, n'ont pas en eux-mêmes une entité entière et absolue, ils ont besoin par leur nature de s'attacher à quelque substance ; il ne peuvent donc exister séparement de la substance *par leur vertu naturelle*. Toutefois, comme ce sont de vraies entités réellement distinctes de la substance, il ne répugne nullement qu'ils existent séparément de la substance dont ils dépendent naturellement, et, comme Dieu peut réaliser tout ce qui ne renferme aucune répugnance intrinsèque, il est manifeste que les accidents peuvent, *par la puissance divine*, exister sans aucune substance. » (*Ontol.*)

positivo, et argumento *indirecto;* ergò, tenenda est et ab omnibus admittenda.

1°, Argumento *negativo :* Deus scilicet efficere potest quidquid intrinsecè non repugnat; sed, quantitatis « separabilitas » a substantiâ nullam contradictionem involvit; ergò, Deus hanc « separabilitatem » efficere potest.

Major patet. Probatur minor. Quatuor hypotheses fingere licet : vel accidens unum et idem est cum substantiâ; vel ei essentialiter adhæret; vel nulla est causa, nisi substantia, per quam existere potest; vel infinitâ Dei virtute potest a subjecto separari et in *esse* conservari. Tria verò priora sunt falsa : videlicet, accidens non est unum et idem ac substantia; nam ab eâ realiter differt; ut vidimus : item, accidens substantiæ non adhæret essentialiter; hæc enim inhærentia « exigitur » secundùm ordinem naturæ consuetum; sed essentiam accidentis minimè componit (1); nam, accidens absolutum in se sumptum est *entitas realis* et *distincta :* insuper, adest virtus causæ infinitæ, per quam accidens sine subjecto esse potest. Ergò, posterius est verum : scilicet, accidens a substantiâ separari non repugnat.

2°, Argumento *positivo :* scilicet, Deus potest servare effectus causarum secundarum sine ipsis causis secundis;

(1) Ad rem scripsit Sanseverino : « L'inhérence à un sujet n'appartient pas à l'essence de l'accident; elle est seulement, comme l'enseigne saint Thomas, la conséquence de son essence; s'il convient naturellement à l'accident d'être inhérent à un sujet, cela tient à ce que l'accident reçoit son *être* de lui. Or, de ce que l'accident tient son être de la substance, il résulte qu'il a nécessairement rapport à la substance, mais il ne s'ensuit pas qu'il ne puisse exister sans elle; car bien que son *être* dépende de l'*être* de la substance, il en est cependant distinct. » *Ontologie*, p. 173. S. Thomas. IV *Sent*, Dist. XII, q. 1, a. 1, sol. 1, ad 1 um.

sed, accidens absolutum habetur ad substantiam ut effectus ad causam secundam sive efficientem, sive materialem (1); ergò, sublatâ substantiâ, Deus *esse* accidentis servare potest.

(* Illud argumentum perbellè quidem evolvit sanctus Thomas, dicens : « Cum effectus magis dependeat a causâ primâ quam a causâ secundâ, Deus, qui est prima causa substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, substractâ substantiâ per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam, sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis (*Sum. Theol.*, p. III, q. 77, a. 1). » Et expressiùs alibi : « Causa prima est vehementioris impressionis suprà causatum causæ secundæ quam ipsa causa secunda. Undè quandò causa secunda removet influentiam suam a causato, adhuc potest remanere influentia causæ primæ in causatum illud; sicut remoto rationali, remanet vivum, quo remoto remanet esse. Cùm ergò causa prima accidentium et omnium existentium Deus sit; causa autem secunda accidentium sit substantia, quia accidentia ex principiis substantiæ causantur; poterit Deus accidentia in esse conservare, remotâ tamen causâ secundâ, scilicet substantiâ. Et ideò absque omni dubitatione dicendum est, quod Deus potest facere accidens sine subjecto (IV *Sent.*, dist. XII, q. 1, a. 1, sol. 1). »

3°, Augumento *indirecto :* Nempè, rationes quibus innititur

(1) Juxtà scholasticos, substantia dicitur causa *materialis* accidentium, ex eò quod accidentia recipiuntur in substantiâ tanquam in subjecto; vocari solet causa efficiens quandò non solùm in se recipit accidens, sed etiam illud producit. S. Thomas, I *Sent.* Dist. XVII, q. 2, a. 1, ad 2^um^; *Sum. Theol.*, p. I. q. 77, a 6. ad 2^um^. — « Le sujet est la cause matérielle de tous les accidents, des accidents propres comme des accidents étrangers, parce qu'ils sont reçus dans le sujet et lui sont inhérents... Le même sujet qui est la cause matérielle des accidents propres en est en même temps la cause productrice, parce que les accidents propres émanent des principes du sujet. » Sanseverino, *Ontologie*, p. 174 et 175.

argumentatio cartesiana, facilè dilui possunt. Nam, si omittamus probra et injurias quibus scholasticos afficiunt (1), vix unam aut alteram objectionem invenimus apud auctores ævi præsentis :

Obj. Sic argumentari solent Cartesiani : Deus absurda facere non potest; atqui, absurdum est accidentia esse sine subjecto; ergò, Deus facere nequit ut accidentia sint sine subjecto (2).

Resp. *Concedo* majorem. *Distinguo* minorem : absurdum est accidentia esse sine subjecto, in sensu Cartesianorum, qui asserunt *esse* accidentis non differre ab *esse* substantiæ, *concedo;* in sensu Thomistarum, qui veram distinctionem admittunt inter accidens absolutum et substantiam, *subdistinguo :* absurdum est accidentia esse sine subjecto, secundùm ordinem naturæ, *concedo;* ex virtute Dei infinitâ, *nego.* Undè, *nego* consequens.

Inst. Etiam virtute Dei absolutâ fieri nequit ut accidens sit absque subjecto; nam; accidens sine subjecto non esset substantia, quùm accidens converti non possit in substantiam; aliundè, ampliùs dici non posset accidens, quià non inhæreret substantiæ. Ergò, nihil esset.

Resp. *Concedo* primam partem dilemmatis; nempè, accidens nequit in substantiam converti; aliter enim esset simul accidens et substantia. *Distinguo* secundam partem ejusdem dilemmatis; videlicet, accidens a subjecto separatum ampliùs dici non posset

(1) Ex gr. Wiclefus, Lutherus, Calvinus, Jansenius, etc. Hæretici, haud secùs et falsi nominis philosophi scolasticorum argumenta formidant, ut ipse Bucerus, fatetur dicens : « Tolle Thomam, et dissipabo Ecclesiam; » eâ de re adversùs ipsos doctores scholasticos blaterant. Cf. Billuart, *Sum. sancti Thomæ*, Procem., a. 3.

(2) Eadem difficultas tempore divi Thomæ afferebatur; nam aliqui, ut refert sanctus Doctor, dicebant : « Videtur quod accidentia sine substantiâ esse, Deus facere non possit. Si enim esse rei separaretur ab ente, ens esset non ens. Sed hoc Deus non potest facere; quià non potest facere quod duo contradictoria sint simul vera. Ergò non potest separare esse rei ab ente. Sed accidentis esse est inesse, secundùm Philosophum. Ergò Deus non potest facere quin accidens insit. » IV *Sent.*, dist. XII, a. 1, obj. 1.

accidens, quià non inhæreret substantiæ : non inhæreret substantiæ *actu, concedo; aptitudine, nego.* Id est, accidens a substantiâ separatum jam ei de facto non hæret; sed naturâ suâ, seu « *aptitudine,* » ut aiunt, semper « exigit » subjectum cui hæreat; eapropter non desinit esse accidens, eò quod virtute Dei servatur separatim a substantiâ (1). Undè, *nego* consequens.

Ex dictis, inferre licet quantitatem quæ dicitur accidens absolutum et fundamentale, ex infinitâ Dei virtute separari a subjecto suo, necnon cætera accidentia, mediante ipsâ quantitate, v. gr. colorem, saporem, servari posse sine substantiâ materiali.

Insuper, ea scholasticorum theoria dogmati christiano de SS. Eucharistiæ sacramento facilè aptatur; nam, aiente sancto

(1) Hanc difficultatem egregiè solvit sanctus Thomas, dicens : « Non est definitio substantiæ, ens per se sine subjecto; nec definitio accidentis, ens in subjecto : sed quidditati seu essentiæ substantiæ competit non habere esse in subjecto; quidditati autem seu essentiæ accidentis competit habere esse in subjecto. In hoc autem Sacramento (SS. Eucharistia), non datur accidentibus quod ex vi suæ essentiæ non sint in subjecto, sed ex divinâ virtute sustentante; et ideò non desinunt esse accidentia, quià nec separatur ab eis definitio accidentis, nec competit eis definitio substantiæ. » *Sum. Theol.*, p. III, q. 77, a. 1, ad 1^um^. — Ipse Leibnitz, labentibus annis « separabilitatem » accidentium propugnavit, dicens : « Regulariter, quæcumque realiter distincta sunt, per potentiam Dei absolutam possunt separari, et quidem ità ut vel alterutrum subsistat, altero destructo, vel utrumque, sed separatim. Et quidem natura ipsa dimensiones qualitatesque tollit, salvâ essentiâ, sed aliis in locum eorum substitutis : nihil autem prohibet quin Deus substitutionem naturalem immutare, vel etiam planè intercipere et impedire possit, ut essentia maneat dimensionibus et qualitatibus planè exuta. Idem efficere potest ut eadem res diversas dimensiones qualitatesque simul habeat, aut idem accidens reale ad diversas substantias pertineat; denique, re sive essentiâ sublatâ, poterit sustentare dimensiones et qualitates. Neque verò in his ulla contradictio intelligi potest; nam par ubique est ratio, reali discrimine semel admisso; et existentia pariter atque unio substantiæ et accidentium realium in Dei arbitrio est. » *Systema theologicum*, n. 49.

Doctore : « Secundùm naturæ ordinem, accidentia a principiis substantiæ dependent, ut sine subjecto esse non possint; tamen per hoc non excluditur, quin Deus quasi causa prima possit accidentia in esse servare, substantiâ remotâ; et per hunc modum accidentia miraculosè sunt in Sacramento Altaris sine subjecto, virtute scilicet divinâ ea tenente in esse (*Quodlib.* IX, a. 5). » *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De qualitate.

I. Quid est qualitas?

102. *Qualitas, strictè sumpta*, ut alibi dictum est (*Logic.*, n. 35), vocatur *accidens* per quod substantia est *talis* aut *talis*, seu etiam est *dispositio* vel *aptitudo* quæ substantiam *perficit* et *determinat* ad aliquid agendum aut recipiendum; ut sunt *scientia*, *virtus*, *sanitas* (1).

Jam evidens est quantitatem et qualitatem esse accidentia realiter distincta; quantitas enim efficit rem esse *quantam*, et qualitas efficit rem esse *qualem*. Ex. gr. id per quod tale vel tale corpus est *longum tribus cubitis*, et id quo tale vel tale corpus est *calidum* aut *sapidum*, inter se differunt.

Hæc duo accidentia substantiam præ ceteris perficiunt et ab ejus elementis constitutivis directè prosiliunt; necnon in eis alia accidentia fundantur. Undè, vocari solent *absoluta* et *fundamentalia*, ut sæpè dictum est. Verumtamen, quoad perfectionis gradum, qualitas est prior quantitate; ex. gr. perfectius est esse *sapiens*, quàm esse *extensum*.

(1) (* Nota : Qualitas *strictè sumpta* designat accidens quoddam speciale; sed usurpatur etiam *latiori sensu* pro qualibet accidentium specie; aut *latissimè* significat quidquid subjecto tribuitur ut *adjectivum*. *)

II. Quæ sunt qualitatum proprietates?

103. 1°, Ex naturâ suâ, qualitas « *habet contrarium ;* » id est, qualitas ab aliâ qualitate, utputà virtus a vitio destrui potest. 2°, Qualitas « *suscipit magis aut minùs ;* » videlicet, augeri aut minui potest, ut scientia, sanitas, prudentia. 3°, Qualitas « *est fundamentum similitudinis;* » ea enim, quæ habent easdem qualitates, dicuntur similia.

III. Quot sunt species qualitatum?

104. Juxtà sanctum Thomam (*Sum. Theol.*, p. 1ª, 2æ, q. 49, a. 2), quadruplici modo qualitas substantiam afficere potest ; undè, quatuor sunt qualitatis species ; nempè : vel qualitas ordinat substantiam ad benè aut malè agendum, et ut sic dicitur « *habitus* et *dispositio ;* » vel illam disponit « ut fortiter agat vel languidè, » et tunc vocatur « *potentia* aut *impotentia ;* » vel eam afficit mutatione quadam sensibili, et eo sensu nominatur « *passio*, et *qualitas patibilis;* » vel ejus partes externè disponit, et proindè dicitur « *forma* aut *figura.* » Ex his quatuor speciebus qualitatum aliæ existentiam, aliæ operationem substantiæ perficiunt ; aliæ corporibus, aliæ spiritibus præcipuè conveniunt.

1°, De *habitu* et *dispositione.* — Qualitas illa, quæ disponit substantiam ad benè aut malè agendum, dicitur *habitus* seu *dispositio*, prout qualitas hujusmodi videtur obtentu *difficilis*, vel *facilis ;* ex. gr. virtus et scientia sunt habitus ; dotes a naturâ insitæ, opinio, suspicio, sæpiùs dicuntur dispositiones.

Juxtà scholasticos, habitus seu dispositiones dividuntur in *naturales*, *acquisitos*, *infusos*, *intellectuales* et *morales.* Habitus *naturalis* est ea dispositio, quæ non acquiritur actibus, sed inest animæ vi suæ complexionis ;

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

habitus hujusmodi, juxtà sanctum Thomam, « datur in creatione; (III *Deut.*, dist. XXXIII, q. 3, a. 2) » talis est dispositio specialis ad cognoscendum prima principia. Habitus *acquisitus* ex iteratis actibus gignitur, secundùm ea S. Doctoris : « Ex multiplicatis actibus generatur quædam qualitas in potentiâ passivâ et motâ, quæ nominatur habitus (*Sum. Theol.*, 1ª, 2æ, q. 51, a. 2); » ex gr., habitus scientiæ acquisitæ.

Habitus est *infusus*, quandò virtute Dei, præter ordinem naturæ consuetum agentis, in mente producitur. Habitus hujusmodi potest esse supernaturalis *in se* simul et in *modo* secundùm quem infunditur in animam, ut sunt habitus *fidei*, *spei* et *charitatis;* nonnunquam autem ratione *modi* solummodò superat vires naturæ creatæ, ut scientia Scripturarum in Apostolis.

Habitus *intellectuales* ad potentias cognoscitivas, et habitus *morales* ad potentias appetitivas referri debent; ideoque, *scientia* vocatur habitus intellectualis, et *temperantia* est habitus moralis.

Plerique philosophi, potissimùm inter recentiores, contendunt omnem habitum esse acquisitum (1); idcircò, rejiciunt habitus naturales a scholasticis propugnatos. Ea recentiorum opinio falsa videtur; nam habitus, seu dispositio qualitasve substantiæ inhærens, potest esse naturalis, vel etiam a Deo in mentem infundi. Reverà, vox habitus non exprimit dispositionem labore comparatam, sed « videtur significare aliquid potentiæ super-

(1) Garnier, *Traité des Facultés;* Frank, *Diction. philos.*, a. Habitude; Genuensis, *Metaphys.* — « L'habitude, habitudo, ait ipse doctor F. Frédault, est un état ou disposition de l'être vivant à un acte donné, disposition contractée par un *acte* antérieur. » *Traité d'Anthropologie*, De l'habitude.

additum, quo perficitur ad suam operationem (Qq. *disp.* de *Verit.*, q. 20, a. 2). »

Nonnulli tandem asseruerunt habitum esse quamdam operationis « continuitatem, » aut actum perennem; sed, ut evidens est, habitus nihil aliud exprimit quam dispositionem ad actum; ergò, habitus non consistit in continuatâ seu perenni operatione.

2°, De *potentiâ* et *impotentiâ*. — Qualitas dicitur potentia aut impotentia, in quantùm disponit substantiam ad *fortiter* vel *remissè* agendum; tales sunt ingenii acuitas et mentis hebetudo.

3°, De *passione* et « *qualitate patibili*. » — Qualitas dicitur a scholasticis passio vel qualitas patibilis, prout est aliquid *transiens* aut *habituale;* ità, pallor oriri potest e metu repentino, vel e morbo diuturno.

4°, De *formâ* et *figurâ*. — Ea qualitas rerum materialium, quæ disponit et modificat extensionem, dici solet figura in rebus a naturâ dispositis, ut est figura hominis; sæpiùs autem vocatur forma in rebus industriâ humanâ confectis, ut sunt ædificia.

CAPUT QUARTUM.

DE ACCIDENTIBUS RELATIVIS.

I. Quomodo dividitur caput quartum, de accidentibus relativis?

105. Postquam sermonem habuimus de accidentibus absolutis, quæ substantiam immediatè afficiunt, operæ pretium est ut nonnulla dicamus de his accidentibus, quæ dimanant e *relationibus* substantiarum inter se, et ideò vocantur *relativa* seu *respectiva*. De accidentibus

hujusmodi, tres sint articuli : 1^us^, De accidentibus relativis *in genere;* 2^us^, de *causis ;* 3^us^, de *spatio* et *tempore.*

ARTICULUS PRIMUS.

De accidentibus relativis in genere.

II. Quid dicendum de accidentibus relativis in genere?

106. Inter accidentia relativa, quædam a substantiâ dimanant tanquam a *principio*, nempè *relatio*, *actio*, *passio* et *situs;* alia verò ad substantiam referuntur velut ad *terminum*, videlicet *ubi*, *quando*, et *habitus.* De *actione* et *passione*, necnon de *ubi* et *quando* infrà dicturi, de *relatione*, *situ* et *habitu* solummodò dicemus in articulo præsenti.

III. Quid et quotuplex est relatio?

107. Relatio in creaturis definitur, aut potiùs describitur : *accidens reale, quo substantia habet ordinem ad aliud;* v. gr. paternitas et filiatio.

Dicitur *accidens*; et proindè differt a substantiâ; necnon distinguitur ab iis relationibus, quæ sunt in Deo; nullum enim accidens in Eo ponitur. Relatio ontologica est *realis;* et ità discrepat a relatione *logica*, seu *rationis,* quæ invenitur, ex. gr., inter terminos in propositione. Relatio designat illum essendi modum, *quo substantia ordinem habet ad aliud;* et proindè differt ab accidentibus quantitatis et qualitatis : hæc enim accidentia non afficiunt substantiam ità ut ad aliud referatur, tanquam ad aliquid a se distinctum.

Relatio realis, de quâ solùm agitur in Ontologiâ, tribus elementis constituitur : *subjecto*, *termino*, et

fundamento. Subjectum est illud, quod refertur ad aliud; id autem ad quod refertur subjectum, est terminus; fundamentum verò est illud, ex quo resultat relatio. Subjectum et terminus vocantur etiam *extrema* relationis. Sic in exemplo, Socrates et Plato sunt albi, vocabula Socrates et Plato dicuntur termini relationis, albedo est fundamentum (1).

Etsi subjectum et terminus requirantur ad relationem concipiendam, ea tamen verè ac propriè constituitur fundamento. Imò, dicente sancto Thomâ, relatio non differt a suo fundamento, nisi realitate solùm « extrinsecâ; » in quantùm scilicet importat ordinem ad aliud.

Scholastici distinguunt relationem *mutuam* et *non-mutuam :* relatio mutua est realis in utroque termino; v. gr. paternitas. Relatio non-mutua est realis tantùm in uno termino; sic, homo ad Deum ordinatur; Deus autem non ordinatur ad hominem.

Relatio quæ fundatur in convenientiâ aut discrepantiâ rerum, vel terminatur ad *substantiam*, et ut sic vocari solet *identitas;* vel refertur ad *quantitatem*, et *æqualitas* nominari potest; vel *qualitati* applicatur, et eo sensu appellari debet *similitudo.* Ad rem scripsit A. Dupont : « La relation fondée sur la convenance ou la disconvenance s'applique à la substance, à la quantité et à la qualité. Appliquée aux substances elle s'appelle *identité;*

(1) « Notandum quod ad constitutionem relationis duo requiruntur : unum ut fundamentum, aliud ut terminus : sine quibus relatio non solùm non posset esse, sed etiam non posset intelligi. Verbi gratiâ, similitudo requirit duo alba realia, quorum unum est fundamentum, alterum terminus : similitudo enim Socratis albi ad Platonem album, in albedine Socratis est ut in fundamento, in albedine verò Platonis est ut in termino. » S. Thomas, *Opuscul.* XLIV, Tract. V, c. II.

elle est *égalité* dans les quantités, et *similitude* pour les qualités (1). »

His dictis de naturâ et divisione relationum, statuenda est propositio maximi momenti, adversùs omnes scepticos et veteres et recentiores (2); nempè :

PROPOSITIO.

Res creatæ inter se connectuntur et ordinantur ad Deum relationibus realibus.

Probatur. — Ad constituendas relationes hujusmodi quatuor requiruntur et sufficiunt ; nempè, *subjectum reale*, *fundamentum* reale, *terminus* realis, et *distinctio* realis inter fundamentum et terminum; sed, in rebus creatis, sive inter se comparatis, sive ad Creatorem ordinatis, quatuor hæc inveniuntur; ergò, res creatæ inter se connectuntur et ordinantur ad Deum *relationibus realibus*.

Major patet ex ipsâ relationis realis definitione. — Probatur minor per partes. Jam evidens est relationum subjecta in rebus creatis esse realia; ex. gr. quùm dicimus hoc papyrum esse nivi simile albedine, subjectum relationis, videlicet illud papyrum est aliquid reale.

(1) *Ontologie*, *p.* 219. Insuper scholastici, post sanctum Thomam, distinguunt triplex genus relationis realis : nempè, vel relatio fundatur in *actione* et *passione* : ut paternitas et filiatio; vel nititur in *mensurâ* et *mensurabili* : v. gr. relatio scientiæ ad scibile; vel fundatur in *unitate* et *numero* : talis est relatio quæ existit inter duos parietes albos. « Notandum, quod ut communiter dicitur, relativa fundantur in tribus : scilicet in actione et passione, in mensurâ et mensurato, et in uno. » S. Thomas, *Opuscul.* XLIV, Tract. V, c. IV.

(2) Sceptici rejiciunt objectivitatem relationis, et exindè inferunt nullum esse ordinem creaturarum inter se, nec creaturæ ad Deum. Hume, *Traité de la nature humaine*, *Essais philosophiques*.

Prætereà, fundamenta earumdem relationum sunt utique realia; nam, ut vidimus, relatio denotat saltem in uno termino modum essendi specialem, seu mutationem realem; sic amicitia supponit mutationem in amantis voluntate : « Ea sunt accidentia relativa, ait sanctus Augustinus, quæ cum aliquâ mutatione rerum, de quibus dicuntur, accidunt. Sicut amicus relativè dicitur; neque enim esse incipit, nisi cum amare cœperit. Fit ergò aliqua mutatio voluntatis, ut amicus dicatur. (*De Trinit.*, l. v, c. xvi.) »

Insuper, in relationibus de quibus hìc agitur, terminus est aliquid reale et actuale; sic, in exemplis, Petrus est pater Joannis, homo est creatura Dei, et in aliis similibus, terminus ad quem refertur subjectum est realis et actualis.

Tandem, distinctio realis adest in iisdem relationibus inter fundamentum et terminum; re quidem verâ, in exemplo allato, papyrum est nivi simile propter albedinem, albedo papyri, quæ dicitur fundamentum relationis, a substantia nivis realiter differt (S. Thomas, *Opuscul.* 44.

Aliundè, res mundanæ inter se connectuntur et ordinantur ad Deum; nam, ex unâ parte, omnes concurrunt ad orbem terræ componendum, et, ex alterâ parte, pendent a Deo ut effectus a causâ; sed, duplex illa connexio supponit *relationes reales*, ut patet; ergò, indubium est res creatas et inter se connecti, et ad Deum ordinari *relationibus realibus*.

IV. Quid dicendum de situ?

(* 108. Aliud est accidens quod e substantiâ tanquam a principio mediatè dimanat; illudque *situm* appellamus. Nempè, *situs* est : *accidens* quod resultat *ex ordinatione partium corporis ad locum;* et etiam, ut dixit sanctus Thomas : « Positio

est ordo seu ordinatio partium in loco (*Opuscul.* 44). » V. gr. cubare, stare, sedere.

Ad descriptionem hujus categoriæ, « sciendum est, » ait sanctus Doctor, triplex esse totum : 1°, « scilicet *universale*, » ut genus relativè ad species suas; 2°, « *potentiale*, « sicut anima respectu facultatum suarum; 3°, « *integrale*, » et illud est duplex : unum scilicet conflatur partibus quæ rei essentiam constituunt, uti materia et forma; alterum verò coalescit partibus extensis, quæ, licet dividi possint, ità inter se uniuntur, ut totum integrale efficiant.

Ad totum hujusmodi spectatum immediatè refertur accidens, quod dicimus situm; partes enim « quantitativæ » totius integralis ità ordinantur, ut unaquæque ad partem loci correspondeat; secundùm ea sancti Doctoris : — « Possunt considerari partes integrales, ut comparantur ad locum; prout scilicet, cuilibet parti sic ordinatæ in toto correspondet pars loci; et talis ordo seu ordinatio partium in loco dicitur positio, quæ est prædicamentum sitûs (*Opuscul.* 44). »

Ex dictis infertur categoriam sitûs ad solum corpus ratione quantitatis referri; undè, quùm dicimus Deum in throno sedere, suprà cardines cœli ambulare, et alia hujusmodi, *metaphoricè* loquimur. *)

V. Quid est habitus?

(* 109. Habitus, si sumitur pro categoriâ speciali (1) solis rebus corporeis, et præsertim homini competit (2). Metaphoricè

(1) Dico : si sumitur pro categoriâ speciali, id est pro accidente, quod adjacet substantiis corporeis, ex applicatione ornamenti, aut vestimenti; nam sæpè sæpiùs per habitum designatur una qualitatis species, de quâ dictum est suprà. « Si sumatur *habere*, prout res aliqua dicitur quodammodò se habere in seipsâ, vel ad aliquid aliud, cùm iste modus se habendi sit secundùm aliquam *qualitatem*, hoc modo habitus qualitas est;... ut sanitas habitus quidem est. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, 1ª, 2æ, q. 49, a. 1.

(2) Sic se habet sanctus Thomas : « Hoc prædicamentum (habitus) solùm convenit hominibus. Verum est autem quod etiam quædam ani-

tamen dicimus animam esse ornatam virtutibus, amictam lumine sicut vestimento, et alia similia.

Habitus est : *Accidens*, quod rei corporeæ *adjacet* per modum *ornamenti*, seu *vestimenti;* ex. gr. esse « loricatum » et « *tunicatum.* » *)

ARTICULUS SECUNDUS.

De causis.

I. Quid intelligunt scholastici per potentiam?

110. *Potentia*, juxtà scholasticos, designat *aptitudinem* ad aliquid *suscipiendum* aut *faciendum;* ità, rex habet potentiam condendi leges.

Potentia dividitur ab iisdem philosophis in *logicam* et *realem;* et potentia realis vocari solet *activa* aut *passiva.* Potentia *logica*, quæ appellatur etiam *objectiva*, est *possibilitas* seu non repugnantia ad existentiam, de quâ dictum est suprà (n. 24); potentia verò *realis* seu « *subjectiva* » est illa, quæ inest subjecto cuidam actuali, v. gr. menti humanæ. Jam si potentia hujusmodi, quæ non differt a qualitate, sit aptitudo ad aliquid *agendum*, dicitur *activa;* sin autem sit aptitudo ad aliquid *recipiendum*, vocatur *passiva.*

II. Quid est actio et passio?

111. Ex dictis, facilè concipitur quid sit *actio* et *passio : actio* est ipsum *exercitium* potentiæ *activæ*, et *passio* est *exercitium* potentiæ *passivæ*, seu fusiùs : *actio* in rebus creatis est : *accidens*, *quo mediante*, *substantia pro-*

malia vestimus et armamus vestimentis et armis exterioribus : vestimus enim simios et phaleramus equos; et isto modo hoc prædicamentum potest ad ea pertinere. » *Opuscul.* XLIV, Tract. V, c. xx. .

ducit effectum. Passio autem est : *accidens, quo mediante, substantia accipit effectum.*

Actio igitur et passio medium tenent inter effectum et potentiam seu qualitatem, per quam substantia disponitur ad aliquid agendum, aut patiendum. Undè, scholastici plerique actionem vocant « actum secundum potentiæ activæ, » et passionem definiunt « actum secundum potentiæ passivæ. »

Illud, quod producit actum dicitur *agens*, seu *principium* actionis; effectus autem qui procedit ab ipso *principio* appellari solet *principiatum.* Illud, quod effectum recipit, dicitur *patiens;* et ipsamet effectûs receptio nomen *passionis* usurpat (1). Agens verò, cujus actio est *essentialis*, et *tota simul*, seu agens, in quo actus adeò est perfectus, ut *nullam potentiam* habeat admixtam, dicitur *Actus Purus.*

III. Quot sunt actionum species?

112. Actio latissimè sumpta, videlicet in quantùm designat id, quo mediante, producitur effectus, dividi potest in *substantialem* et *accidentalem;* prior terminatur ad substantiam, ut generatio: posterior autem producit accidens, uti dealbatio.

Prætereà, distinguuntur actiones *instantaneæ*, quæ

(1) (* Nota : Passio dimanat a substantiâ velut a *principio;* nam, etsi patiens relativè ad agens habeatur ut *terminus* actionis; nihilominùs in ipso patiente requiruntur aptitudo, dispositio et quasi motus ad effectum recipiendum; et ideò vocatur principium, vel causa non activa, sed passiva : « Quoniam autem et ipsa passio, ait Battaglinius, in quantùm est receptio alicujus actionis importat quemdam quasi motum in eo qui recipit ad ipsam actionem recipiendam; in quo motu quædam agendi ratio concipitur, dicendum est quod, salvâ semper distinctione inter actionem et passionem, ipsa passio quodammodò actionis rationem induit (*Metaphys.*). » *)

fiunt in instanti, ut creatio rerum a Deo; et actiones *successivæ*, quæ fieri nequeunt in instanti : talis est aquæ calefactio.

Præstantior autem est et utilior divisio actionis in *transeuntem* et *immanentem*. Actio *immanens* ea est, cujus effectus sistitur in ipso agente, ità ut principium et terminus actionis sint in eodem subjecto (1); ex. gr. contemplatio dicitur immanens, quià perficitur et manet in contemplante. In actionibus hujusmodi agens in seipsum sæpè reflectitur et sese conspicit ut terminum operationis; tunc actio immanens vocatur etiam *reflexa*.

Actio *transiens* est ea, cujus effectus extrà causam fertur, ità ut subjectum aliud sit, aliusque terminus; ignis scilicet aquam calefaciens, actionem transeuntem producit, nam effectus calefactionis perficitur in aquâ.

IV. Quid est causa?

113. Ex dictis, logicè progredimur ad veram *causæ* notionem; videlicet, agens seu principium, quod producit effectum realem et a se distinctum, est *causa efficiens* propriè dicta; et ideò, « *causare*, » ut aiunt, præcipuè dicitur de actione transeunti. Latissimè verò causa vocatur : *quidquid influit in productionem cujusdam effectûs.*

Causa generatim inspecta cum *principio* et *ratione sufficiente* proximam habet affinitam; ab illis autem distin-

(1) « Objectum aliter se habet in actione quæ manet in agente et in actione quæ transit in aliquid exterius. Nam in actione quæ transit in aliquid exterius, objectum sive materia in quam transit actus est separata ab agente, sicut calefactum a calefaciente et ædificatum ab ædificante. Sed in actione quæ manet in agente, oportet, ad hoc quod procedat actio, quod *objectum uniatur agenti*, sicut oportet quod sensibile uniatur sensui ad hoc quod sentiat actu. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 56, a. 1.

gui debet; principium enim et ratio sufficiens *generaliorem acceptionem* exhibent. Reverà, principium vocamus *quidquid alicujus rei sive possibilis, sive realiter existentis*, cùm in ordine *logico*, tùm in ordine *reali*, fundamentum, initium, aut originem explicat. Causa verò et effectus quamdam *distinctionem* et *dependentiam* important; sic Deus est sui ipsius principium et ratio sufficiens; dicitur etiam principium omnis entis merè possibilis; sed in quantùm orbem physicum condidit, nomen Creatoris seu *causæ* meritò sortitur. Pariter, mens humana vocatur principium a quo procedere possunt cogitationes ac volitiones nostræ; dicitur autem causa volitionum et cogitationum, quæ reapsè producuntur.

Pressiùs, nomine principii designamus id omne, a quo aliquid procedit aut procedere potest. Duplex est : *logicum* et *ontologicum;* item, principium logicum dividitur in principium *cognitionis*, ut *incipiendum est ab iis, quæ sunt magis nota*, et in principium *demonstrationis*, ut *idem non potest esse simul et non esse;* prætereà, principium ontologicum vocari solet principium *constitutionis*, ut *materia et forma* in corporibus, et principium *productionis*, quod iterùm dicitur principium *originis*, aut principium *existentiæ;* eo sensu, Pater in mysterio SS. Trinitatis est principium originis, et pater in rebus creatis dicitur principium existentiæ. Atqui, principium *existentiæ*, latissimè sumptum, est *causa* (Cf. L.-C. Bourquard, *Doctrine de la Connaissance d'après S. Thomas*) (1).

(1) De differentiâ principii et causæ scripsit sanctus Thomas : « Hoc nomen, *principium*, nihil aliud significat quam id *a quo aliquid procedit* : omne enim a quo aliquid procedit *quocumque modo*, dicimus esse principium... Hoc nomen, *causa*, videtur importare *diversitatem* substantiæ et *dependentiam* alicujus ab altero, quam non importat nomen

Ratio sufficiens propriè dicta principium et causam complectitur, quatenùs sunt *adæquata*, scilicet in quantùm rei, de quâ disputatio suscipitur, rationem veram, completam ac proindè sufficientem porrigunt quærenti cur aut quid sit res ista. Sic quærenti quid sit Deus, quid corpus, respondeo : Deus est ens a se; corpus est substantia coalescens materiâ et formâ; Deus igitur est sui ipsius principium adæquatum, seu ratio sufficiens. Item materia et forma dici possunt causa corporum interna et adæquata; requiruntur enim ac sufficiunt ad essentiam rerum mundanarum intrinsecè constituendam. Econtrà, quantitas, qualitas et alia hujusmodi non sunt corporum ratio sufficiens, nam eorum essentiam minimè componunt; et ità de cæteris.

(* Hinc, positivistæ, prima rerum principia, rationes intrinsecas, et causas ultimas extrà scientiam ablegantes, definitionem incompletam, causis secundariis solummodò propriam, admittunt; nempè, juxtà eos, causa nihil est nisi *factum* ad productionem alterius *facti* concurrens : « Qu'est-ce que j'appelle une cause, ait D. Taine? *Un fait d'où l'on puisse déduire la nature, les rapports et les changements des autres.* (*Les philos. class. au* XIX^e^ *siècle*, p. 351.) » *)

V. Quotuplex est causa?

114. Scholastici post Aristotelem (*Metaphys.*, l. V; S. Thomas, *Sum. Theol.*, 2^a^, 2^æ^, q. 27, a. 3), omnes cau-

principii : in omnibus enim causæ generibus semper invenitur distantia inter causam et id cujus est causa, secundùm aliquam perfectionem aut virtutem. Sed nomine *principii* utimur etiam in his quæ nullam hujusmodi differentiam habent, sed solùm secundùm quemdam ordinem : sicut quùm dicimus punctum esse principium lineæ, vel etiam quùm dicimus primam partem lineæ esse principium lineæ (*Sum. Theol.*, p. I, q. 33, a. 1). »

sas ad quatuor species communiter revocant, ad *efficientem* scilicet, *materialem*, *formalem* et *finalem*. Efficiens dicitur ea, quæ propriâ virtute producit effectum ; materialis est omne subjectum, *ex quo* fit res producta; formalis vocatur id *per quod*, aut *secundùm quod* materia determinatur ad esse talis talisve modi; finalis tandem est illud, *propter quod* agens operatur (1).

(* Alii verò philosophi inter se non consentiunt : Plato, teste Senecâ, quinque causaram species enumerat. Sic se habet Seneca : « Quinque sunt causæ, ut Plato dicit; id ex quo, id a quo, id quo, id ad quod, id propter quod, novissimè id quod ex his est. Tanquam in statuâ, *id ex quo* æs est, *id a quo* artifex est, *id quo* forma est quæ aptatur illi, *id ad quod* exemplar est quod imitatur is qui facit, *id propter quod* facientis propositum est, *id quod ex istis* est ipsa statua (Senec., *Epist.*). »

Alii sextam addunt, nempè causam *instrumentalem;* multi verò recentiores causam *occasionalem* intromittunt; undè septem causarum species : causa *efficiens*, quæ producit effectum ; causa *occasionalis*, cujus occasus agentem determinat; causa *finalis*, quam sibi obtinendam proponit agens; causa *materialis*, ex quâ producitur effectus; causa *instrumentalis*, quâ agens utitur ; causa *formalis* seu forma, quam materia recipit; causa *exemplaris*, ad cujus similitudinem efficitur opus. *)

VI. Quid dicendum de causâ efficienti?

115. Causa efficiens iterùm subdividi debet; nam multiplici modo virtus agentis influere potest in effectus producendos. Dicitur causa *per se*, quandò producit effectum quem intendit, seu ad quem naturaliter

(1) (* Notandum est ad intelligentiam theologiæ scholasticæ, auctores ordinariè quatuor causas his vocabulis exprimere : 1°, Principium *quo*, seu *a quo;* 2°, principium *ex quo;* 3°, principium *per quod*, seu secundùm quod; 4°, principium *propter quod*. — Effectus est *id, quod* producitur. *)

ordinatur; sic, ille qui sciens et volens occidit hominem, est causa per se homicidii. Vocatur causa *per accidens*, quoties effectum haud intentum producit, aut quùm rem unam prosequens, alteram non intentam assequitur; talis est homo qui belluam occidere volens occidit hominem. Causa *sine quâ non* exprimit conditionem sine quâ non produceretur effectus; sic applicatio ligni ad ignem est conditio *sine quâ non* combustionis ligni.

Distinguunt auctores causam *principalem* et causam *instrumentalem;* principalis effectum gignit per activitatem seu vim intrinsecam; undè illius « virtus est sufficienter proportionata effectui producendo (Polman, *Breviar, Theol.*). Instrumentalis autem sola nequit effectum attingere; sed indiget extrinseco motore. Sit exemplum : *calamo* scribere; calamus est instrumentum et *scriptor* causa principalis.

Item causa efficiens potest esse *physica* vel *moralis;* physica seu *directa* suas vires proprias exerit in agendo, v. gr. pecuniam furari; dùm causa moralis et *indirecta* consilio, jussu et silentio propellit ad agendum, ex. gr. furtum alicui suadere (1).

Causa etiam est *prima*, quandò non pendet ab aliâ, ut Deus; sin aliter *secundaria* dici debet. Quùm rem efficiendam attingit immediatè, nominatur causa *proxima; remota* verò dicitur, quandò mediatè concurrit ad effectum. Si sufficit ad finem intentum, nuncupatur *totalis;*

(1) « Causa moralis..... movet sui positione, suo suasu, consilio, imperio, precibus : quin et omissione impedimenti, quandò potest et debet impedire. » Polman. — « Physica seu immediata causa ea est, quæ ex se et proprià energià, producit effectum sine interventu alterius causæ..... Moralis seu mediata causa ea est, quæ physicam causam movet ad actum, ac proindè interventu alterius causæ effectum producit. » Bonal, *Inst. theol.*, t. V, *p.* 39, edit. decima.

aliter est *partialis*. Causa *necessaria* suum sortitur effectum vi suæ naturæ, seu necessitate; dùm causa *libera* per electionem propriam fertur ad agendum.

Denique causam efficientem philosophi scholastici dividunt in *univocam* et in *æquivocam*; univoca parit effectum ejusdem speciei, v. gr. pater gignit filium; æquivoca producit effectum a se specificè distinctum, sed, ut aiunt, *analogicè* similem. Sic Deus, de quo dicemus in Theodiceâ, est causa solùm æquivoca; nam, omnes creaturæ nonnisi quadam similitudine seu *analogiâ* gaudent cum ipso Conditore.

(* Hæc ultima distinctio est maximi momenti; reverà, non solùm effectus causam supponit; sed etiam *quidquid perfectionis* est in *effectu* causa prima et principalis *eminenter* possidet. Triplici quidem modo causa perfectiones effectûs continere potest; *formaliter, virtualiter* et *eminenter* : formaliter, quandò reapsè capit effectum secundùm propriam illius naturam aut formam; sic, argenti moles nummos, ex eâ per monetarium eductos, continet. Effectus omnis virtualiter existit in causâ; scilicet, agens habet virtutem effectum sibi proportionatum gignendi. Causa tandem effectum eminenter continet, quùm illius perfectiones præstantiori modo, non autem secundùm eamdem formam complectitur. In eo sensu, prima causa, gradu quidem infinito, qualitates omnium rerum possidet; nam ab eâ, tanquam a fonte communi, quidquid est entis et perfectionis originem ducit.

Undè, causa efficiens, propriè dicta, prior est effectu saltem *prioritate naturæ*. Duplex est prioritas, una *naturæ*, altera *temporis;* prioritas naturæ tantùm est ea per quam entia, simul existentia, sic inter se connectuntur ut unum ab altero pendeat; prioritas autem temporis quoddam intervallum, seu durationem, supponit inter causam et effectum.

Indubium est, his præmissis, causam esse priorem effectu, saltem prioritate naturæ; nam, effectus a causâ necessariò pendet. De prioritate temporis, certum est etiam omnem causam ut *sic*, nempè quatenùs causa dicitur, non esse priorem effectu; sed

ambo simul existunt. Ut *talis*, scilicet in quantùm apta est ad rem producendam, sæpè prioritatem habet in effectum, ut pater in filium; aliquandò, juxtà multos auctores, cum effectu simul existit. *)

VII. Loquere de causâ materiali et formali.

116. Materia facilè distingui potest a formâ : materia designat subjectum *determinabile*, v. gr. marmor *ex quo* fit statua; forma verò materiam determinat ad esse talem talemve statuam.

In rebus experientiâ cognitis, nulla reperitur causa efficiens, quæ possit effectum gignere sinè materiâ præsuppositâ; Deus autem infinitè sapiens ac omnipotens orbem physicum eduxit e nihilo, sinè auxilio causæ materialis, ut alibi dicendum est.

Proindè, juxtâ scholasticos, materia prima per creationem existit et per annihilationem tantùm desinere potest; undè homines hanc materiam solummodò *modificant*, nec ullam atomi particulam creant aut destruunt (1).

VIII. Quid dicendum de causâ finali?

117. Finis, scilicet *id cujus gratiâ fit aliquid*, vel etiam *id propter quod agens operatur*, multiplex distinguitur; alius est *finis operis*, ad quem opus e suâ naturâ tendit;

(1) In hoc consentiunt naturalistæ cum Thomistis, et ea sancti Doctoris admittere debent : « Ad materiam causalitas creaturæ non se extendit, quià actio creaturæ super aliud fundatur; materia autem non habet subjectum aliquod, de quo per actionem educi possit : quià materiæ non est materia. Undè materia non est generabilis nec corruptibilis; quià omne, quod generatur, ex materiâ generatur, et quod corrumpitur, in materiam corrumpitur : cum materia sit principium primum ex quo aliquid fit, et ultimum in quod abit quod corrumpitur. Undè ipsa nonnisi in nihilum desinere potest. » *S. Thom., Opusc.* de *Naturâ materiæ*.

alius *finis operantis*, quem sibi proponit causa officiens.

Item, dividitur in *proximum*, *ultimum* et *remotum* : proximus est ille, quem agens primùm intendit; ultimus postremò ac propter se quæritur; intermedius locum tenet inter proximum et ultimum. Sit exemplum : *scientiæ philosophicæ* studium impertiri, ut dein faciliùs acquiratur *scientia theologica*, posteaque *salus animarum* procuretur, ad *majorem Dei gloriam*.

Quandò finis præcipuè per agentem appetitur, *principalis* vocari solet; sin aliter dicitur *accessorius*, aut etiam dicitur simplex *medium* (1). Finis ultimus est perfectissimus et, ut aiunt, *primus* in *intentione*, *ultimus* autem in *exsecutione;* videlicet, est illud quod agens potissimùm et præ cæteris intendit; verumtamen diversis utitur mediis, ut hunc finem attingere possit et in possessione illius gaudere (2).

IX. Solve difficultatem.

(* 118. Obj. Leibnitzius, Cartesius et pantheistæ hodierni sic argumentantur : notio causalitatis propriè dictæ supponit actionem transeuntem; sed, actio *transiens* rationi contradicit; ergò, notio causalitatis in sensu scholasticorum est rejicienda.

Resp. *Concedo majorem. Nego minorem.* Nam, actio *transiens*, si sumitur in sensu scholasticorum, non solùm nihil absurdi præ se fert; sed etiam rationi omninò consentanea est.

Probatur ex *naturâ* ipsius actionis transeuntis. — Tria sunt inspicienda in actione transeunte : *subjectum* a quo dimanat actio, *terminus* in quo recipitur, et *effectus* seu mutatio quæ fit

(1) Apud scholasticos, reperies finem *qui*, finem *quo*, finem *cui;* finis qui est bonum appetitum; finis quo, possessio hujus boni; finis cui, subjectum cui bonum illud desideratur.

(2) Finis dignior, juxta S. Thomam, est ille ad quem alii ordinantur; sed, talis est finis ultimus; ergò, secundum dignitatem alios omnes præcellit. *Sum. Theol.*, p. I, q. 1, a. 5.

in termino. Jam actio, si spectatur relativè ad subjectum, manet in eo : « Actio dicitur transiens, ait Sanseverino, non prout est actio, sive affectio agentis, nam hoc modo spectata in ipso agente manet (*Ontol.*) » Respectu verò termini, actio vocatur transiens, eò quod terminus reapsè differat a subjecto. Præterea, quoad effectum in patiente productum, sedulò notabis hunc effectum non esse aliquid ex agente decerptum et transiens in terminum; sic, in creatione Deus res mundanas non producit e suâ substantiâ. Effectus autem hujusmodi procedit e virtute agentis; quod sic explicat Sanseverino, post sanctum Thomam : « Ad producendam actionem unius entis in alterum non aliud requiritur, nisi ut unum cum altero conjungatur, sive ut unum quodammodò tangat alterum vel per contactum *physicum*, uti evenit in actione corporis in aliud corpus, vel per contactum *virtutis*, ut fit in actione spiritûs in spiritum, vel spiritûs in corpus (1). »

Sed actio transiens, eo sensu intellecta, non solùm nihil absurdi præ se fert, ut falsò contendit Leibnitzius; verùm etiam rectæ rationi omninò consentanea est; etenim, vel rejicienda est notio causalitatis, vel causa potest virtutem suam exercere et effectum per actionem transeuntem producere; quippè, ut vidimus, causa vi suæ naturæ ordinatur ad producendum effectum a seipsâ distinctum.

Aliundè, experientiâ universali constat substantias actionem mutuam in se invicem exercere; v. gr. ignis aquam calefacit; aqua verò ignem extinguit. Undè, actio transiens est admittenda.

Probatur e *consectariis* Leibnitzianæ sententiæ. — Leibnitzius, post Cartesium et Malebranchium (2), actiones transeun-

(1) *Ontologia*, n. 170. — « Oportet omne agens conjungi ei in quod immediatè agit, et *suâ virtute* illud contingere. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. VIII, a. 1; Aristot., VII *Physic.* — « Est duplex contactus, *quantitatis* et *virtutis*. Primo modo corpus non tangitur nisi a corpore. Secundo modo corpus potest tangi a re incorporeâ, quæ movet corpus. » S. Thomas, *Sum. Theol.*, p. I, q. 75, a. 1, ad 3^um^.

(2) « Il n'y a point de forces, de puissances, de causes veritables

tes rejecit ut aliquid « absurdum; » sed, si actio transiens e naturâ suâ sit absurda, Deus ipse actiones hujusmodi elicere nequit; et ideò omnis actus divinus est immanens; quùm autem terminus actionis immanentis non differat ab agente, sequitur omnes creaturas esse in Deo, nec ab Ipso realiter distingui, ut volunt pantheismi absoluti fautores. Ergò, Leibnitzii sententia propellit ad exitiales pantheismi consequentias.

Undè, vera est et tenenda philosophorum assertio; videlicet : actio transiens, si sumitur in sensu scholasticorum, non solùm nihil absurdi præ se fert; sed etiam rationi omninò consentanea est. *)

ARTICULUS TERTIUS.

De spatio et tempore.

I. Quot sunt dicenda de spatio et tempore?

119. De spatio et tempore tria sunt dicenda : quid sit spatium; quid sit tempus; et qui sint præcipui errores de spatio et tempore.

II. Quid de loco, ubi et spatio sentiendum est?

120. *Locus* dicitur, *illa superficies realis* et *specialis*, *quâ corpus aliquod intrà se clauditur et in quâ circumscribitur.*

Ubi autem designat *locum, in quo aliquod corpus reapsè* circumscribitur; v. gr. esse in domo, in urbe, in gymnasio.

Spatii verò nomine intelligimus *distantiam*, quæ existit inter *unum* et *aliud corpus*, vel inter *partes* ejusdem corporis; ideò, spatium in genere definiri potest : *dimensio illa, quam concipimus inter diversa corpora, aut inter partes ejusdem corporis.* Si sumitur ut dimensio inter

dans le monde materiel et sensible. » Malebranche, *De la recherche de la vérité*, l. V, p. II, c. III.

diversa corpora, dicitur *extrinsecum;* si sumitur ut dimensio inter partes ejusdem corporis, dicitur *intrinsecum.*

Ex dictis, nonnulla inferre possumus de spatii naturâ. 1°, Spatium concipitur ut dimensio seu *extensio;* sed, ex unâ parte, dimensio illa non est *substantia,* eò quod spatium est *accidens;* ex alterà parte, non est *quantitas* corporum, nam quantitas est accidens, quod a substantiâ dimanat, et nullam relationem supponit inter diversa corpora. Undè, spatium est illa distantia seu dimensio, quæ resultat e *relationibus* corporum inter se; ità ut, relatione hujusmodi sublatâ, jam spatium concipi non possit.

2°, Spatium reale non est aliquid separatum a corporibus ipsis, quibus orbis conflatur : « Perspicitur spatium, quod tanquam *reale* intelligimus, ait C. Sanseverino, non esse aliquid separatum a corporibus: atque ideò ante creationem mundi non extitisse, et a Deo cum ipso mundo creatum fuisse. Quapropter capacitas illa recipiendorum corporum, quam extrà mundi limites existere, et in quà mundum creatum esse concipimus, non est spatium reale, sed *imaginarium,* nempè phantasma omni realitate destitutum, quod imaginatio sibi confingit, quodque sanctus Augustinus *spaciosum nihil* appellavit (*Elementa,* Ontol.). »

3°, Locus relativè ad spatium haberi potest ut *pars* relativè ad *totum;* seu, locus est illud spatium, in quo circumscribitur aliquod corpus speciale. Locus etiam, ad placitum hominum aliquid magis determinatum sæpiùs designat; spatium verò sensu magis indefinito, vel acceptione latiori sumitur; v. gr. dicimus hunc aut illum hominem esse in tali vel tali *loco;* dùm econtrà sol dicitur in *spatio* moveri.

4°, Locus et spatium resultant e corporum relationibus, ideòque rebus materialibus solummodò conveniunt, et categoria *ubi* nonnisi metaphoricè tribuitur substantiis immaterialibus.

(* Undè, corpus est in loco « *circumscriptivè,* » ut aiunt philosophi; partes scilicet quibus corpus fit extensum, partibus loci specialis correspondent, et ità circumscribuntur, ut locum alterius corporis non occupent. Substantiæ verò spirituales et creatæ dicuntur esse in loco *definitivè;* id est, non sunt nec operantur ubique, quod soli Deo competit; verumtamen cuidam loco speciali suam præsentiam exhibent, ibique operari possunt. Et talis essendi modus est duplex : unus convenit angelis, qui dicuntur esse in loco : « *definitivè simpliciter;* » nempè « per virtutem operativam. » Alter verò competit animæ humanæ, quæ, quùm sit forma corporis, adest singulis partibus corporis « *definitivè* et *informativè.* »

Notandum est theologos asserere Christum, quatenùs est *homo,* esse in cœlo circumscriptivè; Illius verò præsentia in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento non est circumscriptiva, nec definitiva, nec informativa, sed huic mysterio omninò propria; undè, dicitur præsentia *sacramentalis.*

Christus autem in quantùm est Deus, immensitate gaudet; et consequenter, ut videbitur in Theodiceâ, non continetur in loco circumscriptivè, nec etiam definitivè; adest autem ubique et omnibus, quià per *actionem suam virtualiter transeuntem* dat rebus et *esse,* et in esse *pergere* et *operari,* et ad *finem tendere* (1). *)

(1) Præsentia seu extensio circumscriptiva definitur : specialis modus existendi in loco, per quem partes unius corporis correspondent partibus spatii, ità ut nulla pars sit in loco alterius, aut penetrata cum alterâ. Cf. *Lexicon,* Auctore Josepho Zamæ Mellinio, A. Circumscriptiva præsentia. — « Præsentia rerum in loco triplici modo haberi potest; nempe 1. *Circumscriptivè;* et hoc convenit corporibus; 2. *Definitivè* simpliciter; et hoc convenit substantiis spiritualibus a materiâ separatis; 3. *Informativè;* et hoc competit animabus corporibus unitis. »

III. Quid dicendum de tempore et quando?

121. Quidam auctores tempus appellant; « Durationem in quâ res contingentes sibi succedunt, vel posse sibi succedere concipiuntur; » aut etiam : « Mensuram motûs secundùm priùs et posteriùs. »

Eodem sensu tempus definitur : *Mensura motûs et successionis in rebus physicis.*

Est *mensura*, nempè motûs *diuturnitas* aut *brevitas* in rebus physicis; seu etiam permanentia et « *duratio* » existentiæ rerum mundanarum; ità, quandò motus et existentia velociter effluunt, tempus breve dicitur, et e converso diuturnum vocatur, quandò motus et existentia perseverant.

Est mensura *motûs*, et ità distinguitur ab *actu*, quo res physicæ motum et existentiam accipiunt, ut est, v. gr. actio creatrix; tempus enim importat aliquam durationem seu permanentiam existentiæ, et a fortiori supponit actum, per quem res *esse* incipiunt. Dicitur mensura motûs et *successionis*, nam in motu secernimus *prius* et *posterius*, *præteritum*, *præsens* et *futurum*. Vocatur mensura *in rebus physicis*, quià tempus distingui debet ab omni aliâ duratione, vel etiam ab omni successione, quæ inveniri potest in aliis substantiis, a corporibus distinctis.

Quando autem designat tempus, quo aliquid fit aut evenit, ut *heri*, *hodiè*, anno *proximè* elapso.

Battaglinius, *Metaphys.*, n. 464. — « Theologi quartum adjungunt modum præsentialitatis in loco, qui verificatur de Christo Domino in Augustissimo Sacramento; ubi habetur realis præsentia Christi quantùm ad animam, quantùm ad corpus, et divinitatem. Talis præsentia quæ propriè nec dici potest simpliciter præsentia circumscriptiva, nec definitiva, nec informativa, est hujus mysterii omninò propria, undè denominari solet præsentia *Sacramentalis*. » Battaglinius, *Metaphys.*, n. 465.

His præmissis, haud ægrè concipies quænam sit ratio formalis, in quâ specialiter ac essentialiter consistit natura temporis. Reverà, tempus non est ens a corporibus separatum et distinctum; sed meritò dicitur ipsamet *existentia* rerum physicarum, *quatenùs* est aliquid *permanens :* « Duratio realis, ait R. P. Tongiorgi, ab entis existentiâ non distinguitur re; distinguitur tamen ratione, quatenùs dicit permanentiam existentiæ (*Cosmol.*) »

In hoc consentiunt ferè omnes scholastici, inter quos appositè scripsit Suarezius : « Dicendum verò est, durationem et existentiam non distingui ex naturâ rei, sed tantùm ratione (1); » sed, tempus est ipsamet existentiæ permanentia; ergò, tempus est existentia quatenùs *permanet* et mensurari potest.

Idcircò tempus vocatur *reale* in rebus physicis, quibus orbis terrarum conflatur; in eis enim existentiæ permanentia est aliquid reale. Intellectus autem, proficiscens ex illâ realitate, per abstractionem ascendit ad generalem, universalem et absolutam temporis notionem (2); tempus igitur dividi potest in *abstractum* et *reale*. Tempus abstractum, ut aliæ notiones universales, existit tantummodò fundamentaliter in tempore reali; tempus autem reale formaliter simul et actualiter existit ut accidens rerum materialum.

(1) *Metaphys.*, disput. L, sect. I, n. 5. Addit infrà, cum Capreolo, distinctionem illam rationis constitui « per durationem » existentiæ; undè, tempus est duratio existentiæ « in quantùm non raptim transit. » Sect. II, n. 6.

(2) « Quandoquidem intellectus notiones rerum sensibilium; per abstractionem, quam super res sensibiles exercet, sibi comparat, temporis notionem ex abstractione oriri dicendum est. » Sanseverino, *Ontol.*, c. VII, a. 3.

Per abstractionem magis generalem, ad altiores etiam notitias pervenire possumus; nempè, limites et imperfectiones temporis *removendo*, facilè concipimus durationem sine motu physico, sed cum successionibus saltem in operationibus internis; et tandem attingimus ultimam ac perfectissimam durationem, in quâ motus et successio non reperiuntur. Unde, si vox *duratio* sumitur ut *genus*, tres sunt *species* durationis : *tempus*, *ævum* et *æternitas* (1).

Tempus est duratio cum motu et successione in operibus, imò in substantiis; ævum est duratio sine motu physico, et sine mutatione in substantiis, sed cum successione in operibus; æternitas autem est duratio sine motu, et sine ullâ successione; definitur a Boetio : *Interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.*

Sic se habet Antonius Goudin : « Æternitas, inquit, est duratio rei omninò invariabilis..... Tempus est duratio rei tam secundùm esse, quam secundùm operari variabilis... Ævum est duratio rei secundùm operari, vel secundùm alia accidentia variabilis, sed invariabilis secundùm substantiam (*Physic.*) » Æternitas soli Deo competit; ævum Angelis et omni substantiæ spirituali convenit; tempus verò rebus physicis proprium dicitur. Eapropter, ævum inter æternitatem et tempus, ut substantia spiritualis inter Deum et materiam, quasi medium habetur (2).

(1) Adhibetur vox *duratio*, quia frequentiùs eam apud scholasticos invenies. « Sicut in cognitionem simplicium oportet nos venire per composita, ita in cognitionem æternitatis oportet nos venire per tempus. » S. Thomas. *Sum. Theol.*, p. I, q. 10, a. 1, c.

(2) « Ævum differt a tempore et ab æternitate, sicut medium existens inter illa. » S. Thomas, *loc. cit.*, a. 5, c.

IV. Qui sunt præcipui philosophorum errores, de spatio et tempore?

(* 122. Fastidiosum esset omnia recensere systemata, quæ circà præsentem quæstionem exorta sunt; præcipua tantùm exponemus : alia respiciunt *originem* notionum, alia *naturam* spatii et temporis.

(A.) Error Kantii de *origine* notionum spatii et temporis. — Kantius, sensibilitatem *puram*, quasdam notiones percipientem *a priori*, sine ullo experientiæ auxilio, hominibus inesse contendit. Illa facultas seu receptivitas necessariò concipit spatium et tempus; undè, notiones *temporis* et *spatii* sunt visiones a priori, formæ nativæ ac necessariæ sensibilitatis puræ, quibus nulla realitas objectiva respondet extrà mentem nostram (1).

Illud systema repugnat experientiæ; nam, spatii et temporis notiones per intellectum, auxiliante sensu, comparantur. Insuper ad idealismum transcendentalem directè propellit; objectivitatem enim visionum sensibilitatis puræ in dubium revocat. Aliundè, juxtà Kantium, ideæ spatii et temporis non sunt universales; quod sanè prorsùs falsum est; ergò, systema Kantii propugnari nequit; proindè, spatium et tempus non sunt visiones a priori sensibilitatis puræ.

(B.) Alii errores de *origine* notionum spatii et temporis.

A conceptualismo Kantii non longè recedit V. Cousin, quem secuti sunt eclectici non pauci; juxtà eum, notiones temporis et spatii ratione quadam *impersonali*, et equidem *a priori* concipiuntur. Ontologistæ verò Malebranchius et Gioberti gratis au-

(1) Ecce Kantii verba : « L'espace est une représentation nécessaire *a priori* qui sert de fondement à toutes les intuitions extérieures..... L'espace n'est pas non plus un concept discursif, ou, comme on dit, un concept *général* des rapports des choses, mais une *intuition* pure... Le temps est une représentation nécessaire qui sert de fondement à toutes les intuitions... Le temps est donc donné *a priori*... Le temps n'est point un concept discursif, ou, comme on dit, *général;* c'est une forme pure de l'intuition sensible. » *Critique de la raison pure,* Traduc. Tissot, t. I, p. 63, 64, 70, 71.

tumarunt se in Infinito notiones temporis et spatii videre. Tales sententiæ repugnant experientiæ, nec admitti possunt.

Condillac et sensistæ, Hobbes et materialistæ, Stuart-Mill, Herbert Spencer, Bain et plerique positivistarum, saltem apud Anglos, nominalismum apertè docentes, notionem temporis et spatii a *solâ* sensatione originem ducere contendunt. Illi veram et absolutam spatii et temporis notionem evertunt; etenim, sensus universalia cognoscere nequit; ergò, rejiciendum est sensistarum, materialistarum et positivistarum systema.

(C.) Error Leibnitzii de spatii et temporis *naturâ*.

Leibnitzius asseruit spatium nihil aliud esse, nisi *ordinem* coexistentium, quatenùs *coexistentium*, et tempus ordinem successivorum, quatenùs *successivorum*. Scilicet, monades quibus orbis conflatur, vel simul existunt, et relationes coexistentiæ inter eas constituuntur; vel sibi mutuo succedunt, et relationibus successionis uniuntur; porrò, relationes coexistentiæ spatii naturam, et relationes successionis veram temporis naturam exhibent.

Hæc opinio facilè demonstrari nequit; imò non potest admitti, quià veram spatii et temporis naturam non attingit. Enimverò, relationes coexistentiæ, necnon successionis, realiter existunt in rebus physicis; et etiam ex his relationibus ad agnitionem temporis et spatii per inductionem ascendimus; sed hujusmodi relationes, ut omnes aliæ, supponunt fundamentum aliquod reale, in se verò nihil sunt.

Undè, systema scholasticorum, naturam temporis in ipsius *existentiæ permanentiâ*, spatiique naturam in *dimensione*, quâ corpus *clauditur* et *ambitur*, præcipuè reponens, experientiæ simul et rationi maximè congruit tutoque defendi potest et admitti.

(D.) Errores Anglorum nonnullorum de *naturâ* temporis et spatii.

Newton, Clarke et alii potissimùm apud Anglos, docuerunt spatium abstractum et absolutum esse ipsam *immensitatem* divinam, et pariter tempus abstractum esse Dei æternitatem;

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

attributa scilicet Entis Infiniti (1). Sed quùm spatium reale, sicut et tempus reale, sint limitationes temporis absoluti, nec non spatii absoluti, sequitur attributa Dei per tempus atque spatium reale limitari.

Tale systema procul dubio falsum est et perniciosum. Falsum est, quià notiones abstractæ spatii et temporis non sunt actualiter, nisi tantùm in intellectu; ergò, non possunt esse Dei attributa. Falsum est etiam, quia partes ac limites in Deo reponit; spatium enim concipitur ut aliquid partibus constans; sed, partes in Deo inveniri nequeunt.

Perniciosum est, ut pantheismo favens; etenim, si spatium et tempus habenda sint ut attributa Dei, præsertim si spatium sit « ipsum Dei *sensorium* (Newton), » quare non idem diceretur de rebus singulis quibus orbis componitur? Cæteroqui, non desunt inter recentes philosophos, qui systema Newtonis amplectentes, ac logicè deducentes lugendas illius consequentias, ad pantheismum abeant (2).

(E.) Errores atomistarum quamplurimorum circà *naturam* spatii et temporis.

Atomistarum plerique falsa tenuerunt circà naturam spatii et temporis. Inter veteres Democritus, Leucippus et Epicurus docuerunt spatium esse *vacuum*, immensum, inane, a corporibus distinctum, in quo moventur omnia.

Inter recentiores, Gassendi ad eamdem ferè sententiam reversus est; contendit enim spatium esse vacuum, seu ali-

(1) « L'espace infini n'est après tout qu'une idée abstraite de l'immensité de la même manière que la durée infinie est une idée abstraite de l'éternité. De sorte qu'on pourrait aussi vraisemblablement faire consister l'essence de la cause suprême dans l'éternité que dans l'immensité. La vérité est que l'une et l'autre ne sont que des attributs d'une essence qui nous est incompréhensible. » Clarke, *Traité de l'existence de Dieu*, traduc. Ricotier, 1744, p. 91; item *Lettres entre Leibnitz et Clarke*.

(2) Bouillier, *Théorie de la raison impersonnelle;* hic auctor, eamdem theoriam propugnans, in pantheismum labitur.

quid æternum, immensum, *sui generis*, nec substantiam, nec accidens; pariter voluit tempus esse id, quod fluxit, fluit et fluet, independens a rebus physicis.

Quidam Positivistæ parùm recedunt a sententiâ veterum. Respuunt immensitatem et æternitatem divinam; attamen quantitatem puram, infinitam, necessariam, et tempus sine initio palam admittunt. Juxtà eos, quantitas *pura*, id est abstracta, produxit quantitatem realem, et quantitas *suppressa* genuit cogitationem (Taine). Sed hujusmodi spatium et tempus sunt tantùm aliquid *inane*, *vacuum*, *abstractum*, verbis obscuris et captiosis expressum; ità ut systema Democriti somniis Positivistarum anteponendum esse videatur. Talia portenta seriam confutationem sane non merentur; illa exponere sufficit.

Cartesius, atomismum enixè propugnans et corporum essentiam in extensione reponens, asseruit spatium, quod ab ipsis rebus physicis minimè distinxit, non finitum, nec infinitum esse, sed *indefinitum*. Hæc sententia evidenter rationi repugnat; spatium enim *imaginarium* solummodò, non autem *reale*, dici potest indefinitum. Aliundè, Cartesii doctrina, ut experientiâ constat, ad consequentias lugendas propellit.

Ex istis erroribus iterùm demonstratur scholasticorum systematis veritas; id est : *spatium* rectè definitur, *dimensio* qua corpus intrà se clauditur et exteriùs ambitur seu etiam : dimensio, quam intercedere concipimus inter diversa corpora, aut inter partes ejusdem corporis : et *tempus mensura* motûs et successionis in rebus physicis.

Hæc autem accidentia, sicut et alia, ordinantur ad perficiendam substantiam rerum creatarum. Deus autem, quùm sit infinitè et summè perfectus, nihil accidentale in se patitur; sed omnium accidentium perfectiones eminentissimo gradu possidet; et ideò, ut jam multoties diximus, omnia genera, omnesque categorias excellentissimè transcendit. *)

FINIS TOMI PRIMI.

INDEX RERUM.

PHILOSOPHIA SCHOLASTICA.

Pag.

Approbatio Ill^{i} ac RR^{i} DD^{i} Germain 5

Ad Discipulum 7

PROŒMIUM. DE PHILOSOPHIÆ NATURA ET DIVISIONE.

I. — De philosophiæ naturâ 9

II. — De philosophiæ divisione 13

LOGICA.

SEU PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ.

De logicæ natura et divisione 19

PRIMA PARS LOGICÆ SEU DIALECTICA.

CAPUT PRIMUM.

DE IDEA ET TERMINO.

Art. I. — De ideâ 27

Art. II. — De termino 32

Art. III. — De idearum et terminorum speciebus 36

Pag.

Parag. I. De præcipuis idearum et terminorum speciebus..... 36
Parag. II. De universali reali et logico..... 42

CAPUT SECUNDUM.

DE JUDICIO ET PROPOSITIONE.

Art. I. — De naturâ judicii et propositionis..... 48
Art. II. — De speciebus judiciorum et propositionum.. 54
Art. III. — De propositionum proprietatibus..... 59
Parag. I. De propositionibus in se sumptis..... 60
Parag. II. De propositionibus ad invicem comparatis... 65

CAPUT TERTIUM.

DE RATIOCINIO ET ARGUMENTO.

Art. I. — De ratiocinio et argumento in genere..... 73
Art. II. — De syllogismo..... 77
Parag. I. De syllogismi naturâ et legibus..... 78
Parag. II. De syllogismi figuris et modis..... 86
Art. III. — De syllogismi speciebus..... 93
Art. IV. — De inductione..... 99

CAPUT QUARTUM.

DE DEMONSTRATIONE.

Art. I. — De definitione..... 105
Art. II. — De divisione..... 109
Art. III. — De argumentatione..... 112
Art. IV. — De sophismatibus..... 116

APPENDIX.

De argumentatione scholastica..... 124

SECUNDA PARS LOGICÆ SEU DOGMATICA.

CAPUT PRIMUM.

DE UNIVERSALIBUS.

Pag.
ART. I. — De philosophorum opinionibus circà universalium naturam 134
ART. II. — De sententiâ sancti Thomæ circà universalium naturam 139

CAPUT SECUNDUM.

DE PRINCIPIIS LOGICIS.

ART. I. — De naturâ principiorum 144
ART. II. — De principio contradictionis 147
ART. III. — De principio causalitatis 153

CAPUT TERTIUM.

DE METHODO.

ART. I. — De methodo in genere 158
ART. II. — De analysi et synthesi 166
ART. III. — De methodo analytico-synthetică 172

CAPUT QUARTUM.

DE SCIENTIA.

ART. I. — De natura scientiæ 177
ART. II. — De divisione scientiarum 179
ART. III. — De ordinatione scientiarum 183

TERTIA PARS LOGICÆ SEU CRITICA.

CAPUT PRIMUM.

DE CERTITUDINE.

ART. I. — De scepticismo 194
ART. II. — De certitudine 204
ART. III. — De fontibus erroris 211

CAPUT SECUNDUM.

DE CRITERIO CERTITUDINIS UNIVERSALI.

Pag.
ART. I. — De naturâ criterii universalis 213
ART. II. — De vero criterio 216
ART. III. — De falsis criteriis 221

CAPUT TERTIUM.

DE CRITERIIS CERTITUDINIS PARTICULARIBUS.

ART. I. — De perceptione sensuum 228
ART. II. — De conscientiâ 235
ART. III. — De memoriâ 239
ART. IV. — De consensu generis humani 241
ART. V. — De testimonio hominum 244

CAPUT QUARTUM.

DE ANALOGIA FIDEI ET RATIONIS.

ART. I. — De criterio revelationis divinæ 257
ART. II. — De mutuis juribus et officiis rationis et fidei. 269

SECUNDA PARS PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ.

ONTOLOGIA.

DE ONTOLOGIÆ NATURA ET DIVISIONE 273

PRIMA PARS ONTOLOGIÆ DE ENTIS NOTIONE.

CAPUT PRIMUM.

DE ENTE ET NIHILO.

ART. I. — De conceptu entis 281
ART. II. — De conceptu nihili 288

CAPUT SECUNDUM.

DE ESSENTIA ET EXISTENTIA.

Pag.
ART. I. — De essentiâ..... 291
ART. II. — De existentiâ..... 299

CAPUT TERTIUM.

DE POSSIBILITATE.

ART. I. — De naturâ possibilitatis..... 306
ART. II. — De erroribus philosophorum..... 311

— ——

SECUNDA PARS ONTOLOGIÆ DE ENTIS PROPRIETATIBUS.

CAPUT PRIMUM.

DE UNO.

ART. I. — De unitate et multitudine..... 316
ART. II. — De identitate et distinctione..... 318

CAPUT SECUNDUM.

DE VERO.

ART. I. — De veri notione..... 324
ART. II. — De falsitate..... 330

CAPUT TERTIUM.

DE PULCHRO.

ART. I. — De pulchri naturâ et manifestatione..... 336
ART. II. — De arte et æstheticâ..... 345
ART. III. — De erroribus philosophorum..... 351

CAPUT QUARTUM.

DE BONO.

ART. I. — De boni naturâ et speciebus..... 356
ART. II. — De mali naturâ et origine..... 361
ART. III. — De entium perfectione..... 368

TERTIA PARS ONTOLOGIÆ DE ENTIUM CATEGORIIS.

CAPUT PRIMUM.

DE SUBSTANTIA.

Pag.
ART. I. — De substantiâ in genere 378
ART. II. — De naturâ, subjecto et personâ..... 384
ART. III. — De distinctione inter naturam et personam. 387

CAPUT SECUNDUM.

DE ACCIDENTIBUS IN GENERE.

ART. I. — De accidentium naturâ..... 394
ART. II. — De distinctione accidentis a substantiâ..... 399

CAPUT TERTIUM.

DE ACCIDENTIBUS ABSOLUTIS.

ART. I. — De quantitate..... 404
ART. II. — De qualitate..... 415

CAPUT QUARTUM.

DE ACCIDENTIBUS RELATIVIS.

ART. I. — De accidentibus relativis in genere..... 419
ART. II. — De causis..... 424
ART. III. — De spatio et tempore..... 435

INDEX QUÆSTIONUM.

PHILOSOPHIA SCHOLASTICA.

		Pag.
Prooemium.	— De Philosophiæ naturâ et divisione.....	9-18
Quæst. 1ª.	— Quid sit Philosophia quoad nomen?.....	9
— 2ª.	— Quid sit Philosophia quoad rem?.....	10
— 3ª.	— Quomodo allata definitio exprimat objectum et subjectum Philosophiæ?.....	10
— 4.	— Quomodo ex eadem definitione innotescat Philosophiæ excellentia?.....	11
— 5ª.	— Quomodo ex propositâ definitione Philosophiæ utilitas eruatur?.....	12
— 6ª.	— Quid dicendum de Philosophiæ historiâ?.	13
— 7ª.	— Quomodo Philosophia propriè dicta dividi possit?.....	14
— 8ª.	— Quonam ordine magister in docendo procedere debeat?.....	15
— 9ª.	— Quid sentiendum de nonnullis Philosophiæ divisionibus?.....	16
*—(1) 10ª.	— Expone synopsim totius Philosophiæ.....	16

LOGICA

SEU PRIMA PARS PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ.

De Logicæ naturâ et divisione.....		19-25
Quæst. 1ª.	— Quid sit Logica quoad nomen?.....	19
— 2ª.	— Quid sit Logica quoad rem?.....	19
— 3ª.	— Quomodo Logicæ utilitas ex ipsius definitione eruatur?.....	21

(1) *Nota :* Quæstiones, quæ asterisco notantur, omitti possunt, præsertim si studium philosophiæ breviori tempore absolvitur.

Pag.

Quæst. 4ª. — Quid dicendum de Logicæ historiâ?..... 22
— 5ª. — Quomodo Logica dividi possit?..... 23
*— 6ª. — Expone synopsim totius Logicæ..... 24

PRIMA PARS LOGICÆ SEU DIALECTICA.

Caput I. *De ideâ et termino.* — Art. 1us, De ideâ. — Art. 2us, De termino. — Art. 3us, De idearum et terminorum speciebus..... 27-47

Quæst. 1ª. — Quotuplici modo idea considerari possit?. 27
— 2ª. — Quid sit idea subjectivè sumpta?..... 27
— 3ª. — Quid sit idea objectivè sumpta?..... 29
— 4ª. — Quid dicendum de ideis relativè ad scientiam?..... 29
— 5ª. — Quid sit idearum comprehensio et extensio? 30
— 6ª. — Quid sentiendum de idearum connexione?. 31
— 7ª. — Quid sit terminus oralis?..... 32
— 8ª. — Quænam sint præcipua vocabula?..... 33
— 9ª. — Quid dicendum de usu terminorum?..... 34
— 10ª. — Quænam sint præcipuæ terminornm species?..... 36
— 11ª. — Quid sit terminus positivus et negativus?. 38
— 12ª. — Quid sit terminus concretus et abstractus? 39
— 13ª. — Quid sit terminus substantivus et adjectivus?..... 40
— 14ª. — Quid sit terminus singularis, particularis et universalis?..... 41
— 15ª. — Quid intelligendum per universale reale et logicum?..... 42
— 16ª. — Quomodo universalia realia reduci possint ad decem categorias?..... 43
— 17ª. — Quomodo universalia logica in quinque classes dividi possint?..... 45

Pag.

CAPUT II. *De judicio et propositione.* — Art. 1^us^, De naturâ judicii et propositionis. — Art. 2^us^, De divisione judicii et propositionis. — Art. 3^us^, De propositionum proprietatibus, præsertim de oppositione et conversione..... 48-73

Quæst. 1^a^. — Quid sit judicium?..... 48

— 2^a^. — Quid intelligatur apud philosophos per materiam et formam judicii?..... 49

— 3^a^. — Quid intelligatur per judicium analyticum et syntheticum?..... 51

— 4^a^. — Quid sit propositio logica?..... 52

— 5^a^. — Quid dicendum de expressione et dispositione terminorum in propositione logicâ?..... 53

— 6^a^. — Quænam sint præcipuæ judiciorum et propositionum species?..... 54

— 7^a^. — Explica divisionem quæ sumitur ratione materiæ..... 55

— 8^a^. — Explica divisionem quæ sumitur ratione formæ seu qualitatis..... 55

— 9^a^. — Explica divisionem quæ sumitur ex parte veritatis..... 56

— 10^a^. — Explica divisionem quæ sumitur ex parte quantitatis..... 56

— 11^a^. — Quid dicendum de universali metaphysicè, physicè et moraliter?..... 57

— 12^a^. — Quænam regulæ statui possint de attributi extensione et comprehensione?..... 58

— 13^a^. — Quid sit propositio simplex, composita et complexa?..... 60

— 14^a^. — Quid notandum sit de propositione compositâ?..... 61

— 15^a^. — Quid dicendum de propositionibus apertè compositis?..... 61

— 16^a^. — Quot sint species propositionis occultè compositæ?..... 64

Pag.

Quæst 17ª. — Quid sit propositio modalis?..... 64
— 18ª. — Quot proprietates inveniantur in propositionibus ad invicem comparatis?..... 65
— 19ª. — Loquere de propositionum oppositione ... 65
— 20ª. — Quot regulæ statuantur de propositionibus subalternis, contrariis, subcontrariis et contradictoriis?..... 68
— 21ª. — Loquere de propositionum æquipollentiâ.. 71
— 22ª. — Quid sit propositionum conversio?..... 72

Caput III. *De ratiocinio et argumento.* — Art. 1us, De ratiocinio et argumento in genere. — Art. 2us, De syllogismo. — Art. 3us, De syllogismi speciebus. — Art. 4us, De inductione..... 73-104

Quæst. 1ª. — Quid sit ratiocinium?..... 73
— 2ª. — Quænam sint ratiocinii elementa?..... 75
— 3ª. — Quotuplex sit ratiocinium?..... 76
— 4ª. — Quid sit argumentum?..... 77
— 5ª. — Quid dicendum de syllogismi naturâ et structurâ?..... 78
— 6ª. — Quot et quænam sint syllogismi regulæ?.. 79
*— 7. — Quid dicendum de syllogismi historiâ?... 84
— 8ª. — Quæ et quot sint figuræ syllogismi?..... 86
— 9ª. — Qui et quot sint modi syllogismorum?... 88
— 10ª. — Quot sint modi legitimi?..... 89
*— 11ª. — Quomodo modi legitimi reduci possint ad modos primæ figuræ?..... 91
— 12ª. — Quot sint species syllogismi perfecti?.... 93
— 13ª. — Quotuplex sit syllogismus hypotheticus?. 94
— 14ª. — Quot sint species syllogismi imperfecti?.. 96
— 15ª. — Quid sit enthymema?..... 96
— 16ª. — Quid sit sorites?..... 96
— 17ª. — Quid sit epicherema?..... 97
— 18ª. — Quid sit dilemma?..... 98
— 19ª. — Quid dicendum de inductionis naturâ et utilitate?..... 99
— 20ª. — Quænam sint inductionis species?..... 101

Pag.
Quæst. 21ª. — Quænam sint inductionis regulæ? 102
*— 22ª. — Quid dicendum de inductionis historiâ?... 103
Caput IV. *De demonstratione.* — Art. 1ᵘˢ, De definitione. — Art. 2ᵘˢ, De divisione. — Art. 3ᵘˢ, De argumentatione. — Art. 4ᵘˢ, De sophismatibus. — Appendix, de argumentatione scholasticâ..... 105-132
Quæst. 1ª. — Quid et quotuplex sit definitio? 105
— 2ª. — Quid dicendum de definitione nominali?.. 106
— 3ª. — Quid dicendum de definitione reali?..... 106
— 4ª. — Quæ sint definitionis regulæ?..... 107
— 5ª. — Quid et quotuplex sit divisio?..... 109
— 6ª. — Quid sentiendum de usu divisionis?..... 110
— 7ª. — Quæ sint divisionis regulæ?..... 110
— 8ª. — Quotuplex sit argumentationis species?.. 112
— 9ª. — Quid dicendum de demonstratione propriè dictâ?..... 112
— 10ª. — Quid dicendum de argumentatione probabili?..... 115
— 11ª. — Quænam sit natura et historia sophisticæ? 116
— 12ª. — Quot sint sophismatum genera?..... 118
— 13ª. — Quot sint sophismata in dictione?..... 119
— 14ª. — Quot sint sophismata extrà dictionem?... 120
— 15ª. — Quomodo sophismata confutari possint?.. 123
*— 16ª. — Quid sentiendum de naturâ et utilitate argumentationis scholasticæ?..... 124
*— 17ª. — Quænam regulæ servandæ sint ab argumentante?..... 124
*— 18ª. — Quænam regulæ servandæ sint a respondente?..... 125
*— 19ª. — Da exemplum quo natura, utilitas et regulæ argumentationis scholasticæ demonstrari possint..... 127

SECUNDA PARS LOGICÆ SEU DOGMATICA.

Pag.

CAPUT I. *De universalibus.* — Art. 1us, De philosophorum opinionibus circà universalium naturam. — Art. 2us, De sententiâ sancti Thomæ..... 134-143

Quæst. 1a. — Quot sint philosophorum opiniones de universalibus?..... 134

*— 2a. — Expone nominalismum..... 135

*— 3a. — Expone conceptualismum..... 135

*— 4a. — Expone realismum absolutum..... 135

— 5a. — Expone realismum mitigatum..... 136

— 6a. — Quid dicendum de sententiâ sancti Thomæ circà universalium naturam?..... 139

*— 7a. — Quomodo solvantur difficultates?..... 142

CAPUT II. *De principiis logicis.* — Art. 1us, De naturâ principiorum logicorum. — Art. 2us, De principio contradictionis. — Art. 3us, — De principio causalitatis.. 143-158

Quæst. 1a. — Quid sit principium logicum?..... 144

— 2a. — Quid sit axioma?..... 145

*— 3a. — Quid doceat Stuart-Mill de axiomatibus?.. 146

— 4a. — Quodnam sit primarium principium in ordine logico?..... 147

— 5a. — Quomodo scientiæ omnes defluant ex primario principio?..... 150

*— 6a. — Quid dicendum de sophistis hodiernis?... 152

— 7a. — Loquere de formâ et vi principii causalitatis. 153

— 8a. — Quomodo inductionis fundamenta nitantur principio causalitatis?..... 154

*— 9a. — Quid ex dictis inferatur adversùs errores hodiernos?..... 156

CAPUT III. *De methodo.* — Art. 1us, De methodo in genere. — Art. 2us, De analysi et synthesi. — Art. 3us, De methodo analytico-synthetică..... 158-176

Quæst. 1a. — Quid dicendum de naturâ et utilitate methodi?..... 158

Pag.
Quæst. 2ª. — Quot inveniantur in methodo?..... 160
— 3ª. — Undè sumendum sit initium methodi?.... 160
*— 4ª. — Quid dicendum de dubio methodico?..... 161
*— 5ª. — Quid sentiendum de dubio Cartesiano?... 164
— 6ª. — Quid sit methodus analytica et synthetica? 166
— 7ª. — Quæ sint analysis et synthesis regulæ?... 167
— 8ª. — Quomodo omnes methodi in analysim aut synthesim resolvantur?..... 168
*— 9ª. — Loquere fusiùs de Eclectismo et Positivismo..... 169
— 10ª. — Quid sit methodus analytico-synthetica?.. 172
— 11ª. — Quid dicendum de methodo analytico-synthetica?..... 173
— 12 . — Utrum eadem methodo in discendo et docendo utendum sit?..... 174
— 13 — Quid dicendum de methodo auctoritatis?.. 175
*— 14ª. — Expone methodum sancti Thomæ..... 175
Caput IV. *De scientiâ.* — Art. 1ᵘˢ, De naturâ scientiæ. — Art. 2ᵘˢ, De divisione scientiarum. — Art. 3ᵘˢ, De ordinatione scientiarum..... 176-192
Quæst. 1ª. — Quid sit scientia?..... 177
— 2ª. — Utrum in omnibus scientiis eadem certitudo requiratur?..... 178
— 3ª. — Quæ sit scientia perfecta?..... 178
— 4ª. — Utrum omnes scientiæ eadem methodo tractari debeant?..... 179
— 5ª. — Loquere de præcipuis scientiarum divisionibus apud recentiores..... 179
— 6ª. — Quid sentiendum de istis scientiarum divisionibus?..... 180
— 7ª. — Quomodo scientiæ dividi possint?..... 181
— 8ª. — Quid dicendum de ordinatione scientiarum? 183
— 9ª. — Quomodo philosophia exordium sumat ab ordine empirico?..... 183
— 10ª. — Quotuplex genus cognitionum ordo philosophicus complectatur?..... 184

Pag.

Quæst. 11ª. — Quomodo philosophia tendat ad ordinem divinum?..... 188
*— 12ª. — Loquere de mirâ scientiarum harmoniâ... 190

TERTIA PARS LOGICÆ SEU CRITICA.

CAPUT I. *De certitudine.* — Art. 1us, De scepticismo. — Art. 2us, De certitudine. — Art. 3us, De fontibus erroris..... 194-213
Quæst. 1ª. — Quid sit scepticismus?..... 194
— 2ª. — Quotuplex sit scepticismus?..... 195
— 3ª. — Loquere de historiâ scepticismi universalis. 196
— 4ª. — Quid dicendum de scepticismo universali? 197
*— 5ª. — Quomodo dilui possint scepticorum objecta? 199
— 6ª. — Quid sit certitudo?..... 204
— 7ª. — Quæ sint species certitudinis?..... 205
— 8ª. — Utrum certitudo vulgaris sit vera certitudo? 207
*— 9ª. — Quid sentiendum de certitudinis gradibus? 210
*— 10ª. — Quid sit error?..... 211
*— 11ª. — Qui sint fontes erroris?..... 211
*— 12ª. — Quis sit specialis fons errorum apud philosophos recentes?..... 212
*— 13ª. — Quæ sint errorum remedia?..... 213
CAPUT II. *De criterio certitudinis universali.* — Art. 1us, De naturâ criterii universalis. — Art. 2us, De vero criterio. — Art. 3us, De falsis criteriis..... 213-227
Quæst. 1ª. — Quid sit criterium?..... 213
— 2ª. — Utrum existat criterium universale?..... 214
— 3ª. — Quæ sint dotes primarii criterii?..... 215
— 4ª. — Quid sit evidentia?..... 216
— 5ª. — Quæ sint evidentiæ species?..... 218
— 6ª. — Utrum evidentia sit criterium universale?. 218
*— 7ª. — Quomodo solvantur difficultates?..... 220

Pag.

Quæst. 8ª. — Quæ sint variæ philosophorum sententiæ, de primario criterio?..... 221

*— 9ª. — Quid sentiendum de variis philosophorum sententiis, circà primarium criterium?.. 224

Caput III. *De criteriis certitudinis particularibus.* — Art. 1us, De perceptione sensuum. — Art. 2us, De conscientiâ. — Art. 3us, De memoriâ. — Art. 4us, De consensu generis humani. — Art. 5us, De testimonio hominum..... 228-256

Quæst. 1ª. — Statue sensum quæstionis, de perceptione sensuum..... 228

— 2ª. — Quid dicendum de naturâ perceptionis sensuum et de conditionibus requisitis, ut legitimè exerceri possit?..... 229

— 3ª. — Quid doceant scholastici de perceptione suum?..... 230

*— 4ª. — Quid dicendum de falsis recentiorum opinionibus, seu quomodo solvantur difficultates?..... 232

— 5ª. — Quid sit conscientia seu sensus intimus?. 235

— 6ª. — Quodnam sit objectum conscientiæ?..... 235

— 7ª. — Utrum conscientia sit criterium certitudinis particulare..... 236

*— 8ª. — Quomodo solvantur difficultates?..... 238

— 9ª. — Quid sit memoria?..... 239

— 10ª. — Quid dicendum de vi memoriæ?..... 239

*— 11ª. — Quomodo solvantur difficultates?..... 240

— 12ª. — Quid dicendum de consensu generis humani?..... 241

— 13ª. — Quæ sint dotes requisitæ, ut consensus generis humani possit esse motivum certitudinis?..... 242

— 14ª. — Utrùm consensus populorum, habitis conditionibus requisitis, sit legitimum certitudinis motivum?..... 242

*— 15ª. — Quomodo solvantur difficultates?..... 244

Pag.
Quæst. 16ª. — Quid sit testimonium?..... 244
— 17ª. — Quid sentiendum de utilitate testimonii?. 245
— 18ª. — Utrùm testimonium sit motivum certitudinis?..... 247
*— 19ª. — Quid dicendum de arte criticâ?..... 252
Caput IV. *De analogiâ fidei et rationis.* — Art. 1us, De criterio revelationis divinæ. — Art. 2us, De mutuis juribus et officiis rationis et fidei..... 257-272
Quæst. 1ª. — Utrùm, ope rationis, possibilitas et existentia revelationis demonstrari possint?... 257
*— 2ª. — Utrum revelatio semel inventa habenda sit ut motivum certitudinis?..... 259
*— 3ª. — Expone et confuta Mythismum et Novam Criticen..... 260
*— 4ª. — Quid sentiant rationalistæ de analogiis fidei et rationis?..... 266
*— 5ª. — Quid dicendum de rationis juribus et officiis?..... 267
*— 6ª. — Quid dicendum de fidei juribus et officiis?. 269
*— 7ª. — Quid dicendum de mutuo fidei et rationis auxilio?..... 271

SECUNDA PARS PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ.

ONTOLOGIA.

De Ontologiæ naturâ et divisione..... 273-279
Quæst. 1ª. — Quid sit Ontologia quoad nomen?..... 273
— 2ª. — Quid sit Ontologia quoad rem?..... 274
— 3ª. — Quod sit objectum Ontologiæ?..... 275
— 4ª. — Quid dicendum de Ontologiæ historiâ?.... 276
— 5ª. — Quomodo Ontologia dividi possit?..... 276
*— 6ª. — Expone synopsim totius Ontologiæ..... 277

PRIMA PARS ONTOLOGIÆ DE ENTIS NOTIONE.

Pag.

CAPUT I. *De ente et nihilo.* — Art. 1us, De conceptu entis. — Art. 2us, De conceptu nihili 280-291

Quæst. 1a. — Quid sit ens quoad nomen? 281

— 2a. — Quid sit ens quoad rem? 281

— 3a. — Quæ sint dotes conceptûs entis? 282

*— 4a. — Utrùm ens, res et aliquid inter se differant? 288

— 5a. — Quid dicendum de notione nihili? 288

*— 6a. — Qui sint præcipui philosophorum errores, de conceptu nihili? 290

CAPUT II. *De essentiâ et existentiâ.* — Art. 1us, De essentiâ. — Art. 2us, De existentiâ 291-305

Quæst. 1a. — Quid sit essentia quoad nomen, et quæ sint variæ hujus vocabuli acceptiones? 291

— 2a. — Quomodo essentia definiri possit? 293

— 3a. — Quotuplex sit essentia? 294

— 4a. — Quid doceant scholastici de cognitione et dotibus essentiæ? 295

*— 5a. — Quid ex dictis inferri possit adversùs errores philosophorum? 297

— 6a. — Quid sit existentia et quid rerum proprietas? 299

*— 7a. — Utrùm essentia et existentia inter se differant? 300

CAPUT III. *De possibilitate.* — Art. 1us, De naturâ possibilitatis. — Art. 2us, De erroribus philosophorum ... 306-314

Quæst. 1a. — Quid sit possibilitas? 306

— 2a. — Quotuplex sit possibilitas? 307

— 3a. — Quomodo concipiatur notio possibilitatis? 308

— 4a. — Quid sint possibilia in archetypis æternis? 309

*— 5a. — Quot errores prodierint circà possibilium notionem et naturam? 311

*— 6a. — Quid doceat Rosmini? 311

*— 7a. — Quid doceat Hobbesius? 311

*— 8a. — Quid doceant conceptualistæ? 312

Pag.
Quæst. 9ª. — Quid doceat Occam?..... 312
*— 10ª. — Quid doceat Cartesius?..... 313

SECUNDA PARS ONTOLOGIÆ DE ENTIS PROPRIETATIBUS.

Caput I. *De uno.* — 1ᵘˢ, De unitate et multitudine. — Art. 2ᵘˢ, De identitate et distinctione..... 315-323
Quæst. 1ª. — Quid sit unitas?..... 316
— 2ª. — Quotuplex sit unitas?..... 316
— 3ª. — Quid dicendum de multitudine et numero? 317
— 4ª. — Quid sit identitas?..... 318
— 5ª. — Quid et quotuplex sit distinctio?..... 319
— 6ª. — Loquere de similitudine et æqualitate, necnon de diversitate et oppositione?..... 320
— 7ª. — Quomodo e notionibus expositis oriatur conceptus ordinis?..... 322
Caput II. *De vero.* — Art. 1ᵘˢ, De veritate. — Art. 2ᵘˢ, De falsitate..... 323-335
Quæst. 1ª. — Quotuplici sensu veritas sumi possit?.... 324
— 2ª. — Quid doceant schoslastici de veritate metaphysicâ?..... 325
*— 3ª. — Quomodo solvantur difficultates?..... 329
— 4ª. — Quid et quotuplex sit falsitas?..... 330
— 5ª. — Utrùm et quomodo res aliqua possit esse falsa?..... 330
— 6ª. — In quo præcisè consistat falsitas?..... 331
*— 7ª. — Quotuplex sit error de veritate et falsitate? 333
Caput III. *De pulchro.* — Art. 1ᵘˢ, De pulchri naturâ et manifestatione. — Art. 2ᵘˢ, De arte et æstheticâ. — 3ᵘˢ, De erroribus philosophorum?..... 336-355
Quæst. 1ª. — Quid sit pulchrum et quæ sint pulchri elementa?..... 336
— 2ª. — Quotuplex sit pulchri species?..... 339

Pag.
Quæst. 3ª. — Utrùm omne ens sit pulchrum? 340
— 4ª. — Quid dicendum de pulchri manifestatione? 342
*— 5ª. — Undè repetenda sit sublimis, pulchri et venusti differentia? 344
— 6ª. — Quid dicendum de pulchri origine? 345
— 7ª. — Quid sit ars? 346
— 8ª. — Quomodo artes dividi possint? 346
— 9ª. — Quid sit æsthetica? 348
— 10ª. — Quæ sint æstheticæ facultates et regulæ? 348
— 11ª. — Quid dicendum de realismo et idealismo in artibus? 350
*— 12ª. — Expone philosophorum errores de pulchri naturâ et de arte? 352
*— 13 . — Sensualismum expone et confuta.... ... 354
CAPUT IV. *De bono.* — Art. 1us, De boni naturâ et speciebus. — Art. 2us, De mali naturâ et origine. — Art. 3us, De entium perfectione 356-375
Quæst. 1ª. — Quid sit bonum? 356
— 2ª. — Quot sint species bonitatis? 358
— 3ª. — Utrum omne ens sit bonum? 359
— 4ª. — Quid sit malum? 361
— 5ª. — Quæ sint mali species? 362
— 6ª. — Quid dicendum de mali origine? 363
*— 7ª. — Qui sint præcipui philosophorum errores? 364
— 8ª. — Quid et quotuplex sit perfectio? 368
— 9ª. — Qui sint perfectionis gradus? 369
— 10ª. — Loquere de ente necessario et contingente. 369
— 11ª. — Quid dicendum de ente simplici et composito? 370
— 12ª. — Loquere de ente immutabili et mutabili... 371
— 13ª. — Quid dicendum de ente infinito et finito?. 372
— 14ª. — Quomodo habeatur notio infiniti? 373

TERTIA PARS ONTOLOGIÆ DE ENTIUM CATEGORIIS.

Pag.

CAPUT I. *De substantiâ.* — Art. 1us, De substantiâ in genere. — Art. 2us, De naturâ, supposito et personâ. Art. 3us, De distinctione inter naturam et personam. 376-394

Quæst. 1a. — Quid sit substantia?..... 378

— 2a. — Quotuplex sit substantia?..... 381

*— 3a. — Quomodo substantia primo fiat individua? 382

— 4a. — Quid sit natura?..... 384

— 5a. — Quid sit suppositum?..... 384

— 6a. — Quid sit persona?..... 385

*— 7a. — Quid ex dictis inferre liceat, adversùs nonnullos philosophos..... 386

— 8a. — Quo sensu persona differe possit a naturâ? 387

— 9a. — Quid dicendum de communi sententiâ philosophorum, qui distinctionem personæ a naturâ propugnant?..... 389

*— 10a. — Quid dicendum de erroribus philosophorum?..... 391

CAPUT II. *De accidentibus in genere.* — Art. 1us, De accidentium naturâ. — Art. 2us, De distinctione accidentis a substantiâ..... 394-403

Quæst. 1a. — Quid sit accidens?.....

— 2a. Quomodo accidentia dividantur?..... 394

*— 3a. — Utrùm accidentia reduci possint in nonnullas classes generales?..... 397

— 4a. — Expone sensum quæstionis, de distinctione accidentis a substantiâ..... 399

— 5a. — Quid dicendum de scholasticorum sententiâ?..... 401

*— 6a. — Quomodo solvantur difficultates?..... 403

CAPUT III. *De accidentibus absolutis.* — Art. 1us, De quantitate. — Art. 2us, De qualitate..... 404-418

Quæst. 1a. — Quid sit quantitas?..... 404

Pag.

Quæst. 2ª. — Quid doceant scholastici de quantitate propriè dictâ?..... 405
— 3ª. — Quid sit qualitas?..... 415
— 4ª. — Quæ sint qualitatum proprietates?..... 416
— 5ª. — Quot sint species qualitatum?..... 416
Caput IV. — *De accidentibus relativis.* — Art. 1us, De accidentibus relativis in genere. — Art. 2us, De causis. — Art. 3us, De tempore et spatio..... 418-444
Quæst. 1ª. — Quid dicendum de accidentibus relativis in genere?..... 419
— 2ª. — Quid et quotuplex sit relatio?..... 419
*— 3ª. — Quid dicendum de situ?..... 422
*— 4ª. — Quid sit habitus?..... 423
— 5ª. — Quid intelligant scholastici per potentiam? 424
— 6ª. — Quid sit actio et passio?..... 424
— 7ª. — Quot sint actionum species?..... 425
— 8ª. — Quid sit causa?..... 426
— 9ª. — Quotuplex sit causa?..... 428
— 10ª. — Quid dicendum de causâ materiali et formali?..... 429
— 11ª. — Loquere de causâ materiali et formali.... 432
— 12ª. — Quid dicendum de causâ finali?..... 432
*— 13ª. — Quomodo solvantur difficultates?..... 433
— 14ª. — Quot sint dicenda de spatio et tempore?.. 435
— 15ª. — Quid de spatio dicendum?..... 438
*— 16ª. — Qui sint præcipui philosophorum errores, de spatio et tempore?..... 441

FINIS TOMI PRIMI.

BAR-LE-DUC, IMPRIMERIE CONTANT-LAGUERRE.

100
B63
v.1

Philosophia scholastica

100
B63
v.1

385

Graduate Theological Union
Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO